EPISTOLARVM PHILOSOPHI-CARVM: MEDICI-NALIVM, AC CHYMI-CARVM

à

Summis noſtræ Ætatis Philoſophis ac Medicis Exaratarum,

VOLVMEN;

Opus, cùm ob remediorum ſaluberrimorum copiam; tum ob variam doctrinam, ac varii generis difficilium & obſcurarum quæſtionum explicationem non ſolùm Medicis, verumetiam Philoſophis admodum vtile, ac neceſſarium.

Addito ELENCHO rerum omnium notatu digniſſimarum refertiſſimo.

Nunc primùm labore, ac induſtria

LAVRENTII SCHOLZII à Roſenaw Medicinæ Doctoris, iſto modo foràs datum.



HANOVIÆ

Typis Wechelianis apud hære-des Ioannis Aubrii.

M DC. X.

Cum priuilegio Cæſa. Maieſt. ad annos Decem.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

GENEROSIS, MAGNIFICIS,

NOBILISS. Q.

VIRIS,

DN. SIGISMVNDO A ZEDLITZ IN NEVkirch, Cratzkavv, Steinberg, Niederionſdorff, &c.

DN. MAXIMILIANO A KNOBELSDORF, IN Kuckersdorff, Arnsdorff, Wroblin, Capitaneo Schvvibuſienſi, &c.

DN. NICOLAO A BVRGHAVS, IN STOLTZ, Seiffersdorff, Schiltberg, Girſdorff, Polniſch Neudorff, &c.

PATRONIS SVIS PERPETVA FIDE ET OBSERVANTIA COLENDIS,

CAMERÆ CÆSAREÆ

PER VTRAMQVE SILESIAM IN REGIA VRATISL. PRÆFECT. AC MODERATORIBVS.

OMNIB. AC SINGVLIS,

RODOLPHO II. AVGVSTO

ROMANOR. IMP. OB LAVDEM

FIDEI AC INTEGRITATIS IN REB. GRAVISS. DOMI FORISQ. SPECTATÆ SINGVLAREM,

ACCEPTISS. CONSILIARIIS,
VIRTVTE, PRVDENTIA, DOCTRINA,
RERVMQ. VSV PRÆ-
STANTISS.

HOCCE

EPISTOLARVM PHILOSO-
PHICAR. MEDICINAL. AC CHYMICAR.
VOLVMEN,

REMEDIIS SALVBERR.
FOVENDÆ SANITATIS
INSTRVCTISS.

LAVRENTIVS SCHOLZIVS,
A ROSENAW, MED. DOCTOR,
PVBL. BONI CVPIDVS,
SVI ERGA PATRIAM
STVDII

SYMBOL.
SVÆ ERGA EOSDEM
OBSERVANTIÆ
TESTIMON.

L. M. Q.

DEDICAT, CONSECRATQ.

LAV-

LAVRENTIVS SCHOLZIVS A ROSENAW, MED. VRATISL.

Omnibus Arti Medicæ addictis εὖ πράττειν

NE volumen iſtud Epiſtolarum Philoſophicarum, Medicinalium, ac Chymicarũ, ἄνευ προοιμίων in Medicinæ ſtudioſorum manus perueniat, libet mihi nonnihil Præfationis loco de vſu Epiſtolarum in mediũ adferre. Harum autem non minorem, quam Conſiliorum Medicinalium vtilitatem eſſe, nulla, vt ego quidem iudico, probatione egere videtur. Vetus eſt ratio de problemate propoſito interrogare, diſputare, ac percunctanti & ſciſcitanti reſpondere, quodq; reſponſum eſt ad examen reuocare. Tales Epiſtolas, ſuo quodã iudicio, Rhetores in ſcholis Dialecticas, Erotematicas, & Didaſcalicas appellare conſueuerunt. Eſtque hoc genus Epiſtolarum familiare quidem, at non vulgo, ſed eruditorum ſaltem generi proprium. Hi enim vltro citroque miſsis literis de variis rebus, ſi quando vel omnino dubitant, vel in ſententiis inter ſe non prorſus conueniunt, diſputare ſolent. Huius vel in CICERONE exemplum illud eſſe poteſt, cuius initium; Illuſeras heri inter ſcyphos, &c. Item illa; Amo verecundiam, &c. Tales ſunt, vt exempla alia non accerſam, duę illuſtres illæ de eloquẽtia ſcriptæ epiſtolæ cõtrarię, vna FRANCISCI PICI MIRANDVLANI Comi-

tis,altera MELANCHTHONIS noſtri,in ſcholis p..ſſim notæ & celebres.Critici recentiores,quo um pene nimis eſt ferax noſtrum ſeculum,quæ non Epiſtolas de certorum locorum in autoribus lectione varia,ac reſtitutione ediderunt? Id ſi in minima,ac ſæpe nugatoria re, imo vocula, fieri conceſſum eſt, quid nobis in re Medica, ſi quid occurrat,quod nobis dubitationem iniiciat, faciendum eſſe exiſtimabimus? AVERRHOES de ſeipſo teſtatur,quod ſæpe numero per epiſtolas Amicorum abſentium, quibuſcunque de rebus viſum fuiſſet,ſententias explorare ſolitus fuerit. Extant quinetiam Epiſtolæ multæ cum veterum Theologorum Græcorum & Latinorum, tum aliorum quoq;,inprimis vero duodecim illæ nobiles PLATONIS, ſcriptoris grauiſſimi,vt taceam de iis, quas Princeps noſter HIPPOCRATES ſcripſit, quoque in operibus eius leguntur? Porro à noſtris etiam Recentioribus pro Artis noſtræ illuſtratione plurimæ iam in lucem emiſſæ ſunt,inter quas non poſtremum certe locum obtinent eruditiſſimæ illæ Epiſtolæ IOH. MANARDI, NICOLAI MASSÆ, ALOYSII MVNDELLÆ, IOH. BAPT. THEODOSII, IOH. LANGII, CONRADI GESNERI, MATTHIOLI, IVLII ALEXANDRINI, HORATII AVGENII Profeſſoris Patauini, & aliorum præclariſſimorum virorum, quæ quàm bonis rebus refertæ ſint, quantamque ipſis Lectoribus tum vtilitatem, tum delectationem adferant,meridiana luce clarius eſt. DVDITHIANÆ literę, licet pleræque dubitent, ac quæſtiones moueant,

ue nt, vt in hocgenere ſcriptor earũ artificioſiſsimus fuit, quem quæſo,non afficiunt? MERCVRIALIS vero ſummi viri,ac ERASTI, præſtantis Medici,Epiſtolæ quidaliud faciunt, quam vt de rebus grauiſſimis aliquid doceant? Tales CRATONIANÆ quoque pleræque ſunt omnes, plurimum videlicet liberalis,& vtilis doctrinæ continentes. Sed non libet hoc loco in horum laudes excurrere, ne meam potius qualemcumque operam, quam bonitatem Epiſtolarum, que ſeſe ipſæ, me etiam ſilẽte per ſe commendant, efferre velle videri poſsim. Et hæc quidem ſunt,quæ procemij loco, vt beneuoli Lectores conſilii mei rationem aliquo ſaltem modo cognoſcerent,præmittenda eſſe duxi, quæ vt eo animo, quo à me ſcripta ſunt, accipiantur, & boni conſulantur,maiorem inmodum peto. Feliciſsime valete, LECTORES candidiſsimi, meque ſyncero animo hæc Clariſsimorũ Virorum monumenta,multis, vt confido, vtilia, poſteritati etiam, vt ſpero, & vt æquos rerum æſtimatores iudicaturos confido, non ingrata futura, in hominum conſpectum, & in luminis auras producentem, quod mutuo facietis, amate. Data Vratisl. ex Muſæo noſtro die 30 Martij, Ann. redemptionis humanæ 1598.

AD LAVRENTIVM SCHOLZIVM A' ROSENAW, MED. VRATISL.

ROBVR habet nomen, multis medicamina pollens
Viribus, in ſcriptis quæ lego, CRATO, tuis.
CAESARIBVSQ. tribus tua munia grata fuerunt.
Et tot Nobilibus complacuere viris.
Omina nominibus non ergo ſubeſſe negabit,
Nomina cum factis quia tua contulerit.

BARTHOLOMÆVS E. [illegible]NERVS
Phil. & Med. D. ac in Inc[illegible] Erphordienſi Academia Prof. ordinarius, &c.

ALIVD:

Te ſublimem alii ferant
SCHOLZI, grandi loqui carminis alite.
Quod dudum es meritus, graui
Sudore, inuidiæ cedere neſcius.
Aſt me promere iuuerit
Muſarum ex adytis, quid tibi nominis
Nuper calculus omnium
DOCTORVM, indiderit. LVCIFER ipſus eſt
CRATONEM occubuum nouis
Clarasti radiis: liuidus infremat
Oſor. luce tamen tua.
Tam CRATO enituit SOLIS vt æmulus
Clara, ſit, face, Phoſphori,
Qua in cælo is rutilat, ſplendida vbi apparat
Mundum lampade viſere,
BRESLORVM haud aliter ſol iubar extulit
Orbi, te duce, redditus.
Quem curſu, inſequitur LVNA vicario.
Æternum Patriæ decus,
Inſignis Medica arte MONAVIVS.
Extinctum at media, heu, die
Vitæ, quod vario mentis acumine
Lucentem aſpicimus, tuo
Debemus genio, quo velut HESPERVS
Præfulges, radians viam
LVNÆ, quid memorem cætera ſidera?
Quæ dum clarius emicant
Totum id muneris, & luminis eſt tui.
Felicem, ô, ter & amplius
Tanto nomine quem ASCLEPIADÆ beant?
Macte hoc: vt magis in dies
Splendentem videant ORTVS & OCCIDENS.

ELIAS KVNTSCHIVS SIL.
Philoſ. & Med. Doctor.

ALIVD:

ALIVD:

HI[illegible]OCRATES poſitas DIVVM per templa tabellas,
Mor[illegible]orum teſtes & releuantis,
Deſcripſi[illegible] primus, ſolersque redegit in artem,
Pergam[illegible]um quam poſt protulit ingenium.
SCHOLZI[illegible]ADES, (cui felix imitator, & ipſe
Colligit om[illegible]igenum ſcripta probata virum:
Quos Natur[illegible] parens Herbis vſuque medendi
Eximios in[illegible]ter fecit habere locum.
Nam ſane, S[illegible]HOLZI, ni ſic tua cura fuiſſet,
Qua vi[illegible]s fama conſulis alterius:
Ne[illegible]ultorum iam putris aranea haberet,
Scriptaque perpetuo perderet vmbra ſitu.
Sed tamen & ſoli tibi tam præclara Reperta
Quod non ſeruaſti: laudis id ampla ſeges.
Omne BONVM, quanto eſt maius, communius eſſe
Tanto etiam multis poſcit, & addit opem.
Quid mihi Theſauri, quos terris atra vetuſtas,
Vſibus humanis inſidioſa, premit?
Quid monumenta virum Doctorum, actique labores,
Obſcuro cohibet quos grauis vmbra ſitu?
Quosque triparca manus priuatos ſeruat in vſus,
Qualiter Heſperidum poma repoſta Draco?
Non Gemmam inuentam maleſidis obruit vmbris
Vir bonus: Aonidum ſemper aperta Foris.

TOBIAS SCVLTETVS
Hermund: L.C. & P.L.
Vratisl. F.

Digitized by Google

CATALOGVS AVTORVM,

Quorum Epiſtolæ in hoc volumine continentur:

D. Abrahamvs Seyller Sil. quondam Illuſtriſs. Ducis Bregenſis Medicus.

D. Adolphvs Occo, Medicus Auguſtanus.

Andreas Dvdithivs ab Horecouiza, Cõſiliarius, & orator Cæſareus.

Arragosivs Gallus.

D. Balthasar Scheider, Phyſicus Vratiſlauienſis.

D. Bartholomævs Chrisævs.

D. Carolvs Oslevivs Sil. Aulæ Cæſareæ Medicus.

D. Casparvs Hofmannvs Sil. Illuſtriſs. Electoris Brandeburgici Medicus.

D. Casparvs Lindnervs, Phyſicus Poſnanienſis.

D. Christophorvs Schillingvs Sil.

Christophorvs Pithopævs.

D. Georgivs Vbervs.

D. Hieronymvs Capivaccivs, Medicus Patauinus.

D. Hieronymvs Mercvrialis, Medicus Patauinus.

D. Hieronymvs Donze[illegible]nvs, Medicus Venetus.

D. Hieronymvs Schall[illegible]r, Medicus Norinbergenſis.

D. Hieronimvs Herol[illegible].

D. Iohannes Crato à [illegible]fftheim Vratiſl. Medicus Cæſareus.

D. Iohannes Schroete[illegible], Medicus Ihenenſis.

D. Ivlivs Cæsar Arantiv[illegible] Bononienſis.

D. Ivstinvs Pezoldvs, Phyſicus Gothanus.

Manlivs Constatinopo[illegible]itanvs.

D. michael Barth, Medicus Lipſenſis.

D. Pavlvs Closivs Vratiſl. Phyſicus Glacenſis.

D. Petrvs Monavivs Vratiſl. Aulæ Cæſareæ Medicus.

D. Theodorvs Zwingervs, Medicus Baſilienſis.

D. Thomas Erastvs Medicus Heydelbergenſis.

D. Thomas Movfetvs Anglus.

Valerivs Cordvs.

INDEX

INDEX EPISTOLARVM MEDICINALIVM IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM.

Quarum ea quidem quæ aſteriſco ſunt notatæ, nunquam antea editæ ſunt: Reliquæ vero prius typis expreſſæ: verum editio præſens priore multo correctior, ac nonnullorum locorum reſtitutione præſtantior eſt;

ABRAHAMVS SEYLLER D. Joachimo Baudiſſio col. 1. Idem D. Paulo Cloſio. col. 2. & 3.* Idē Dn. Melchiori Latomo.* 4. Idem D. Nicolao Taurello * 5. Idem D. Danieli Schepſio.* ib. Idem D. Georgio Beher.* 7.* 11 Idem D. Georgio Florſchutz.* 12. Idem D. Venceslao Raphano.* 14. Idem D. Paulo Borck.* 15. Idem D. Jacobo Horſtio.* 16. Idem D. Bartholomæo Chryſæo. * 85

ADOLPHVS OCCO. N. N. [illegible] 18

ANDREAS DVDITHIVS D. Venceslao Raphano 20. vſque ad 45. Idem D. Laurentio Scholzio 46. Idem D. Monauio 48. cum reliquis ſeqq. vſque ad 66.

ARRAGOSIVS GALLVS, D Johanni Crat. 67.

BALTHASAR SCHEIDER D Johanni Auriſabro 83

BARTHOLOMÆVS CHRYSÆVS, D. Abrahamo Seyllero *84

CAROLVS OSLEVIVS D. Laurētio Scholzio 86. vſque 95

CASPARVS HOFFMANNVS, D Johann. Hermanno 96. Idem D. Johanni Weidnero 97. Idem Dn. Abrahamo Bucholzero. ib. cum 3. ſeqq Jdem D. Laurentio Scholzio. 101. cum 3. ſeq.

CASPARVS LINDNERVS, D. Joachimo Baudiſio, 105. cum 3. ſeqq.

CHRISTOPHORVS SCHILLINGVS, D. Andreæ Dudithio. *109.* ib.* 110.* 111

CHRISTOPHORVS PITOPOEIVS D. Michaeli Barth, 112. vſque ad 119

GEORGIVS VERRVS D. Andreæ Auriſabro 120

HIERONYMVS CAPIVACCIVS D. Thomæ Eraſto, 121. Jdem. Petro Monauio, 126. & 129.

HIERONYMVS MERCVRIALIS, D. Johan. Cratoni 131. Jdem D. Remberto Dodonæo 132. Idem D. Petro Monauio 134. vſque ad 141 Jdem D. Venceslao Raphano. 142. & 145

HIERONYMVS HEROLD. Dn. Joachimo Camerario *146.* 148.* 149

HIERONYMVS SCALLER, D. Melchiori Fendio 151

HIERONYMVS DONZELLINVS D. Johanni Cratoni 155

JOHANNIS CRATO N. N. 156. cum ſeqq. Jdē Iohanni Henrico Hervvart. 163. Jdem Dn. Quirino Schalnet 171 Jdem D. Andreæ Dudithio.* 181.* 182. Jdem Hieronymo Mercuriali 183. & 188. Jdem D. Joachimo Camerario 191. vſq; ad 226.* 227.* 229.* 231.* ibid. Jdem Dn. Theodoro Zwingero.* 232.* 233* 236.* 237. 240. Jdem D. Thomæ Jordano, 242. vſque ad 267. Jdem D. Petro Monauio. 268. vſque ad 292.* 293.* ib.* 295.* ibid.

Jdem D. M. Martino Weinrichio. 297. cū 2. ſeqq.

Jdem D. Laurentio Scholzio 300. idem D. Nicolao Haunoldt, *301.* 302

IOHANNES SCHROETERVS, D. Iuſtino Pezoldo 303

IVLIVS CÆSAR ARANTHIVS, D. Laurentio Scholzio 304

IVSTINVS PEZOLDVS, D. Laurentio Scholzio ibid.

MANLIVS CONSTANTINOPOLITANVS D. Io. Cratoni 307

MICHAEL BART, Chriſtophoro Pithopœio. 114. 117

PAVLVS CLOSIVS D. Laurentio Scholzio 310

PETRVS MONAVIVS, D. Andreæ Dudithio 311. vſque ad 330. Idem D. Iohanni Cratoni, 331. vſque ad 349. Jdem D. Hieronymo Capiuaccio 350. & 356. Idem D. Hieronymo Mercuriali 358. vſque ad 373. Jdem D. Thomæ Eraſto. 373. vſque ad 390. Jdem D. Theodoro Zwingero 391 Jdem D. Ioachimo Camerario 393. Jdē D. Johanni Hermanno, 394. vſque ad 408. Idem D. Iohanni Acholzio 409: Idem Dn. Iohanni Weidnero 410. vſque ad 441. Idem D. Laurentio Scholzio 442. vſque 466

THEODORVS ZVVINGERVS D. Paulo Heſſo, 467 Jdem D. Petro Monauio. 468. vſq; 475. Jdem D. Iohanni Weidnero 476. vſq; 480

THOMAS ERASTVS, Dn. Andreæ Dudithio 481. Idem D. Hieronymo Capiuaccio 482. vſque 507. Idem D. Petro Monauio 508, vſque 528

THOMAS MOVFETVS, D. Petro Monauio, 529. vſque 533

VALERIVS CORDVS D. Andreæ Auriſabro, 534

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CAVTVM eſt S. Caſ. Maieſt. Decreto, ne quis Typographus, vel quocunq; modo negotiationē librariam exercens, hoc EPISTOLARVM MEDICINALIVM opus, quod nunc primum LAVRENTIO SCHOLZIO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, foràs datur, per x. annorum ſpacium, à prima editionis die computandum, intra fines ſacri Romani Imperii, Regnorumq; & Dominiorum Caſ. Maieſt. hereditariorum, ſimul vel ſeparatim, eodem aut diuerſo charactere, formaue recudere, aut alio recudendum dare, vel alibi expreſſum importare, vendere quouis modo diſtrahere, aperte, vel occulte, abſq; prædicti LAVRENTII SCHOLZII, eiuſq; hæredum, volũtate ac conſenſu præſumat. Qui ſecus fecerit, is non ſolum libris impreßis: ſed etiam decem, auri puri Marchis, ſine vlla venia mulctabitur, vt latius declaratum eſt in ipſo Diplomate Cæſareo. Datum in ciuitate noſtra Imperiali Ratisbona die 20. Menſis Iulii. Anno Chriſti 1594.

RVDOLPHVS

Io. W. FREYMONIVS.

Ad mandatum S.Cæſ.Maj.
proprium

Io. BARVITIVS.

EPISTOLAE MEDICINALES.

EPIST. I.

ABRAHAM SEILER MEDICVS princ[i]is Bregenſis, &c. Ioachimo Baudiſio Med. S.D.

HABENT nonnunquam, clariſſime vir, morbi eorumque ſymptomata, vt quotidiana teſtatur experientia, aliquid præter ideam proprium peculiare, quo ipſorum inuaſiones exacerbantur. Hoc & regulares curationes cauſas reſpicientes denotant. Et ſane verendum id in coniuge generoſi N. N. vſu venire, quæ ſingulari opera doctiſſimorum Medicorum reſtitui non potuit, ſymptomata io peius, vt literis ſignificas, ruunt. Ne autem ſus Mineruam videarur, hoc tibi præſcribere, cum ipſemet, quod equidem lubens certis de cauſis feciſſem, ad vos ob molem negociorum meorum recurrere non poſſim, libuit. *Epilepſia recidens.* Epilepſiæ ſiue per conſenſum, vel eſſentiam fuerint, & cauſis antecedentib. ſublatis ſi recurrunt συναίτιον αἴτιον ſubeſſe, quæ cauſa vel in ventriculo, vel inteſtino colo, vel matrice, vel externo membro hæret. Vt autem auferri poſſit ad medicamenta ſpecificis vniuerſalibus appropriata, vt vocant, recurrendum eſt, ſi talia excogitari poſſint. Et facile mihi perſuadeo præter cerebrum affectum, colon inteſtinum, ventriculum, & matricem cõſentire. *Experimentum quod in quadratura exhibendũ.* Expertus ſum ſæpe numero in epilepſia confirmata, ſi in quadratura, & in ipſo paroxyſmo præſentis medicamenti inſtar fabæ exhibitũ fuerit, quod multi etiam adultæ ætatis liberati ſint: quo & generoſa domina ſine moleſtia vti poterit ſi ubi videbitur. Eſt mirificæ efficaciæ in concurſu multarum cauſarum. Proſpiciendum etiam ventriculo & matrici vnguentis minus odoratis & emplaſtris, ne euaporando ſua excrementa cerebro communicent. Per interiora multis medicamentis, cum reſpuat, moleſtare non video ex vſu eſſe. Hęc breuibus currente calamo ad te exarare volui, vt petitioni tuæ ſatisfacerem. Habes enim me ad quæuis officia tibi deuinctum. Dabantur Vratislauiæ 13. Octob. anno 1570.

EPIST. II.

ABRAHAM SEILER MEDICVS, &c. Ioachimo Baudiſio Med. S.D.

AFFECTIONES, quibus nobilis vir moleſtatur, ex lõgo epatis vitio reſultant. Coaceruat indies multas cruditates ex ocio & ingluuie. Ita enim comparatum eſt, quando ægri ad ſatietatem vſq; corpus non replẽt, ſe frui in ualetudine mediocri. Cum ignorent frugalitatem magnum eſſe vectigal ſanitatis. Morbos ex repletione contractos curandos eſſe euacuatione nos non ſolum ſenex noſter, ſed quotidiana docet experientia. Cum ergo corpus ſcateat malis humorib. omnino commodis medicamentis euacuandum. Nota eſt mihi ægri natura, & corporis diſpoſitio, imaginatur ſe priſtinam poſſe acquirere valetudinem. Vtinam ars noſtra & natura hæc præſtarent, vt ſenectus in adoleſcentiam commutaretur. Sed hæc non ſunt artis noſtræ, verum vt affectiones, quas natura auxiliatrice pharmacia reſarcire poteſt, Medicus ſolummodo ſubit. Ad impoſſibilia nemo obligatur. Ad corpus euacuandum vniuerſaliter nihil commodius ſarza vt E. T. eſt ſententia. Vſum ligni vereor in corporib. epate calidiori præditis. Bene & feliciter vale. Dabantur raptim Vratislauiæ 22. Septemb. anno 1578.

EPIST. III.

ABRAHAM SEILER MEDICVS, &c. Paulo Cloſio, Phyſico Glac. S.D.

CONQVERITVR de febrili acceſſione de tertio in tertium, cum ingenti capitis dolore, vigiliis, vomitu nonnunquam, cibi inappetentia, atque virium deiectione. *Tertiana. Symptomata.* Certum eſt in ventriculo, atque primis venis: cum vrina ſit rubicundior, atque arenulæ ſemper excernantur, aliquam hærere materiam, cum etiam aliquando vomitus accedat, quæ fomes eſt febriculæ diuturnioris. *Remedia.* Suaderem ergo vt die quietis de nodulo ex rhabarbaro infuſo in vino hauſtu faceret, poſſet aliquid cinnamomi admiſceri. Die vero inuaſionis hauſtũ ex radice Chinæ propinarem (vel darem puluetis ex zedoaria, nuce condita, & caphura confecti ʒj.) *Hauſtus chinæ.* caperem ℥ß. & cum ℔. iiij. aq. decoquerem ad medietatis caſum, in fine al'quid ligni aloes inijcerem, vtpote ʒß deinde colaturam dulcorarem cum ℥j. ſacch. candi, de hac potione darem ℥v. cum aliquot guttis aq. cinnamomi. *Puluis zedoariæ.* Carpo quoque ante paroxyſmum adhiberem nodulus ex ruta, abrotano, ſaluia & burſa paſto- *Nodulus carpo applicandus.*

ris confectos. Sunt autem madeſaiendi in aceto vini. Quod ſi poſt vſum febris non remitteret, darem catapotia cõciliatoris, quæ aggregatiuæ nuncupantur cum extract. ellebori nigri 4. vel 5. granis. Dolur capitis vt ſopiatur poſſet epithema ex aquis plantag. roſar. melil. hederæ arboreæ & verbenæ applicari, cui aliquid aceti adiiciatur, vt vis melius pertranſeat. Ventriculum quoque, vel vnguento aliquo, vel cerato roborarem. Expertus ſum etiam ſi ante acceſſionem febrilem telæ araneæ cum vnguento populeonis incorporatæ carpo & temporibus, vbi pulſus comprehenditur, appuſitæ fuerint, multum contuliſſe. Bene vale, & me ama.

In dolore capitis.
Epithema.
Experimentum.

EPIST. IV.

Abraham Seiler Medicvs, *&c. Paulo Cloſio Med. S. D.*

INtellexi ex literis tuis coniugem iſtam nobilem febri tertiana notha laborare, & dolores intenſiſſimos circa vmbilicum, & in exterioribus in ipſo paroxyſmo multum moleſtiæ adferre, atq; vires deterere. Adhibita ſunt commodiſſima ſecundum rationem medicamenta, verum cum malum non recedat poſt euacuationem electiuam, omnino mediam partem philonii pixidi incluſi ante paroxyſmum cum hoſtia præberem. Hoc ſane non ſolum ad febrem deturbandam, ſed etiam dolores demulcendos commodum erit. Poſt media quantitas vno bolo, vel ad ſummum, duobus deglutiri. Neque negligerem fomentationes ex anodynis concinnatas, forma commoda eſſet, ſi ſacculus cõficeretur, & loco dolenti applicaretur. Dorſum inungerem infrigidante, cum non ſentiat horrores inſignes ante paroxyſmum, ne materia fuliginoſa nimium ad articulos decumbat. Magis per vrinam fluet, ſi iuſculis aliquid radicum feniculi incoctum fuerit. Poſt philonii vſum omni mane darem ſucci plãtag. depurati cũ vino non potenti, ſed oligophoro ℥j. Ita enim nõ ſolum appertionis habebitur ratio: ſed etiam membris naturalibus robur addetur. Quantum ventriculus & epar ſolis aperientibus labefactetur, ſi ipſorum vſus nimium continuatur, experientia abunde teſtatur. His ſi febris & dolor non remitterẽt, repeterem alteram partem philonii ante paroxyſmum. Carpo etiam poſt euacuationem adhiberem nodulos ex abrotano, & aceto irroratos ante paroxyſmum. Enemata plurimum conferrent ſi poſſit perſuaderi.

Vale.

Tertiana notha.
Philonii ante Paroxyſmum vſus.
Succus plantaginis.
Nimia apertientia nociua.

EPIST. V.

Idem Melchiori Lato[illegible] *Reip. Vratisl. Secretario. S.*

QVod hactenus ab eo temp[illegible], quo in ędibus Ducis fuimus, co[illegible] tecum non licuit, fato id imputandu[illegible] ſſe auguror. Siquidem Ducem noſtrum [illegible]go temporis ſpacio Vratislauiæ deg[illegible]em ſequi, cum tamen alias hoc onus in[illegible]ſſimis itineribus mihi imponatur, nulla [illegible]ur occaſio, vt tua & aliorum amicorum [illegible]undiſſima cõnſuetudine frui potuiſſe[illegible] Spero Devm opt. max. his daturum finem. Q[illegible] in ſtatu res meæ ſint breui ſuſiſſime tibi cõmunicabo. Quod ad catarrhum, quo indies excruciaris, attinet, ſuaderem vt tuis decoctionibus, quæ materiam ex capite ad fauces, & pectus delapſam abſtergunt, leniunt, atque expulſioni aptam reddunt, matutino tempore alternatim vtereris, nocturno vero ab his deſiſteres, ne occaſio defluxionib. præbeatur, licet ad expulſionem ſint medicamenta familiaria & accommodata; tamen cum materiæ influxum, qui potiſſimũ noctu contingit, non inhibent, vterer gargariſmis repellentibus deſtillationem, atq; ita ſine dubio ob varietatem medicamentorum, & materia abſumeretur & repercuteretur, ne tam magno cum impetu ad thoracem deflueret. Addam & hoc, quod ad reuulſionem materiæ ſpectat, vt per vias conuenientes, & propinquiores materia excernatur, quod commode per nares fit. Itaque mane poſtquã hauſeris decoctiones alternatim, accipe puluerem ſternutatoriũ, & cum aqua maioranæ naribus immittito. Senties multum auxilii tibi allaturum. Nam non ſolum materiam ſuperfluam & nocuã expellit, verum etiam robur addit cerebro. Vale. Olmiæ, Anno 64.

In catarrho decoctionibus mane et noctu gargariſmo repellentibus vtendum.
Puluis ſternutatorius.
Gargariſmus.

℞ Roſar rub. m. ß.
Herbar. plantag.
Prunellæ, an. m. ij.
Betonie.
Capillor. Vener. an. p. j.
Malicorii. ʒj. ß.
Balauſtior ℈ ij.
Decoq. in ſ. q. aq. leg. artis ad tertiæ partis conſumptionem.

℞. Decocti. lib. ij. ß.
Syrupi myrtini. ℥ ij.
Diacodii. ℥ j. ß.
Miſce, fiat gargariſmus.

℞. Puluer. nigel. ʒ ij.
Pyrethri.
Piperis long. an. ℈ ij.

Zinz.

Zinz.alb.℈j.
ſce fiat puluis ſternutatorius.

EPIST. VI.

IDEM NICOLAO TAVRELLO *Medico, &c.*

Febris maligna. FEBRIS,q e paſſim graſſatur,non eſt purgantibu nedicamentis irritanda: Habet enim præte variam humorum commixtionem aliqu peculiare, ſcilicet, qualitatem » venenoſa Quæ dum humores commo» ventur,p gantibus, radicitus cordi imprimitur. Ideo qui hoc morbo Epidemico apprehenduntur, primo quoq; tempore aluo emollita, illis vena ſecanda, demum puluis *Vena ſectio.* deſcriptus pondere ʒ j. cum aquis cordialibus præbeatur, qui ſi periculum imminet, quod ex ſubita virium deiectione deprehẽditur, ſingulis ſex horis exhibendus. Ita enim venenoſa qualitas extinguetur, & cor ab eius impetu immune reddetur. Continuandum tribus quatuorue diebus, quod ſucceſſus declarabit. Aluus autem ſyrupo pondere ℥ iij. cum admixtione aquæ alicuius cordialis inanietur. Et vrgente neceſſitate ad emolliendum ſine noxa quocumq; tempore exhiberi poteſt. Conueniens tempus eſt hora vna atq; altera ante paſtum mane & veſperi, Vale. Vratisl. Anno 71.

EPIST. VII.

IDEM D. DANIELI SCHEPSIO *Phyſico Schuuidnicenſi. S.*

EX litteris tuis, chariſſime Domine Doctor, Intellexi coniugem tuam chariſſimam ſæuiſſimis moleſtari ſymptomatibus, quæ ſane venenum ſubeſſe arguunt, præſertim cum eiuſmodi periodice, & per interualla, recurrant. Num vero venenum *Venenum in corpore genitum.* propinatum ſit valde ambigo. Ego crederem in ipſo ventrieulo, longitudine morbi labefactato, tale quippiam genitum. Si enim ex optimis alimentis, lacte, vitellis ouorum, ſemine, ſanguine, vitiatis, deleteria vis reſultat, cur non magis ex corruptis excrementis. Siquidem alimenti reerementum aptior eſt materia veneno, quam vtile & elaboratum alimentum. Duo membra Galenus conſtituit, in quibus venenum gi*In ventriculo & vtero ignis poſſe venenum oc*[illegible] gnitur, ventrieulum & vterum. Hunc quod excrementorum vniuerſi corporis receptaculum atque ſentina ſit; illum vero quod vario ciborum vſu moleſtetur, ita vt non nunquam cibum debite ſuperare non p ſit. Malum principaliter in ventriculo hærere, & non in matrice, argumento eſt, quod ſtatuto tempore menſes profluunt, neque tempore menſtruorum hoc malum exacerbatur. Oſtendunt bilioſæ vomitiones. Quod autem venenum poſſit in ventriculo gigni, quod vim externi æquet, & in corpore latere & per interualla affligere, oſtendit Gale.3.& 9.de loc.aff.cap.7.& 6.cap 5. Et Hippocrates in pleuritico 3. Epidem. Cauſa autem non eſt innatus calor; ſed extraneus occupans materiam, quæ ſub innato, tanquã rebellis relinquitur. Et ſic ex tranſmutatione per putredinem, vel corruptionem gignitur. Non deprehenditur gradus quantitatis, vel qualitatis materiæ, ex qua venenum per tranſmutationem genitum eſt, nec modus tranſmutationis. Ideo in curatione cogimur ad generalia confugere. Ventriculus tam per ſuperiora à corruptis humoribus liberatur, quam per deiectiones. Leue vomitorium, quod caret occulta vi, nihil proficit, ſiquidem nec ſpontaneæ vomitiones mali alleuationem adferunt. Ego ſane non vererer vſum ſtimmi dextre *Stimmi vſus etiam in infantibus.* præparati, quod & infantibus recens natis tuto & felici cum ſucceſſu præbeo. Nec puto nos à ſenis ſententia recedere, ad validiora confugientes auxilia. Valen morib. enim *2 Aph. 52. 1 Aph. 6.* morbis potentiſſima remedia optima ſunt. " Talia ſunt, quæ ex mineralib. comparantur, quæ falſo Theophraſto illi Paracelſo adſcribuntur. Notum enim eſt veterib chemiam fuiſſe familiarem. Ignis etenim benefi- *Chymia falſo Paracelſo aſcribitur.* cio medicamenta meliora redduntur, dum " ſubtilior rerum portio à craſſiore ſeiungitur " quæ ſine omni naturæ incommodo efficaciſſime vires ſuas exerunt. Vt enim cibi ſuccus purus vtilior, & coctu facilior, quã craſſus, ita etiam tenuior & ſubtilior pars ex herbis & metallis elicita plus efficaciæ, quam puluerea ipſorũ in ſubſtantia obtinent. Non recedimus hic à methodo rationali, multo minus à ſententia Hippocratis; immutamus duntaxat medicamenta, ſubſtituendo ea quæ minimo temporis ſpacio plus auxilii ſine virium deiectione in parua quantitate allatura ſunt, ac ſi alia in magna copia exhiberentur, & ſine optimo fruſtraremur. Poſt vſum ſtimmi propinarem ad aliquot dies puluerem ſubſcriptum.

Puluis alexipharmacus.

℞. Puluer. Smaragdi.
Hiacynthi.
Margarit.
Corallor.
Boli armeni oriental.
Præpar.
Scobis Eboris. an. q. ſ.

Quod ſi malum recurreret, darem & al-

Rotula ex Antimonio.

tera vice rotulam ex Stibio, quarum duas tranſmitto. Non intermitterem quandoq; præſertim cum aluus nō reſponderet vſum

Oxymel helleboratum.

oxymellis belleborati. Eſt enim mirificę efficaciæ. Hæc breuibus ad te pręſcribere volui, vt petitioni tuæ ſatisfieret. Vale. 21. Nouemb. An. 73.

EPIST. VIII.

IDEM D. GEORGIO BEHR, *Phyſico Saganenſi.*

REVERENDVM Dominum Abbatem Chariſſime Domine Doctor, de capitis dolore acuto, catarrhis, vertigine, ſomno inquieto, ac aliis ſymptomatis expituitoſis, frigidis, craſſis & lentis humoribus proficiſcentibus, conqueri, ex literis tuis intellexi, quæ quidem etſi R. D. in ætate conſiſtentiæ conſtitutum in morbos periculoſos nondum deduxerit; tamen apoplexiæ aduentum denunciant; Si Auicennæ & experientiæ quotidianæ credendum. Licet ante quadrageſimum annum. Hippo. teſte, non accedat; Attamen poſtmodum cito inuadit, & præſertim crapulæ, iræ, & aliis affectib. animi & corporis indulgentes corripit.

lib. 3. tractatu 5. c. 13.

Apoplexia ante quadrageſimum annum non accedit.

Cum autem D. Abbas enumeratis ſymptomatis afficiatur, & quadrageſimum annum ſuperauerit, ac ob Aſtrologorum quorundam prædictiones vereatur morbi huiuſmodi inſultum, qui facile interimit, & non admittit curationem, optimum erit vt præcautione malum euitetur. Fortē enim Apoplexiam curare eſt impoſſibile, leuem vero non facile. Proſpicietur ergo conuenienti diæta, & commodo medicamentorum vſu. Hoc vt felicius inſtituatur omnes cauſę, apoplexiam concitantes conſiderandæ ſunt.

Cauſa.

Apoplexia vel ab intemperie nuda, vel à materia in corpore collecta proficiſcitur. Intemperies nuda ſubſtantiæ cerebri impreſſa pręſeruatione euitatur, ſemel vero inducta nunquam curationem recipit. Materia autem vel eſt corpulenta, craſſa, & viſcida, & hæc vel humor pituitoſus, vel Melancbolicus in cerebro collectus, vel etiam ſanguis nimia copia ſuperabundans, vel vaporoſa, vel vapor craſſus obſtruens, vt in temulentis.

Apoplexia rara à nuda intemperie

De nuda intemperie nihil dicam; cum raro inde apoplexia oriatur, tum quod R. D. optime capiti frigido & nebuloſo tempore proſpiciat, atque partes neruoſas muniat, ventoſque auſtrinos fugiat. Hoc duntaxat monere volui, ne potum cibumue capiat dum pedes madent, vel refrigerati ſint. Nihil enim magis cerebrum ad intemperiem, præter enumerata, deducit.

Refrigeratis & madentibus pedib. cibum capere cerebro noxium.

Materia autem, quæ dicta ſymptomata facit, eſt humor pituitoſus, frigidus, craſſus & lentus. quo ſi obſtructiones in cerebro figerer ..ar, facile apoplexiam inducerent. E.. commoda victus ratione, & medicame ..s idoneis euincetur. Ideo nihil tutius quam vt collecti humores auferantur, q commodiſſime vere & autumno educi ..tur. De Melancbolico humore, cum ſit .. D. bono & hilari animo præditus, non ..ſt quod ſimus ſolliciti. Quod ſi R. D. con ..ueuerit adhibere phlebotomiam, non eſt ..t inconueniens tempore veris; ſed ne ma.. ..a copia educatur, neque frequens ſit, c.. ..n ad apoplexiam deducat, ſuadeo. In autumno omnino intermittat. Facta igitur alui lenitione, & præmiſſa venæ ſectione, ſi videbitur, diuinum eſſet auxilium, Decoctum ſarſæ veris tempore.

Decoctū ſarſa diuinum remediū in præſeruatione Apoplexia.

Etenim non ſolum materiam detergeret, incideret & obſtructiones, ſi in viſceribus ſubeſſent, ſolueret; Verum etiam interiora membra, pręſertim cerebrum roboraret. Indulget enim R. D. genio, & nonnunquam plus, quā par eſt, ingurgitat, vnde coctiones turbantur, humores crudi colliguntur, ex quibus obſtructiones reſultant, & membrorum internorum vigor deiicitur. Pararem decoctum hoc modo;

Decoctū ſarſa paraglia.

℞. Sarſæ minutim inciſæ. ℥ ij.
Flor. primulæ veris, lilii conuallii an. M. 1.
Semin. Fænicul. ʒ vj.
Aquæ lib. iiij.

Macerentur boris XXIV. deinde ad caſum medietatis decoquantur, in fine decocti iniiciantur Agalochi ℈ iij ß. Et colo trāſmiſſa ſeruentur ad vſum in lagena vitrea Mane de hoc decocto datem ℥ v. vel vj. adiectis ʒ j. ß. aq. cinamomi, vt R. D. corpore bene cooperto ſudatet, abſque virium tamen iactura. Abſumpto decocto purgarem materiam catapotiis Alexandrinis, quibus aliquid aurearum, & ſine quibus, adderem, hoc modo;

Pillulæ Alexandri de Nitro.

℞. Maſſæ pill. de nitro ℈ ij. aurearum, ſine quibus an. ℈ ß.

Cum aqua primulæ veris formentur pillul. num. 17. vel 19. Poſt vſum repeterem decoctum per quatuor dies, quo abſoluto exhiberem pillularum Alexandrinarum ʒ j. In autumno, ſi non recuſaret R. D. vſum ſarſæ, repararem decoctum, abſque ſectione venæ, & euacuarem quinto quoque die pillulis aureis & de nitro. Quod ſi potius loco ſarſæ ſyrupis & decoctis detergentibus delectaretur, non eſſet alienum à noſtris intentionibus. Hyeme ſingulis menſibus prodeſſent alephanginæ, vel maſticinæ vel ex aloe roſata Arnoldi, quas etiam

cum

um aluus non reſponderet, probarē Ventr. ulo interim proſpiciendum, ne pituitoſos h moreſ gignat, atque cerebro, ne temporis, tractu, vel intemperies aliqua imprima. vel à collectis humorib. obſtruatur. Qu ommode fiet in æſtate ſi ex ſuccino præ trato, & ſpeciebus Diarrhodonis cum ſacc ro, in aq a cetaſorū nigrorum diſſoluto rmentur orbiculi, de quibus alternis die ſ aliquot mane capiat. Hyeme vero poſſ Tragæa, & Electuarium alternatim ex eti Item Diacorum. Trageæ non ſ cerem opoponacum, cum teſte Rhaſe . cont. noceat neruis & cerebro. Quod ſi optaret aquam vitę, poſſet hoc modo confici

Opoponax noxium neruis.

... vita

℞ Vini maluati deſtillat. ℔. ij.
Herbar meliſſæ.
Flor lilii conuallii.
Anthos.
Lauendulæ.
Borrag.
Primulæ veris. an. M. j.
Granor. Paradiſi ℥ iij.
Cubebar.
Cinnamom.
Nucis Moſchat. an. ℥ ij.

Inſolentur mixta obturato vaſe, ne quicquā tranſpiret, per integrum menſem, & exprimantur poſtea. De hac ſingulis menſibus in nouilonio & plenilunio, mane cum buccella panis albi capiet ℥ ß. Mane etiam eſſet ex vſu, vt R. D. gargariſando os elueret. Poſſet hoc modo parari.

Gargariſmus.

℞. Radio. calami odorati.
Nucis Moſcat.
Stœchad.
Maceris.
Maiorana. an. ℨ ß.
Decoq. in ℔. j. aquæ puræ adde colaturæ.
Aceti roſacei. ℥. ß.
Mellis roſacei. ℥ i. ß.
Sinapi pulueriſati. ℈ ß.
Miſce.

Maſticatoria & Errhina concutiūt cerebrum. Prodeſt etiam Cubebarum maſticatio mane, Abſtinerem ab aliis maſticatoriis, præſertim errhinis, quod nimium concutiant cerebrum. Cæterum habeo pro ſingulari experimēto in arcenda apoplexia vſum ſub ſcriptarum pillularum, de quibus ℈ j. ad noctem nouilunii & plenilunii exhibeo, etiam æſtiuo tempore. Debet autem cæna frugalior antecedere;

Experimentum in præſeruatione.

℞. Cubebar.
Calamenti.
Maſtich.
Nucis Moſcat.
Caryophyllor. an. ℨ j.
Ambræ. ℨ ß.
Moſchi. gr. vj.
Cum ſucco maioranæ formentur pillulæ.

Diæta.

Victus ratio ſi opportuna accederet, facile aſſequerentur ea, quæ optamus. Verum cū hoc ſeculo varietas ciborum & concertatio poculorum R. D. ad tuendam dignitatem ſit vſitata, tædioſum eſſet aliquid adſcribere. Conſulerem tamen vt ferculis libanotis incoquatur. Hoc breuibus ad te exarare volui, vt & tuæ petitioni, & optimæ voluntari atque expectationi R. D. ſatisfiat. Chriſtus Cœleſtis & ſummus Medicus omnia ſecundet, Vale. Vratiſlau. Anno 77. 10. April.

EPIST. IX.

IDEM D. PAVLO CLOSIO *Phyſico Glacenſi, S.*

ALIQVID diuini morbis ineſſe, atteſtatur Hippoc. in prognoſti. hoc anno abundè expertus. Quod equidem & in iſto iuuene fieri factum eſt. Etſi corpus huius medicamentis idoneis ſatis ſuperque à peccantibus humoribus, qui febrem, & alia mala concitarunt, liberatum ſit; tamen reſtant varia ſymptomata, quæ mirum in modum vires corporis deiiciunt. Dolor & vigiliæ quæ quantum detrahant viribus, non eſt opus rationibus, vbi experientia loquitur. Accedit & ſudor diaphoreticus, qui non ex humorum malorum reliquiis, neque alimenti copia reſultat, Verum magis naturæ imbecillitatem arguit, & ſymptomatice corpus affligit. Hæc reſtant poſt inſtitutam methodicam atque rationalem curam, quæ ſui ablationem requirunt. Cum autem alui adſtrictio concurrat, præ omnibus adnitendum, vt aluus reſpondeat, alias fruſtra vel optima auxilia adhibentur. Cō modius remedium applicari nō poteſt, clyſtere ex iuſculo caponis cum Saccharo craſſo confecto, quo ego tribus ſeptimanis indies aliquando bis terue in Italia vſus ſum. Hoc non ſolum aluum ſoluit; ſed etiam corporis vires reſtaurat, atque reſocillat, quod & paſſulæ lotæ ante paſtum ſumptæ præſtant. Balneum aquæ dulcis, ſi aliquid roſarum rubearum, & florum nenupharis iniectum fuerit, ſomnum conciliat, dolorem demulcet, ſudorem inhibet, atque appetitum promouet. Conciliat quoque ſomnum medulla cerui recens ſi tempora inungantur ad noctem. Ab opiatis abſtinendum. Confert & hic puluis mirifice non ſolum ad ſomnum inducendum; verum etiam vires reſtaurat, ſomnia horribilia arcet, atque ſudorem inhibet.

Dolor & vigiliæ vires proſternunt.

Sudor diaphoreticus.

Clyſter ad... meſtiuum.

Balneum ſomniferum.

Medulla cerui.

Puluis ſomnum inducens & corroborans.

℞.Smaragd.
Hiacinth.
Margarit.
Corall.
Boli armen.
Scobis Eboris an.q.ſ.
In pollinem redigantur.

Ad noctem ſub ingreſſum lecti, quantum media teſta nucis ponticæ capit, propinatur. Quod ſi ſudor non cedat, exhibeatur vocata nouella & applicetur cordi, axillis, collo atque inguini ſubſcriptum epithema linteolis:

Epithema.

℞.Folior.myrthi.
Cortic.granator.an.ʒ.iij.
Gallar.
Mannæ thuris.an.ʒij.
Balauſtior.ʒj.ß.
Aq.tormentill.
Roſatum.an.℔.j.

Bulliant ſemel atque iterum & colentur.

Vnguentum ad ſpinam.

Neque intermittatur inunctio dorſi ex lacte mulieris, facta cum butyro, & oleo violaceo, cui etiam roſaceum addi poteſt, cum mucillagine pſyllii. Reſtaurantes cibi quoquo modo confecti offerantur. Cæterum calculi quoque habenda ratio, qui ſi moleſtauerit, regio renum vnguento roſato Meſue inungi, & radix Ibiſci iuſculis adhiberi poteſt. Hæc vt & voluntati tuæ, & petitioni Domini Notarii ſatisfiat perſcribere volui. Vale Vratisl. 4. Auguſti. Anno.77.

EPIST. X.

IDEM D. GEORGIO BEHR, *Phyſico Saganenſi, S.*

EX literis tuis proxime ad me datis intellexi Reuerendum Dominum Abbatem curam inſtitutam feliei cum ſucceſſu abſoluiſſe. Vtinam victus ratio apta accederet, ne auxilia dextre adhibita videantur fruſtra eſſe exhibita. Tuum eſt, cum ſis præſto, ipſum admonere ne genio indulgeat.

Scriptis ſuperioribus menſibus ad me Generoſus & Nobilis Dominus N. N. vt animi mei ſententiam perſcriberem, quid ſibi in extirpanda podagra ſit faciendum, an eum CAVTERIIS huic malo ſuccurri poſſit. Ego ſane diligentia ſingulari incubui, vt bono viro, de re literaria bene merito gratificari poſſem. Cum autem videam in hoc malo etiam præſtantiſſima auxilia parum aut nihil conferre, mihi omnino perſuadeo vſum cauteriorum multum profuturum. Ichor enim præbens influxui occaſionem collectus pedetentim inanitur, & ſic articuli à ſuis moleſtiis liberabuntur. Ego tuæ ſententiæ omnino ſubſcribo, quod mihi ſummopere pla[illegible], cum ſit rationi & experientiæ conſent[illegible]. Antequam autem applicentur caut[illegible] operæ precium erit prius mũdificare [illegible]pus & primum experiri vſum in pedib[illegible]. Quod ſi iſta ad dolores podagricos ſop[illegible]ndos non ſatisfacient, etiam brachiis er[illegible] adhibenda. Quomodo peragendum ſit peculiaribus literis mandaui, cum alias ſit, harum rerum diligens indagator. C[illegible] am ad coniugem ſpectat, cum ſit phthi[illegible]oxia, in tempore proſpiciendum ne malum ſerpat, præſertim hoc tempore. Eſt enim Autumnus tabidis inimicus. Cum autem antea ex vſu fuerint præſcripta medicamenta, poſſunt & nunc, ſaluo tuo iudicio adhiberi. Mundificanda erunt prius membra, & mandantia atque recipientia, cum manna diſſoluta in decocto pectorali, & vt magis proſpiciatur interceptioni fluxus grana 8. pill. de Cinogloſſa ſub noctem exhibenda. Vale.11.Octob.Anno77.

Cauterium in podagra vtile.

Præſeruatio à phthiſi.

Pillulæ de Cynogloſſa.

EPIST. XI.

IDEM D. GEORGIO FLORSCHVTZ *Medico Schuuidnicenſi.*

NVdius tertius acceſſit me nobilis Dominus N. N. orans vt de ipſius corporis neutralitate meam ad te perſcriberem ſententiam. Quod equidem homini pio & bono denegare non potui, etiam atque etiam à te petens, vt in optimam accipias partem. Non dubium eſt repullulare hypochondriacam paſſionem, qua ſuperioribus annis longo tempore afflictus fuit. Oſtendunt oris ventriculi inſignis imbecillitas, quam frequentes ructus, & rugitus in ſiniſtro latere inſequuntur, ac cruditates multæ, item triſtitia, ac leuis anxietas cum linguæ ariditate. Fidem quoque faciunt, quod ante duos annos ſedecim menſes quartana laborauerit, quæ vt plurimum aliquid relinquit mali. Comitantur quoque affectum hunc capitis grauitates ob exhalationem vaporum, qui ſi non diſſipantur, dolorem quoque concitant. Quod ſi in humorem condenſatur frigiditate cerebri, in ventriculum labuntur, & affectum augent. Non ſunt confirmatæ paſſionis hypochondriacæ indicia, ſed potius quædam initia. Malum hoc ſi primo quoque tempore non auferatur, paulatim radices agit. Itaque non magno negotio expugnabitur,

Hypochondriaca paſſio.

temperatura non longe diſtet ab æquabili conſtitutione, & quod cuncta hæc accidenti potius, quam quod natura ita tuli[t], acciderint. Certum eſt enim vitia natu[ra]lia, cuiuſcunque modi fuerint, difficilius, q[ua]m quæ ex accidenti ſunt acquiſita expug[na]ri poſſe. Accedit & ætas florens, ac multarum vitium, quæ repognare maiori etiam m[od]o poſſunt, & anni tempus præſens comm[o]diſſimum ad exequendum noſtras contentiones, quæ ab effectu petendæ ſunt. Vitiata enim eſt ventriculi coctio ex intemperie iſto frigidiore. ac ſubeſt venarū meſaraic[arum] obſtructio ex crudis, & craſ[si]s humoribus ob prauam coctionem exorta. Transmittitur etiam ex liene plus æquo atribilarius humor, quæ omnia dicta Symptomata excitant. Cum autem intemperatura non ſimplex ſit; ſed cum humore, & adiunctam habeat obſtructionem: Ideo corrigi debet intemperatura, & obſtructio aperienda vt alimento per meatus venarum pateat progreſſus. Itaque elapſo plenilunio lenienda erit aluus, vel potiuncula vel tali bolo.

℞. Caſſiæ recenter extract. ℥ vj.
Diaphœnicon. ℨ j. ß.
Specier. hieræ ℈ iiij.
Miſce cum ſacchar. q. ſ.

Sequenti die, vt retrahantur materiæ petentes caput, ac vtrutius exhiberi poſſint de obſtruentia, ſuaderem vt ſectio venæ baſilicæ adhiberetur, deinde ſubſequentem potionem ad quatuor, vel quinque dies propinarem:

Potio digeſtiua.

℞. Syrup. de lupulis.
De Cichor. cum Rhabarb.
De fumo terræ an. ℥ ß.
Decoction. lupul.
Borrag.
Ceterach.
Cichor.
Cuſcutæ.
Sem. feniculi. ℥ iij.

Miſce pro vna, & ſic pro reliquis, aromatiſetur cum aliquot guttis aq. cinnamomi. His abſolutis ſumat purgans medicamentum, quale hoc eſt:

Potio purgans.

℞. Lupul.
Fumariæ.
Bugloſſ.
Cichor. an. p. j.
Liquitir. ℨ j.
Paſſular. ℥ ß.
Sem. aniſi.
Fenicul. an. ℈ j.
Cinnamom.
Zinziber. an. ℈ ß.

In ſ. q. aq. fiat decoctio, in fine adiiciatur:

Folior. Senæ. ℥ ß.
Flor. Cordial. p. j.
℞. Colaturæ. ℥ iij. his adde
Rhabar. Elect. ℨ j. ß.
Agaric. Trochiſcat. ℨ j.
Squinanthi. ℈. v.

Macerentur mixta aliquot horis, & poſtea calefiant, ac exprimantur fortiter, add.

Syrupi de tribus, vel roſac.
Solut. ℥ j. Aq. cinnamomi ℈ j.

Hæc purgatio ſingulis annis verno tempore ſufficiens eſſet ad reſiſtendum ſymptomatibus. Quod ſi interim expurgandus eſſet ventriculus, vel caput, leuiſſimis vterer medicamentis, & potius laudarem liquidam, quam aliam medicamentorum formam. Conferret optime ad obſtructiones tollendas venarum meſeraicarum, & educendas materias ibi contentas ſubſcriptus ſyrupus, qui cum iuſculo capi poteſt, vel cum decocto Cichor. & fenicul. *dosis* ℥ iij. Etiam eſſet ex vſu Rhabarbari crudi particulam deuorare. Vt autem capiti & ventriculo robur addatur, capiat de rotulis ſequentibus duas vel tres duabus horis ante prandium.

Rotula.

℞. Specier. diamuſci dulc.
Aromatic. roſat.
Diarrhod. Abbat. an. ℨ ß.
Sacchar. in aq borrag. diſſol. ℥ iij.
Miſce, fiat confectio in rotulis.
Poterit & ventriculus hoc vnguento inungi:

Vnguentum ſtomachale.

℞. Ol. Maſtic.
Nardini.
Camomil. an. ℥ ß.
Puluer. maſtich.
Mentæ.
Macis.
Corall. rub. an. ℈ j.
Ceræ parum. Miſce.

Hæc ad te, vt voluntati ægri ſatisfacerem, perſcribere oportuit. Vale. 10. Feb. Anno 78.

EPIST. XII.

IDEM D. WENCESLAO Raphano, *Phyſico Oppauienſi. S. D.*

Gilervm amicum noſtrum de puluere purgante fere *ἑπτικ*, mentionem feciſſe ex literis tuis intellexi. Is puluis conficitur ex radice Mechoacā, quæ ex Occidentali India ad nos transfertur, vtor hac radice feliciter in morbis chronicis & inueteratis, *Mechoaca.*

in podagra, aſthmate, hydrope & aliis morbis à materia frigida originem ducentibus. In æſtate & morbis acutis ab eius vſu abſtineo. Δόσις eius ʒj. ad ʒij. Propinatur cum cereuiſia, vel immiſcetur conſeruis, etiam Electuariis ſolutiuis.. Formantur inde etiam Catapotia. Infuſum parum aut nihil virium exerit. Cauendum autem ne in prandio vinum hauriatur, quod non ſolum eius facultates remoratur, & hebetat. Verum etiam omnino impedit, atque peſſundat. Idcirco cum nimium purgando vires deiicit, hauſtus vini, vel offa panis vino madefacta, exhibentur. Sunt & alia præſtantiſſima medicamenta, quæ nunc adferuntur, de quibus coram. Experimur indies hanc medicinam, cuius parua fuerunt principia, ſuos facere progreſſus. Nihil enim ſimul inuentum & perfectum eſt. Quod & Comicus nobis inſinuat in Adelphis. Nunquam ita quiſq; bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ętas, vſus ſemper adportet aliquid noui, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Chymici Enthuſiaſtæ ſuis pyreticis medicamẽtis magnum emolumentum conſecutos ſibi imaginantur, quæ ſi quis ſecum diligenter reputat, plus detrimenti inde corporibus inuri; quam commode acquiri, experientia quotidiana abunde comprobat. Valeant iſti carnifices ἄμυσοι, nos ea amplectamur, quæ ratione & experientia nituntur. Vale. Vratisl. 25. Feb. Anno 78.

Vinum impedit Mechoaca effectum.

Empiria Chymica periculoſa.

EPIST. XIII.

IDEM D. PAVLO BORECK, *Phyſico Bregenſi S.*

SVM valde anceps quid in medicamentorum exhibitione ſit conſtituendum. Etenim cum penſito ſententiam Hippo. in Aphoriſmis, & 6. Epidem. ſæpius repetitam (Quæ relinquuntur in morbis recidiuam facere conſueuerunt) ſumme moueor ad educendam materiam in corpore adhuc hærentem: Vice verſa conſiderans corporis impuritatem atque immundiciem; Vereor ne poſt tot eductiones materia commota, nouum nobis faceſſet negotium. Ego ſane ſi aluus reſponderet, & vtcumque Illuſtriſſ. Duciſſa ad ea, quæ offeruntur ſe optime haberet, ac bene quieſceret, à purgantium vſu abſtinerem. Corpus enim eius etiam ſi ad integrum menſem expurgaretur non redderetur purum; Eſt tamen vtcumq; & medicamentis, & naturæ conatu, expurgatum, vt minime commodum ſit iudicata mouere atque irritare. Nonnunquam natura etiam impuro ſanguine ſuſtentatur, quod in checticis & Phthiſicis vſu venit, quorum aliquando vita ad multos annos abſque purgantibus prorogatur. Quod ſi ad ſu-preſſam aluum inappetentia, & inquie... o accederent, vel horum quicquam ...eſſet, pillulas nuper confectas omni... exhiberem, poſtquam mẽſes ceſſauerin, tribus vel quatuor diebus poſt. Tu præſe..., quid ex vſu fuerit, commodius conſtitu... Indicio tuo omnino me ſubiicio. Vale. Vratisl. 4. Octob. Anno 74.

... puro etiam ſanguine ſuſtentatur.

EPIST. XIV.

IDEM D. IACOBO HORSTIO, *Phyſico Iglauienſi, S.*

SCRIBIS ad me Magnificum & Generoſum Dominum N. N. Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarium, Hypochondriaca Melancholia vltra annum moleſtari, & nunc morbum in declinatione variari, ac petis à me rationem medendi, vt tandem liberari à moleſtiſſimo malo poſſit. Etſi autem tantum mihi non arrogem, vt pro rei exigentia reſpondere poſſim: non intermittam tamen ea, quæ mihi cognita & obſeruata ſunt, ad te perſcribere vt intelligas me tuis votis deeſſe nolle. Nihil enim eſt, quod tui cauſa non ſubirem, quod tibi ſane perſuaſum habeas. Refers mali ſymptomata magis matutino tempore recurrere, poſt meridiem vero mitiora fieri. Quod denotat malum non per ſe ſolum ex ventriculi intemperie cum materia & meſariacarum obſtructione proficiſci; ſed etiam aliquid ex epate & liene, quod malum foueat, affluere. Fidem facit medicamentorum purgantium frequens repetitio, cui malum minime ceſſit. Nullo modo dãda eſt huic morbo quies. Dum enim radices agit, euelli nunquam poteſt, & ſemper grauiorum morborum præcurſor eſt, ſit autem S. M. bono animo, & obtemperet medicorum conſiliis, breui, Deo annuente, reſtituetur. Diligenter autem cauendum, cum materia partim tranſmittatur, partim etiam in ventriculo colligatur, ne vehementia, vel frequẽtia medicamentorum purgantium malum augeatur. Sicut enim electiue purgantia calorem innatum, cuius ope omnes actiones medici gubernantur affligunt, & ventriculum mala qualitate, cum humores vitioſos alliciant, imbuunt; ſic benedicta etiam medicamenta, quæ vi trahendi, vel emolliendi prædita ſunt, eandem noxam inferunt. Ac licet commodiſſimum eſſet à purgantibus plane abſtinere; tamen cum malum non niſi

Melancholia Hypochondriaca.

Prognoſticum.

per

per συγκρασιν & contemperationem tolli poſſit, ἐπικράσει vtendum, & vitioſum paulatim t… …dum, ita vt bonum in illius locum repona… ır, & roboretur, ſimul ventriculus ne admittat ea, quæ tranſmittuntur, venæque meſeraicæ apertæ, ac meatus epatis & lienis minime impediti ſint opera danda. Rhabarbari extractum, cum Agarico Trochiſca… …mum eſt. Placeret etiam Rhabarbarum … ſubſtantia cum exigua quantitate agarici & aloes, ita vt aqua Cinnamomi in qua maſtix ſit ſoluta, irroretur, & cum ſyrupo de … ibus vel roſaceo ſolutiuo maſſa fieret, vt ex ſpecie hieræ ſimpl. ℨ ß. Rhabarb. electiſſ. ℨ ij. ſpicæ ℈ j. Squinanth. g̃. vj. cum ſyrupo de Endiuia fiat maſſa, de qua ſumatur quantitas conueniens per horam ante cibum. Poſſent & tali medicamento vitioſi humores paulatim euacuari;

Extractum Rhabarbari.

℞. Paſſular. per ſetaceum tranſmiſſ. ℥ iij.
Rhabarb. opt. aq. cinnamomi irrotati ℥ ß.
Specier. diarrhod. abbat. Diatrion. ſantal. an. ℈ ij.
Miſce.

Electuarium lenitiuum ex Rhabarbaro & paſſulis.

Datur ℥ ß. vel quantum pro alui ſubductione opus erit. Ad corroborationem ventriculi exhiberem mel roſaceum cum extracto agalochi, vel ſpec. Diaxyloaloes vt matutinis horis cochlear vnum aſſumeret. Non ſolum materiam abſtergat, ſed etiam ſymptomata matutine compeſcet.

Extractum Agalochi.

℞. Mellis roſacei opt. ℥ iiij.
Extract. Xyloaloes. ℈ ß. vel loco eius ſpecierum ℨ j. Miſce.

Nonnunquam iſto puluere vtor cum iuſculo, datur ad ℨ j.

Puluis ſtomachalis.

℞. Tunicar. ſtomachi galli. ℨ ij.
Spodii præparati.
Oſſ. de corde cerui an. ℨ j.
Margaritar. præparat. an. ℨ ß.
Specier. diarrhodon.
Aromatic. roſat.
Diamargarit. frig. an. ℈ j.
Miſce fiat puluis.

Foris etiam inunctiones, vel fomentationes adhiberi poſſunt ventriculo. Multum quoque auxilii attuliſſe ſcimus inunctionem Epatis ex vnguento de ſuccis, & Lienis cum vnguento Agrippæ cum aliquid materiæ ex iſtis etiam membris tranſmittatur. Habenda etiam eſt ratio ſomni, qui lotionibus pedum & brachiorum prouocari poterit. In eiuſmodi malo felici cum ſucceſſu ad quietem & corroborationem exhibeo puluerem ſubſcriptum, quantum apice cultri bis capi poteſt, ſub ingreſſum lecti;

Vnguentum ex ſuccis Agrippæ.

Somni prouocatio.

℞. Puluer. Smaragdi.
Hiacynth.
Margaritar.
Corall. præparat.
Scobis Eboris.
Boli armen. an. q. ſ.
Miſce fiat puluis.

Cæterum Magnificus Dominus magno ſit animo, ſibique perſuadeat. Cum morbus ſit in declinatione, ſe omninò liberatum iri. Chriſtus cœleſtis medicus benigne ſecundet. Vale. 12. Decembr. Anno 1580.

EPIST. XV.

ADOLPHVS OCCO MED. &c. N. N. S. D.

NON eſt aliud medicamentum humano corpori ita familiare, ſicut Rha quod Barbarum vocant, cuius frequens etiam vſus nihil incommodat prorſus, id ſi mane maſticetur pondere vnius ſcrupuli, deinde deglutiatur, non tantum aluum ipſam molliorem atque obedientem reddit, in iis maxime, qui ſuapte natura aſtrictæ alui ſunt, ſed ea etiam maſticatione caput expurgat, ſenſus omnes vegetiſſimos reddit, ventriculum & reliqua membra ſi quid aliud mirandum in modum corroborat, citra inſignem excalefactionem. Materias tam pituitoſas, quam bilioſas & aduſtas à corpore eiicit, neque propterea aliquam noxam ex longo eius vſu corpori affert, ſicut reliquæ faciunt medicinæ. Eſt etenim omni ex parte medicina tutiſſima & nullius prorſus nocumenti. Dentes etiam, præter alias vtilitates, ab omni putredine & nigredine conſeruat, gingiuas ſolidas reddit, anhelitum commendat, adeoque diuinum omnino remedium eſt, & tibi his de cauſis maxime familiare eſſe debet. Habeo ex Montano, Hydropicum quendam facie, ventre, pedibus, atque adeo toto corpore intumuiſſe, atque in ſummo fuiſſe periculo, ita vt plerique de ipſius ſalute deſperarent, is fato neſcio quo monitus, cœpit vti rhabarbaro modice primum, ex quo ſubducebatur aluus, & ſeroſitas ſine moleſtia, & optime habere cœpit, is augebat pondus quotidie, ita vt à drachmis ad vncias deueniret, atque eas deuoraret, & tandem integras libras, contigit vt euacuarētur humores noxii, corroborarentur membra & non tantum hydrope liberatus, atque adeo omnibus pro miraculo habitus eſt, ſed membra

Elogium rhabarbari.

Hydropicus vſu rhabarbari frequenti ſanatus. Vt & vulnus capitis lethale eodem fine.

quoque robuſtiora exinde facta, calor totius corporis optimus, & functiones ſeu operationes corporis omnes rediere, vixit ſanus & incolumis citra vllam infirmitatem vſque ad primum ſenium, multas interim congeſſit pecunias, quas cum vidiſſet aliquando ſeruus ſicarius, ipſius vitæ inſidiari cœpit, & eum occidere creuit, vt puto pecunias ſurripere poſſet: ingreſſus aliquando thalamum, in quo cum decumbebat herus, acuto gladio, quem piſtaleſum vocant, ſub veſtibus celato, vno ictu caput amputare decreuit, quod & tentauit: ſed res parum feliciter ſucceſſit, inflixit quidem lethale vulnus, ſed prorſus interimere non potuit, proſiliit enim ex lecto, & quanquam lethale vulnus accepiſſet, tanto tamen robore præditus erat, vt & ſicarium contineret, donec opem illi ferrent vicini, & parricidam caperent. Acceſſerunt tandem chirurgi, qui cum viderent vulnus lethale, cœperunt deſperare de ipſius ſalute, relinquebant eum prognoſticis, putabant fore vt quarto die moreretur: cum accederent circiter diem quartum & vulnus aperirent, (quemadmodum in talibus vulneribus lethalibus fieri ſolet à peritis chirurgis, vt ante quartum non detegantur) reperiebant id citra vllam inflammationem purum & honum. Illud tamen quia lethale prorſus erat, putabant eum ſeptimo die, (qui & criticus eſt, & vulneribus magnis periculoſus, ſiquidem & melius vel deterius transmutatio fit) eſſe moriturum. Superuixit tamen ſeptimum diem, indies magis ac magis conualuit, & ad extremum vulnus ex integro coaluit, magna omnium hominum admiratione, & præter expectationem vixit ad vltimum vſque ſenium. tandem interrogatus, quonam pacto tantum corporis robur ſibi conciliaſſet, vt à lethalibus ægritudinibus euaſerit, reſpondit frequenti vſu rhabarbari. Hæc tibi vir humaniſſime, cum te erga mediocria etiam officia gratiſſimũ videam, communicare volui æquo animo, vt viciſſim aliquod gratitudinis ſpecimen accipetes, & vt tibi hoc medicamentum familiariſſimum eſſe poſſet, ad totius corporis robur conciliandum, & omnes ægritudines arcendas. Iſta nobis clariſſimus Ioannes Baptiſta Montanus communicauit priuatim domi ſuæ, mihi nimirum & domino Hieronymo Scribæ, piæ memoriæ, cæteris omnibus abſentibus, quæ vt bona ſunt, & nemini fere cognita, licet eius vſus ſit apud medicos quotidianus, ita tibi quoque ſoli ſerues togo. Vale.

Vulnera lethalia cerebri ante quartum non detegenda.

EPIST. XVI.

ANDREAS DVDITH AB HORCE vitiza, *Conſil & Orator Cæſar. &c. Clariſſimo viro Dn. D. Wenceslao Raphano Vratisl. Phyſico Oppauienſi, S. D.*

MIRARIS fortaſſe, cur ad non redieritis, qui tunm tantopere petebat & conſilium & operam. Cognoſco cauſam. Deterritus mercede, quam cum pharmacopæo poſtulabatis, Teſſinum proficiſcitur. ibi in chirurgum, qui lapides è veſicis exſecare ſolet, incidit, certam, vt ſolent, ſalutem, non magno precio, vendentem. Itaque illius ſe vanitati, vt ego ominor, totum tradit. Quem res exitum habitura ſit, audiemus paulo poſt. Ego vereor, ne imprudentiæ ſuæ pœnas det ſimul & auaritiæ. Sic ſolent plerunque, qui compendia quærunt, magna diſpendia referre. Sed valeat ille, & ſuo conſilio fruatur, quandoquidem noſtro parere noluit. Hæc ſcripſi, non tam vt ſcires quid conſilii ceperit is, qui iam meus eſſe deſiit œconomus, quam vt, cum te ſalutare decreuiſſem, longiorem ad te darem epiſtolam. quamuis tu fortaſſe æquiore animo inanibus hiſce literis meis carere poſſes. ſed ignoſce mihi, non poſſum pati, vt nuper admodum tam feliciter inita inter nos amicitia ſilentio elangueſcat, quam equidem vigere, & mutuis inter nos officiis augere inprimis opto. Neſcio quam ſis occupatus, hoc præſertim tempore, quo variis morbis vulgus infeſtatur, ſed ſi tantum eſt otii tibi, vt libeat animi cauſa, ad me excurrere, eris mihi gratiſſimus & expectatiſſimus hoſpes. Sed piſcatione delectaris, dabo operam, vt ſi alia omnia, certe id apud me deſideraturus non ſis. Mittam ſi voles, & cum voles, currum & equos. Si Puteanum habes de medicamentorum purgantium facultatibus, rogo te, vt eius vſum, ad aliquot dies, mihi accommodes. Legi non ita pridem Thomæ Eraſti, docti viri, eadem de re librum. cuius ſi valere ſententia debet, omnem profectu funditus, vt mihi quidem videtur, medicinam tolli neceſſe fuerit. Nam vt alia omittam, ſi nulla ſunt κεφαλικά· nulla ἡπατικά, nulla καρδιακά, & aliis membris accommodata, propriaque, vel vt vulgo vocant, appropriata pharmaca, ſed ſola vellicatione, aut acrimonia, aut etiam ipſa ciborum copia, facultas expultrix incitata, noxia quæuis propellit, & excernit; quid iam opus eſt amplius doctrina illa de alim. fac. de medic. comp. de morborum denique differentiis. Vnum aliquod, qualequale illud

Puteanus de purgantibus.

Eraſti ſententia de medicamentorum propriis facultatibus.

Contra Eraſtum.

ſit

ſit, medicamentum omnibus humoribus educendis, atque adeo omnibus morbis propellendis ſuffecerit. Puto te librum legiſſe. Quare non ero longior. Cupio tamen tuum de eo iudicium audire, tum de antimonio, & aliis Theophraſticis pharmaciis. Video multũ illis tribui à multis, & ſi vera mihi narrantur, curant magnos morbos ciniflones illi, & vt ille inquit, argenti extenebronides. Verum faciunt id & vetulæ ſæpe, vt triumphare iam contra rationales empirici poſſe videantur. Equidem, vt hoc quoque addam, vidi proxime præterita æſtate moleſtam ſcabiem (de qua curanda multa & varia, & longa quædam, veſtri præcipiunt) vnguento, quod hic quidam parat, depulſam eſſe quatriduo, nulla vel ætatis, vel ſexus, vel temperamenti habita ratione. priuigna mea 14. annos nata, ego 43. & alii diuerſæ ætatis, & complexionis, eodem vnguento, eodem modo adminiſtrato, ſine vlla moleſtia, conualuimus. Quid dices? alii etiam ſua ſponte conualeſcunt, tum ex hoc, tum ex aliis magnis morbis, nullius ope. Quare venit mihi in mentem illius dilemmatis, Omnis morbus, aut in vitam, aut mortem deſinit. Vtroque igitur modo medicina inutilis eſt. cui affinis eſt & illa quæſtio, de vitæ termino. Sed deſino plura nunc garrire. Oro te, ſi quem vnquam noſti bonum & modeſtum virum, Græcis, Latiniſque literis eruditum, & Philoſophiæ inprimis ac medicinæ ſtudioſum, qui mecum in hoc otio, & ſolitudine viuere aliquandiu velit, eius vt mihi operam conducas. Liberaliter & iucunde hominem tractabimus. Fieri vix poteſt, vt non multos habeas notos, qui talem hoſpitem quærunt. Filium meum illi inſtituendum traderem. Vale, & amori meo ignoſce, cui hæc omnia adſcribas velim. Paſcow. 17. Septembr. anno 1577.

D. Theophraſtiſtis

Empiricum vnguentum ſcabiem curan quatriduo vbique vũs præparatione.

Omnis morbus aut in vitam, aut mortem deſinit.

EPIST. XVII.

IDEM EIDEM.

REPENTINVS boni huius viri, qui has reddet, diſceſſus, breuiorem me facit, remitto per eum omnia, quæ mihi miſeras, præter Kolreuterum de vrinis, vitium, vt video, eruditum, & iudicio minime ſuperſtitioſo præditum. Vtinam exiſtat aliquis, qui ſimilem laborem de pulſibus ſuſcipiat. in quibus ipſis quoque non dubito magnam eſſe inter Medicos ſuperſtitionem. Auſim etiam dicere tot differentias, quot deſcribuntur, à Galeno præſertim, neque intelligi vnquam, neque obſeruari poſſe. dicerem quiddam magis etiam [illegible], ſed nolo vos offendere, ne ſi quis caſus incidat, operam nobis veſtram denegetis; hocque modo iniuriam veſtram vlciſcamini. taceo igitur; præſertim quod iam caſus quidam aduerſus cauſam mihi affert, vt conſilium atque opem tuam implorem. quod mihi, vt communicare quamprimum ne grauere per humanitatem tuam te oro. Filiolus meus anniculus, lecti è menſa, in qua iacebat, deſertus à vagabunda ancicula, in ſcamnum decidit; poſt in terram. vulnus accepit in ſuperiore linguæ parte, qua palatum reſpicit, ſatis profundum; vt duo piſa minora capere poſſit, iuxta ſe poſita, non ſuperimpoſita, vt hinc etiam latitudinem intelligas. habet dentes duos ſuperiores. totidem inferiores. ex inferiore linguæ parte nullum vulnus apparet, quod mirum videatur, cum mentum contuſum ſit aliquantulum & ſanguine ſuffuſum: vt appareat ſuperioribus dentibus inciſam linguam prope apicem, vnius digiti interuallo. Quid iubes nos facere? difficile eſt infanti medicinam adhibere, eo loco præſertim. Cenſesne illinendam ei linguam melle deſpumato? Putasne ex hoc vulnere periculum fore, ne vitioſe pronunciet? Conſule in medium mi D. Doctor. Vereor ne ſuppuretur. Iam non ſugit. ablactatus eſt enim iam ab vno menſe & amplius. De ſomno theſes Eraſti expecto, & ſi quid eiuſmodi aliud habes. Valeat Ex. V. meque amet, reſcribat, amicos ſalutet, etſi ignotos. Paſcowia, 19. Octob. Anno 1577.

Kolreuter de vrinis.

De pulſibus medicorum ſuperſtitio.

Vulnus in lingua ex caſu.

EPIST. XVIII.

IDEM EIDEM.

NOn licuit citius reſpondere. Illuſtris Dominus, Zborrowius Cæſaris pocillator, affinis meus, aliquot dies me detinuit. Cum hoc igitur hoſpite meo totos dies conſumere neceſſe fuit. Poſt, multis literis reſpondendum fuit in varias regiones. tandem in legendis curſim epiſtolis Geſneri, quas Vienna accepi, aliquot dies poſui, hoc animo, vt eas ſimulatque percurriſſem, tecum quoque communicarem, vt minus mihi de tam diuturno ſilentio ſuccenſeres. Vt ingenue dicam, fefellit expectationem meam. Iucunda quidem curioſis lectio eſt; ſed non video an ſit operæ precium. De quo tu rectius iudicabis. Mallem de re herbaria commentarium hominis docti, & diligentis, edidiſſet Wolfius; ſed, vt video, promiſſis tantum non laſtauit, in vita Geſneri, & nunc ſpem fere omnem adimit. quod tũ

De Geſneri epiſtolis.

Geſnerus de re herbaria.

ex eius Epiſtola, quam Aconito præpoſuit, facile intelliges. Dolendum eſt optimi illius viri labores tantos, tamque vtiles, in tenebris detineri. Sed deeſt ſcilicet Mæcenas. Sed de his alias. Spero iam te oculis bene vti; quibus nimiæ vigiliæ obfuerunt, opinor. Vngue paſſim notaui margines Geſneri: rogo te, vt omnia illa loca punctulis notes, ne mihi totus denuo liber euoluendus ſit, cum forte quæram aliquid, vt ſit. Nam vnguium notæ cito deterentur, præſertim ſi liber compingatur, quod vt fieri cures à te peto. Rogo D. Thomam noſtrum, vt ſi ita tibi videatur pro filiolæ meæ morbo, quem paulo poſt deſcribam, mittat electi Rhabarbari quantum iudicabis neceſſariũ eſſe.

Hiſtoria ægræ puellæ.

puella eſt ſeptimum agens annum, macreſcit admodum, ſcabie nunquam liberum corpuſculum habet, cutis fere ſcabroſa, & ſicca eſt, colore ad fuſcedinem tendente, de colore, imo pallida facie ſemper. febricula ſub noctem ſæpe affligitur, ſine magna ſiti. à phthiſi timeo, vel etiam ab bydrope. Video enim épar non fungi officio. Cogitabam Rhabarbari puluerem ex panniculo lineo ſuſpendere in poculo, ex quo cereuiſiam haurit, aut etiam in infuſione ei propinare. rogo, vt in medium aliquid conſulas, & præſcribas quid facto opus eſſe iudices.

Conſolidatio linguæ ex parte.

Filiolus conualuerat antequam quicquam eorum, quæ miſiſti adhiberemus. pus in lingua concretum continua ſuctione ipſe emundauit ſibi, iam ſanus eſt, niſi quod vulnus non coaluit totum Fortaſſe nunquam continuabitur hæc continui ſolutio. Mittat mihi D. Thomas vnam atque alteram nucem vomicam, ad inutiles, & noxios quoſdam canes necandos.

Nux vomica ad canes necandos.

de quo etiam legi in Geſnero. Sed doſios oblitus ſum, nec quærere vacat, rogo annota, vna cum modo exhibendi. Mechiocani radix Venetiis ad me allata, iam carioſa erat filiolo tamen meo, quintum tum annum agenti, grauiſſime febricitanti, & aluum adſtrictam habenti dedi. Conualuit tertia poſt die, neſcio an buic medicamento id tribuendum ſit, an naturæ ſimpliciter, quæ ipſa ſanat morbos, an quod ſorte iam ad exitum peruenerat febris.

Lobelius de radice Mechoaca.

Lobelii verba de Mechoacan radice ſic habent, Falluntur qui putant Bryoniam eſſe hanc atque illi, qui laurum cinamomum, & ſimilacem aſperam ſalſam parillam, aliasque complures exoticas eaſdem ſpecie cum noſtratibus faciunt. Hanc mittit inſula omnium, quæ noſtræ ætati in occiduis inſulis innotuerunt, auro, pecore, ſtirpibus ditiſſima Mechoacam vocata, cui radicem cognominem fecerunt Indi, vſumque docuerunt Hiſpanos, primum fere 20. ab hinc annis, à quibus accepimus, quarum drachmæ puluiſculo ſolo, ſed ex vino albo, aut iuſculo propinato, commodiſſime qualibet die, bora & ætate, nulla moleſtia, aut incommodo, quinquies, ſexies aut ſepties, flauas hydropicorum aquas eductas, pituitaſque quaſuis comperimus. Hanc non viſam, qui cupit noſſe, intueatur Bryoniæ radicem. ſunt enim concolores cortice, rugis, & fere magnitudine; ſed huius taleolæ, fruſtaue rotunda tranſuerſim ſecta, ſiccandi cauſa, intus multis circulis à centro ad ambitum parallelis diſtinguuntur, mandendo ſapore farinaceo, nec acri, odereque neutiquam ingrati eſt: cæterum albida & friabilis, vt bryonia, cui ſimilem faciunt ſarmentis pedamenta ſcandentibus & racemis. Folia atro virentia, rotunda, perennia, Nymphææ fere, & pariter ſuperne parum acuta.

Marcelli commentarius de Mechoaca.

Mitto tibi commentarium Marcelli de eadem radice. Vtinam Kolreuterum de arthritide nanciſcamur, Vale, 21. Nouembr. anno 1577.

EPIST. XIX.

IDEM EIDEM.

ESTO ſane. faceſſant poſthac excuſationes, & ſileant in literis noſtris culpæ deprecationes, quoties alter alterius operam requiret. Sed tamen ego hac in parte te frequentior ero. humanitas tua animum addet, vereor, ne minus etiam pudenem efficiat, de quo non dicam. plura, ne in eos ſcopulos deferar, quos me paulo ante fugere velle oſtendi. Iucunda mihi fuit admodum Bibliothecæ tuæ inſpectio. Video te bonis libris abundare, quod ipſum iudicii & doctrinæ elegantis documentum eſt. quod non equidem propterea dico, vt eadem me laude quaſi remunereris, cum meorum quoque librorum indicem videbis. Illud enim in me quadrat; quod tu in ipſo limine, ex Plutarcho, poſuiſti, ὄργανον τῆς παιδείας οὐ κτῆσις, ἀλλ' ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστί. Mitto igitur tibi meum catalogum, qui copioſior eſſet, ſi ferre ſcribendi laborem poſſem, malo legere. Remitto omnia, quæ mihi vtenda, pro tua humanitate dederas, præter Galenum de humoribus,

Liber Galeni de humoribus.

quem intra paucos dies accipies. quantum equidem iudicare potui, vix reſpondet titulus hic argumento, niſi quis omnium morborum cauſas ad humores referat. Quod ſi valere debet, quid prohibet, quin omnes & huius & Hippocratis libri de humoribus inſcribantur? ſed ſutor vltra crepidam.

Vulnus

Vulnus linguæ. Vulnus in lingua infantis ſanatum quidem eſt, ſed non coaluit, neque vnquam amplius coaleſcet ſederit perpetua ſolutio continui. Vereor ne noceat loquelæ, aut certe pronunciationi. Vale meque mutuo ama, & amicos noſtros ſaluta, 26. Decemb. Anno 1577.

EPIST. XX.

IDEM EIDEM.

BEASTI me iſtis tuis manu ſcriptis libris. miratus diligentiam, & ſane non mediocres labores. gratias ago de tam inſigni humanitate & beneuolentia. retinui lectiones Italicas, cum Galeno de humoribus reliquos omnes remiſi. Si pateris, & carere potes his ſcriptis, oro te, ſint apud me, dum eorum maximam partem perlego. exſcribam etiam aliqua niſi tibi aduerſum id fuerit. Quod ſi etiam noles, remittam ſtatim, ſimulatque mihi voluntatem tuam ſignificaueris. Scripſi abhinc triduum Patauium cuidam Mercurialis diſcipulo, Bernhardo Paludano, Belgæ, vt mihi omnium Doctorum ibi lectiones colligat. *Nicolaus Curtius.* Mortuus eſt non ita pridem Brixiæ, in patria, vir meo iudicio, excellens Nicolaus Curtius. cuius mihi in docendo perſpicuitas, & methodus in primis, iam à viginti annis, quibus eum noui, placebat mirifice. *Paternus.* Paternus non diſcedit à Galeno. *Capiuaccius.* Capiuaccius grauis, &, niſi fallor, ſolidus. Verum tuum hoc iudicium eſt. *Aureus Apuleius.* ego aureus ille Apuleius ad lyram. Superaſti expectationem meam, vt ingenue fatear, in carminibus pangendis, in quo genere plane artifex es. O quam ſuauis, quam plenus, quam etiam pius. Video te Phœbo charum eſſe; qui idem & Poëtarum & Medicorum deus eſt. *Anatomia verſibus deſcripta.* anatomica me delectarunt, quæ ſi augeres, per ocium, emitti poſſent cum laude. non enim ita facile eſt ea, tam apte, verſibus includere; & neminem hoc antehac tentaſſe memini. Ain' tu non nociturum filiolo meo *Linguæ vulnus.* illud vulnus? illud tamen non video quomodo fieri poſſit, vt amplius coaleſcat, quod perſanatum iam à ſex fortaſſe & amplius hebdomatibus eſt, & ita diuiſum, vt coire nullo pacto, nulla induſtria queat. Quomodo in lingua poteſt retinere ſiue oleum, ſiue quicquid illud eſt, quo inungi iubes? perpetuo linguam mouet, ſugit, & ſputo repletum eſt; quam vim vniendi partes in vllo medicamento oſtendes tantam, vt in momento coaleſcant? momento autem opus eſſet, propter illa, quæ dixi, impedimenta, ſed difficile tibi erit iu[illegible]care de non viſis, vt de vrina ſcribit ille tuus Kolrenter. *Minium ſcriptorium.* Minium meum tale eſt, In aquam impono gummi per integrum diem, dum liqueſcat, & aqua tota viſcida fiat. Huius aquæ partē marmori (aut ſimili alicui rei) inſpergo, poſt cinnabaris pauxillū, tero minutiſſime vt iam ex eo pigmentum fiat. hoc impono vitreo vaſculo, eiuſdem aquæ infundo tantum, vt color dilutior fiat. ſic vtor. Sæpe etiam aquæ ſimpliciter iniicio, aut aceto, cinnabarim in tenuiſſimum puluerem redactam, & miſceo dum color fiat aptus ad ſcribendum, impoſita tamen gummi portiuncula. Hoc fit cum laborem fugio, & bene tamen ſuccedit. Vale mi optime amice, & me ama. Paſcouia 7. Iunii, Anno 1578.

EPIST. XXI.

IDEM EIDEM.

GRATIAS ago de reſponſo ad quæſtionem. nondum licuit bene examinare. properabat enim tabellarius. Sed non dubito & docte & accommodare reſponſum eſſe. Vetat me ſecus exiſtimare elegans doctrina tua, & acumen. neſcio cur Simonij ſynopſin, cum aliis vna ligatis libris mihi miſeris. Si petij, erraui. nam hos ipſos mihi quoq; adferri curaui. Quoniam tam promptum te video in grauibus quæſtionibus explicandis, & magnifacio iudicium, & doctrinam tuam, rogo te indica mihi, quid cenſendum putes, de altera hac quæſtione: *An ſomnus meridianus noceat.* Quæ poteſt eſſe ratio, vt ſomnus meridianus noceat, quem veſtri Medici plerunque prohibent, & non noceat is, qui cœnam ſequitur? Idem ventriculus, idem cerebrum, idem homo, cauſa ſomni eadem. noli recurrere ad φλυαρίας illas, de noctis frigore, de diuturno tempore, & quæ adferri ſolent, multa in altera illa quæſtione de prandio & cœna. nam his facile reſponderi poteſt, & videntur eſſe κενοφύγια. Mitto tibi dono, quem me iam pridem miſiſſe putabam, librum de Epochis non contemnen- *Epocha.* dum in ſuo genere. *Liebelautius.* Quid te tantopere in Liebelautio delectat? *Ronſeus.* Quid in Ronſeo? de *Wierus De ſcorbuto.* ſcorbuto habes elegantem tractatum in Wieri obſeruationibus medicis. Liber editus eſt in 4. habet & alias elegantes tractatiunculas, de quartana, de angina peſtilenti, de hydrope. Si non habes, mittam meum librum, digniſſimum lectu. Vale mi Domine, & amice optime. Paſcouia, die 1. Octob. anno 1578.

EPIST. XXII.

IDEM EIDEM.

DE literis ad me miſſis amo te. Quæ his adiungentur, rogo te, vt, tua cura, Troilo tranſmittantur, per certum aliquem hominem, quem occaſio offetret. nihil eſt neceſſe proprium cutſorem conducere. Mitto Squarcilupi cometam non bene deſcriptam à filio meo. Rogo te, vt accurate hoc ſcriptum perlegas, & ad me iudicium tuum perſcribas. nunc noctes ſunt longiores, non dubito te lucubrare, & non puto ita, vt de die, à tuis ægrotis, te auocari. Strictim nunc attigi, & incidi in quædam loca dum modo huc, modo illuc oculos conicio, quæ neſcio quomodo non ita, vt antea ſolebant, me afficiunt. Videntur aliqua, ad augendam molem, congeſta eſſe non neceſſario. Sed de eo quoque vt de tota re, tu melius iudicabis. Quæ φυσικῶς accidunt, etſi non eſſe ἄσημα, vt tu vocas, concedatur, non ſequitur tameo, niſi fallor, crinitas tanta illa mala pottendere. Quamuis τὰ φυσικὰ hoc ipſo, quod φυσικὰ ſunt, è portentorum numero eximuntur, quæ παρὰ φύσιν, ſunt. Intelligis enim ea, quæ fiunt κατὰ φύσιν, & quæ παρὰ φύσιν, inter ſe affecta eſſe, vt ἀντίφασιν habeant. Verum de his in mea illa epiſtola fuſius egi, ſi recte memini; & hæc Marcelli plura etiam continent. Etaſtum equidem magnifacio, magno illius merito; ſed ita tamen, vt non propterea ſuas dotes aliis viris doctis dettaham, quas à DEO cumulate acceperunt, & ſua induſtria, DEI item beneficio auxerunt. In quorum numeto te quoque non iniuria collocandum exiſtimo. De ſomno ſententiam tuam non imptobo; ſed ἀνεκδότερα illa, quæ polliceris & ab ingenio tuo expectari poſſunt, mallem legere. Illud quidem quod ſcribebas ex Hippocrate, noctem quieti, diem laboribus deſtinatum eſſe, verum eſt & ſacris literis conſentaneum, ſed non videtur tamen dubitationis meæ fibras euellere. Verum de his, cum erit otium, cogitabis. Mirot Eraſtum non reſpondere. ſi mihi tuas ἐνστάσεις communicabis, dabo operam vt reſpondeat homo, vt video, ad huiuſmodi ſcriptiones impiger. Quin aiunt eum hoc in mote poſitum habete, vt ad viros doctos ſua mittat, & illotum iudicia exquirat. Vale, meque mutuo ama. Paſcouia, 14. Octobris, anno Milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Cometa Squarcilupi.

Cometæ an portendant.

Eraſtus.

Nox quieti deſtinata.

EPIST. XXIII.

IDEM EIDEM.

NACTVS ſum commentarium Domini Iordani de Brunno: Gallica lue, vt ego nomino. prorſus mirificus morbus eſt. de quo videtur mihi docte admodum & acute diſputare. Temperare mihi non potui, quin eum tibi ad legendũ mitterem, pro amicitia noſtra; cum eo tamen, vt nõ emaneat, & cito ad me redeat; illud ne in re queri poſſit, quod iniuſſo ſuo lucubrationes eius diuulgem: hoc vt remittere poſſim in tempore. Potes tamen tamdiu retinere, dum tabellarius Vratislauia recurrat, cum reſponſo ad has literas, quas tibi illuc remittendas cũ his miſi. Rogo te plurimum, vt ſine mora noſtrum illũ abire cum his literis, iubeas ad Troilum. Perſcribas poſtea mihi iudiciũ tuum de hoc commentario. quod ego iudicium, vt ſcis, magnifacio. Si quid notaſti in Simonio contra Squarcilupum, fac vt ſciam, ne tua epiſtola, quam nunc ſcribes, nihil me doceat. Adde aliquid de hoc προβλήματι: cum aquæ coctione euaporent partes ſubtiliores, & craſſiores, magisq; terreſtres relinquantur, an recte facio, quod aquam ad potũ coquo ad ignem? Scis enim me abſtemium eſſe. Deiu quæ ſit optima aquæ concoquendæ ratio, tum quæ omnium optima, fontana; putealis, pluuialis, fluuialis, &c. Neſcio an antea aliquid hac de re à te quæſiuerim. Item Galenus de temperamentis ait ex lactuca optimum ſanguinem fieri, cum à naturali calore euicta eſt. Ego inferam, ergo non referre calidis poteſtate, an frigidis eſcis vtare. Conſequentia probatur. Nam ſi frigida bonum ſanguinem efficiunt, æque illis bene vti poſſum, ac calidis, quia potiſſimum alimẽtorum vſus eſt, vt ſanguis procreetur, quo alantur partes, &c. & calor innatus recreetur & confortetur. Si omnes humores ex aduſtione ſecundum magis & minus, in bilem conuertuntur, quomodo refelli merito poteſt paradoxon Iouberti: omnes febres ex bile facientis? Deinde quomodo poteſt accendi pituita ſeparatim, vel bilis, vel humor melãcholicus, aut putrefieri, quin tota maſſa ſanguinis ſimul accendatur & putrefiat? cum humores nõ ſeparentur à ſanguine niſi λόγῳ, quomodo non accendantur ſemper principio & ſtatim, quæ ſunt maxime ad inflammationẽ idonea, vt ſpiritus, & bilis per ſe calidiſſima: hæc etiam ſicciſſima. Ad hæc rogo, tuo more, hoc eſt, docte & perſpicue atq; eleganter reſponde. Vale, meq; mutuo dilige. Paſcouia, 1. Iunii, anno 1579.

Iord. Brunno cum de Gallica lue.

An recte aqua cocta in potum vſurpetur.

Quæ optima aquæ concoquendæ ratio.

Paradoxon Iouberti.

EPIST.

EPIST. XXIV.

IDEM EIDEM.

EN iterum te rogo, vt hunc faſciculum ad Trolum mittas, per amicum aliquem. Cupio ſcire, quando alterum miſiſti, quem tibi tabellarius ille noſter reddidit ſuperiore hebdomada. Si nondum abiit, poterit cum hoc coniungi. Marcellus reſcribit, ſalutat te, ſe propediem miſſurum nobis eſſe arcanum illud ſuum, quod typis edere cogitat in li[illegible]o, quem de cauteriis ſcribit, cuius multa [illegible]am capita abſoluit, quæ in charta incluſa leges. *Marcellus de cauteriis.* Dignus eſt ſane amore tuo præſertim quod in illo ſcripto, quo offenſus videris, nihil reperio, niſi cum honore tuo coniunctum, te amat, colit, honorat. æquum eſt, vt par pari referas. Si qua in re ab eo diſſentis, eandem illi, quam tibi ſumis, libertatem relinque, vt ſuam Spartam ornet. Trahit ſua quenque voluptas. Verum de his ſatis ſuperque, cum nuper quoque nonnihil ſi recte memini, de eo in epiſtola mea adſcripſerim. Miſit mihi Marcellus tria ſcripta ſua: *Marcelli ſcripta.* I. de gutturoſis, quo gutturis, vt vocant, hernia laborant, *βρογχοκήλην* ni fallor vocant. II. de fontium & fluuiorum origine. III. de opportuna purgatione. duo illi libelli paucorum foliorum ſunt. tertius æquat magnitudine commentarium illum Iordani de Brunno Gallica lue, aut etiam ſuperat. Miſiſſem hunc ad te, ſed cito ſibi remitti cupit, & ego nondum peruolutaui. Si tamen tantum eſt otii tibi, & his vacare voles, mittam hæc omnia ad aliquot dies, dum percurras. erit fortaſſe quod te delectet. Cum apud me eſſet, oſtendit incboatum opus; nunc vt video auxit, & emendauit. tu iudicabis. Rogat te, vt quas in Fernelium *ἐπιστολὰς* ſcripſiſti de podagra ei mittas. æquum petit ſi deſcripſiſti. *Veius.* Veius neſcio quas fabulas Thalmaticas mihi recitat. Inter alias, hanc quoque quam item pro fabula habebo, niſi tu ſecus affirmabis. *An virgo naturaliter ex primo concubitu concipiat.* ait non poſſe naturaliter virginem ex primo coitu concipere. te quoque autorem nominat, vt mihi os obturet, autoritatem equitem tuam non defugit. Sed cupio hoc ex veſtris Medicis aut eorum doctrina mihi, ſi lubet, & vacat, demonſtrari. Ad magnam quandam rem, & maxime paradoxam hoc, vt ipſe putat, axiomate abutitur. Ego nullam naturalem cauſam excogitaſſe poſſum quæ prohibeat, quo minus in primo ſtatim coitu virgines concipiant. exempla quoque multa referri poſſunt earum, quas prorſus virgines fuiſſe, dubitari vix poteſt, ſi quis pudorem, pietatem, educationem ſpectet. Tu noſtræ huius controuerſiæ arbiter eſto. Vale, meque, quod facis, ama. Paſcouia, 10. Auguſti, anno 1579.

EPIST. XXV.

IDEM EIDEM.

DE Thermis Trincinenſibus nihil habeo, quod affirmem. *Thermæ Trincinenſes.* Ex Marcello, quoque per literas quæſiui, ſi quid fortaſſe à D. Iordani, aut D. Cratonis, aut Medicorum Viennenſium obſeruatione haberet. nam cum illis verſatus eſt aliquandiu. Sed ne ille quidem quicquam adferre poteſt. Ad D. Iordanum, cum erit per quem literas mittere poſſim, ſcribam. non dubito eum certi, & explorati aliquid nobis perſcripturum eſſe. Edidit ante multos annos Georgius Vernerus lib. de admirandis Vngariæ aquis. *VVernerus de admirandis Vngariæ aquis.* In eo fortaſſe reperias nonnihil. Sulfureas & ferreas eſſe non dubito, tum quod illum odorem exhalare dicuntur, tum quod tumores, & vlcera exſiccant. Dicuntur etiam podagrici, ſolo inſeſſu, & lotione, perſanari. ſed, quæſo, quid te morbi eo inuitat? An oculorum vitiis vllæ Thermarum aquæ ſubueniunt? Hodie accepi literas à D. Iordano, in quibus ſcribit ſe omnes Thermas Morauicas peragraturum eſſe, & per deſtillationem earum naturas & vires exquiſiturum, dein commentarium de eis confecturum breui. Accipe tu Marcelliana, & perſcribe mihi quid de his ſentias. Inprimis autem de purgatione. Quæ de virgine ſcribis confirmant ſententiam meam. *Semen in balneo à virgine [illegible].* Sed illud Arabis, de ſemine in balneo à virginis matrice abſorpto, figmentum velim exiſtimes impudicitiæ patrocinantis. Quomodo enim ſemen, loco præſertim humido, tamdiu conſiſtet, ne diffluat? Deinde quomodo ſpirituoſum illum calorem, vel momento temporis retinebit extra vterum muliebrem, ſi vel in terram, vel lapidem, vel aliam quamuis ſubiectam materiam decidat? ſi paulo accuratius hac de re cogitabis (ſi tamen longiore inquiſitione digna eſt) animaduertes commentum ridiculum eſſe. Oportet fuiſſe certe libidinoſam, & incredibilis caloris vtero præditam bonam illam virginem, quam non niſi diuaricatis femoribus, & diducto manibus pudendo, locum illum inſediſſe (ſi reliqua concedantur, quæ ſupra negaui) veriſimile eſt. Quæ à virginali pudore abhorrent. Sed putidum eſt rem obſcœnam pluribus perſequi. Verum illud, quod maiorem vtilitatem habet, rogo vt mihi explices, quid omnino de hymene *An hymen index virginitatis.*

cenſendum putes, tum in paruulis, tum in adultis virginibus, & an omnino exiſtimandum ſit poſſe virginitatem hinc diſcerni. Nam quaſdam natura laxiores vteros habere, alias ſtrictiores temperamenta & corporis conſtitutio indicat, ætate quoque prouectiores à iunioribus tum aliis, tum hac in re differre puto. Non habeo nunc ad manus librum vllum, qui mihi dubitationem tollat, & exciderunt quæ legi, quæque a Fallopio quondam audiui. Tibi hæc in promptu ſunt, in Anatomicis quoq; diligenti; vt ex annotationibus quibuſdam tuis in Columbum, & alios animaduerti. Explica igitur, amabo te, ſententiam tuam de re tota, poſtquam in hunc ſermonem incidimus.

Marcelli in Hipp. labor. Marcellus Hippocratis opera methodice tractare inſtituit: hoc eſt, reuocat omnia, quæcunque in illo autore ſunt, ad methodum Auicennæ, aut potius Fuchſij, &c. annotationes quoque adiiciet. Idem in Galeni operibus facere cogitat. Eſt homo laborioſiſſimus, pauci ſomni, ingenio bono, ſciendi cupidiſſimus. Remitto libros, & gratias ago. *Freigius.* Freigij, Rectoris ſcholæ Altorffianæ Reipub. Noribergenſ. Phyſicæ quæſtiones nouo quodam ordine ſcriptæ videntur. Nihil mihi facilius videtur, quam hac ratione libros magnos edere. Eſt opus congeſtum ex variis ſcriptoribus, & ſcientiis. Trahit ſuam quemque voluptas. Mihi ſane non placet omnia in vna arte docere, quæ diſiuncta ſunt. Vale, meque ama. 14. Auguſt. Anno 1579.

EPIST. XXVI.

IDEM EIDEM.

TESTIMONIVM de Marcelli ſcriptis tuum, non vulgare eſt. mirifice hominem delectabit. præponet, ſat ſcio, libello, vt lectores magis inuitet, atque adeo, vt ſe muniat contra aduerſarios tuo tam inſigni præconio. Quare tu videris, quomodo ſuſtinere poſſis impetus magnæ turbæ, quæ conſtabit contra vos, in aduerſa acie. ego quoque me veſtræ cohorti aggregaui iampridem; vt ex ridicula illa, & plane inepta ſcheda, quam item libro ſuo præpoſuit Marcellus, coniicere potuiſti; ſed quid à me auxilij expectari poſſit, rudi admodum, atque imperito tyrunculo? Remitto tibi libros omnes, & tuos, & Notarij, excepto Maſſa de morbo Gallico; in quo vidi mirabilem quandam *Curatio vlceris tracheæ Maſſa.* curationem vlceris aſperæ arteriæ. Illud mihi mirum viſum fuit (vt hoc obiter iniiciam) quod Maſſa in altero quodam peſſime affecto, hyemem fere totam expectauit, antequam curationem aggrederetur. Quod mihi & periculoſum, & minime neceſſarium videtur. adde quod morbus, per tam longas inducias inualeſcit, vt poſtea difficilius depelli queat. Quaſi non potuerit aëris frigidi intemperies (ſi ea re deterrebatur) corrigi artificio, & temperari tepidario? Hic mihi magnus, & ſuperſtitioſus medicorum Italorum (neſcio an aliorum quoque) abuſus videtur, *Tempora expectare in morbis ſuperſtitioſum.* tempora neſcio quæ expectantium, & ægrotos diuturna iſtiuſmodi expectatione magis magiſque excruciantium. Quin ſtatim arma expediuntur, ſimul atque hoſtis nos aggreditur? an expectandum erit, vt nos prius poſternat, conculcetque, vires atterat, ac prorſus eneruet? Magnæ eſt ſane conſuetudinis, & præiudicii vetuſtatis, in omnibus fere artibus tyrannis, *Tyrannis conſuetudinis & vetuſtatis.* quæ liberalibus ingeniis nimis imporenter imperat. Quo fit, vt multi meliora videant, deteriora ſequantur, religione quaſi quadam obligati. Id tu ita eſſe, tum in tua, tum in aliis artibus, quæ tua eſt doctrina, & ſingulare acumen, præclare intelligis. Sed hæc poterant taceri, niſi mihi iucundum accideret tecum, de rebus omnibus libere, quicquid in buccam. Diligentiam in Mathematicis tuam, vt in aliis ſtudiis, exoſculor. quamuis hæc οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα, ſunt tamen periucunda. Veriſſima ſunt, quæ de medicina ſcribis Theophraſti, & vetulæ triobolares, quædam etiam matronæ illuſtres, in Polonia, medicinam faciunt plerumque ſtillatitiis ſuis quibuſdam liquoribus, & pulueribus. Quibus ſi nihil proficitur, vt fit plerunque, ſemimortui ægrotantes ad Medicos deferuntur. ſi vnus aliquis moritur, in medicum culpa reiicitur, magnis clamoribus. Ita fit infamis, deſeritur, contemnitur, continet ſe domi, & quæſitis vtitur interea, dum fama conticeſcit. breuiter, miſeria eſt ineluctabilis, ſi vſum ſpectes. Vale, meque, quod facis, ama. Paſcowia, 14. Auguſti. Anno 1579.

EPIST. XXVII.

IDEM EIDEM.

LIBERI mei, (quod te libenter cogniturum, pro tua & mea beneuolentia, certo ſcio) iam tandem conualeſcunt, vnius naturæ, aut potius DEI, naturæ omnis opificis, beneficio. nullum enim ſibi adhiberi remedium paſſi ſunt. quod quoties tentabam, ita renitentes animaduertebam, & ab omni pharmacorum genere abhorrentes, ac fletu, eiulationibuſque ſeſe excruciantes, & magis à medicina, quam

ipſo

ipſo morbo periculum impenderet hoc vnum experiri libuit mulierculis Polonis valde vſitatum: quod mihi profectò miraculi loco eſt, idque eo magis, quod nullam eius rei cauſam inueſtigando reperire poſſum.

De mirifico quodã morbo puerorũ, Dracunculis.

Iniiciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lauabant, panis in micas friati manipulus, cineris item parum; elotis pueris, aqua percolata, panis ille in maſſam compingebatur, hæc maſſa in diuerſas partes manibus diſtracta, magnam ſubtiliſſimorum pilorum vim oculis offerebat primo die: ſubſequentibus autem diebus pauciores pili, poſtquam conualuerunt, prorſus nulli apparuerunt. Hos illæ caninos, aliæ vermium pilos vocant, & morbi cauſam ad hos referunt. Præterea humeros, & brachiola inunximus farina aceto permixta. Vix peracta vnctione, & abluta ſtatim, eminebant ex cute diuerſis locis tubercula quædam puſilla, vt papauera, coloris cinericii (quæ ab illis vermium capitula eſſe dicuntur) ea ſtatim cultello abradebantur. niſi id ocyus fieret, recondebantur iterum, & intra cutem ſe recipiebant, hi quoque ſiue vermiculi, ſiue alioquouis nomine vocentur, primo multi ſeſe proferebant, poſtea pauciores, poſtrema vnctione prorſus nulli. fœminæ ſummis horum vermiculorum capitellis nigricantia aliqua, quaſi puncta ineſſe aſſeuerabant; quæ tamen ego etſi pene cum ipſo lynce certare poſſim, nunquam videre potui. Viſa mihi eſt tota illa res prope eadem ſpecie, aut certe non diſſimilis ſordibus illis, quæ poris impactæ, in angulis præſertim narium exterioribus digitis exprimi ſolent: duricie ſunt paulo ſolidiore. Cum in veſtris Medicis quærerem, altum vbique ſilentium reperi.

Bacchanellus.

In vno Bacchanello, aut neſcio quo de puerorum morbis inneni Dracunculos vocari a neſcio quibus Arabibus.

Dracunculus Vide Auic lib. 4. Fen. 3 tract. 3. cap. 21. & Gal. 6. de loc. aff. etſi non huius generis illa videntur eſſe

Nam liber hæc ſcribenti non eſt ad manum, & quærere piget, cum hæc properanter ad te ſcribam. Rogo te, inquire in cauſam harum rerum, & ſententiam mihi tuam perſcribe. Oblitus eram hoc quoque aſcribere, me eadem illa omnia tentaſſe in reliquis meis liberis ſanis; nec tamen vel pili villi in panis maſſa, nec dracunculi in cute; ac ne in his quidem duobus ægrotis, poſtquam conualuerunt, conſpici a quoquam potuerunt. De pharmacis contra epilepſiam magnas gratias ago. ab eo tempore non rediit morbus ille, quem ſemper emanere opto.

Carbo abſinthiacus.

Quæ à carbone Abſinthiaco ſcribis, miratus ſum; & aliis affirmantibus vix crederem eos reperiri, niſi quis de induſtria ad... odiſſet. Dies D. Iohannis quoque fidem abrogat, & ſuperſtitioſi neſcio quid habet. Vale mi optime amice meque ama. Vratislau. 6. Nouembr. anno 1580.

EPIST. XXVIII.

IDEM EIDEM.

EPISTOLAM tuam de morbo infantuli, accurate & docte ſcriptam, in aulam Cæſaris mittendam eſſe putaui. ita mihi viſa eſt digna, quæ à doctis viris legeretur. hæc fuit cauſa, cur nondum reſponderim. gratias tibi habeo iam ab illo tempore, quod inter alias occupationes tuas, huic quoque contemplationi mea cauſa, aliquid operæ impertiueris. omnia excuſſiſti, vt video, nihil intactum reliquiſti. Vnum te moneo, vidiſſe me ante aliquot annos, in libello, neſcio cuius, Bacchanelli praxi adiuncto (qui mihi ad manum liber nunc non eſt) aliquid de hoc morbo quem ſi bene memini, Dracunculum vocat. Eum tu locum nondum vidiſti, inſpice; ac ſi quid eſt operæ precii, ad hanc tuam elegantem diſſertationem adiice. Admonitus ſum à Doct. Monauio ex aula Cæſaris, editum eſſe librum à Ioan. Wiero, docto illo ſagarum patrono, in quo tum de aliis, tum de hoc morbo diſſeratur.

Wierus.

Verum, ſi præiudiciis agendum eſt (quod tamen in nulla re alia fieri oportere contendo) non exiſtimo illum meliora tuis adferre. De carbonibus mira narras. es tu quidem fide digniſſimus, ſed profecto hoc eſt ex iis vnum, quod meis oculis intueri cupio. D. Scholzius, niſi me fallit memoria, affirmat ſe non reperiſſe. Illud quoque quod ad te de muris auricula ſcripſit auditione tantum accepit, ſed heus tu: carbones illos, quos te mittere ais, non vidi.

Auricula muris.

Carbo in fruſto ſalis purgans.

In ſalis fruſto, ex imis illis Vielicienſib. ad Cracouiam fodinis effoſſo, perlucido, vt glaciem referret, fruſtulum atri carbonis innatum erat. Saporem ſalis habebat, albam lanuginem (liceat ita nominare) emittebat, vt magnes ſuos illos, quaſi pilos quoſdam. deterſæ huic lanugini ſuccedebat paulo poſt alia ſimilis. magnam vim purgatricem ille carbo habebat. donaui fruſtum illud D. Gergero, cum Cæſaris commiſſarius eſſet, præſidi hic Cameræ Auſtriacæ, ne putes aliquando, vt fieri ſolet, foſſores ibi carbones ex lignis reliquiſſe, qui poſtea temporis progreſſu ſale circumgelaſcente contectus fuerit: (idem enim & ego ſuſpicabar) affirmat mihi D. Morſtem, montium illorum Magiſter, vir egregius, nunquam antehac viſis ſeculis quenquam

in illos mõtes penetraſſe, vbi tales carbones effodi ſolent: quia in maſſa ſalis abditi iacent. Maſſæ autem illæ ſunt inſtar monticulum lapideorum ſolidæ: ex quibus illæ columnæ excinduntur, quas baluanos nominant (à ſimulacris, vt opinor aut ſtatuis; ſic enim Poloni εἴδωλα & Deaſtrorum imagines vocant) quæ extra Poloniam, ad vos etiam, quotannis exportantur. Hæc ideo tam copioſe addidi, vt ſi lubet rem inſpicere; ab hoc ipſo bono & humaniſſimo viro, quem nominaui, fruſtum aliquod talẽ petas. Bone DEVS, quam multa ſunt in naturæ theſauris condita, ad quæ hebetata mentis noſtræ acies penetrare nequit?

Cometa ſupra lunam.

De Cometa quam multa, Ariſtotelis autoritatem ſecuti, blateramus paſſim; & tamen his diebus didici ex proximo, & qui hunc anteceſſit, & Ariſtotelem & qui eum ſequuntur, longe à ſcopo aberraſſe. Supra lunam fuit vterque: prior ille proprio motu ab occidente in orientem: hic contra ſignorum ſucceſſionem, ab oriente in occidentem ferebatur. Si ex fumoſis exhalationibus procreantur, quomodo illæ lunam ſuperant, & cœlos penetrant? Si ſupra lunam generantur: quomodo verum illud erit, nihil ibi oriri, nihil interire? omnia eſſe æterna? & tamen hæc duo

Sydus mirificum.

φαινόμενα, & ſidus illud mirificum, quod ante hos octo annos oſtenſum nobis ad Caſſiopeam fuit; & orta fuerunt, cum antea nullis vnquam ſeculis viſa fuiſſent, & interierunt: aut certe ex oculis noſtris aliquo ſublata ſunt. Vbi antea in abyſſo theſaurorum DEI latuerunt? Non habeo quid dicam cum hæc conſidero, niſi illud? O cæcas hominum mentes, o pectora cæca: Qualib. in tenebris vitæ, quantiſque periclis degimus hoc æui quodcunque eſt. Vt autem me cum certo credas hæc ita ſe habere, vt affirmo; ſcias ἀποδεικτικῶς demonſtratum eſſe à Corn. Gemma, à Mœſtlino, & aliis: inprimis autem ab amiciſſimo meo & doctiſſimo viro Doctore Taddeo Hagecio, minorem habuiſſe παράλλαξιν quam ipſa luna.

Gemma. Mœſtlinus. Hagecius.

Miſeras mihi, cum in vicinia tua habitarem, accuratam tabulam de horologiis, à te elaboratam: ſi id fieri poſſe putas, & illa carere ad tempus potes, rogo te, vt mihi eam communices, ſimulque alia adiicias ad ῥάβδων pertinentia, quæ tu, dum his ſtudiis incumberes, collegiſti. Peucerum, quem te audiſſe puto, optica collegiſſe dicitur. Is liber nunquam editus fuit, ſed manu deſcriptus circumferebatur illis temporibus. Si enim habes, & mihi item communicabis pergratum facies. Si quid ego quoque habebo, quod vſui tuo ſeruire queat impera amicitiæ noſtræ iure. Feliciter vale, meque ama. Vratislau. 19. Ianuar. quo die lunæ eclipſis totalis, & ea quidem maxima conſpicietur ab iis, quibus cœlum non ita nubibus obducetur, vt hic nobis anno 1581.

Peucerus Optica collegit.

EPIST. XXIX.

IDEM EIDEM.

EXSPECTABAM literas tuas, plenas doctrinæ & obſeruationum, tum eorum, quæ in maiori, tum quæ in minori hoc mundo contingere ſolent. Sed video te occupatiorem fuiſſe, quam vt nobis vacare potueris. Rogo te tamen, vt primum aliquid otii nactus eris, vt mihi mirabiles illas fulminis effectiones deſcribas tum vnguenti illius, quo nares & tempora in peſte illinebas, eiuſque vſum & ſi quid huc pertinebit, amice mecum communices. Mitte mihi ſcriptorem illum de peſte, quem laudabas, nomen mihi excidit. aueo etiam tuum iudicium cognoſcere de Maſſaria quem inuitus patior à mea bibliotheca abeſſe; ita mihi viſus eſt elegans eſſe, & bene rem examinare. Sed hoc tamen ego ad meum iudicium non reuoco, ne forte abs te illud audiam, Ne ſutor. ſi eum librum tuus librarius iſthic habet, eme mihi quouis precio. animaduerto iſtum veſtrum, quiſquis eſt, bonos libros ſæpe ad vos aduehere, quos hi noſtri non apportant. Niſi tibi moleſtum eſt, mone me de nouis autoribus, quos poſt meum à vobis diſceſſum, in elegantem illam, & ſane exquiſitam bibliothecam tuam intuliſti. faciam ego idem, quum huc redibis. nihil te celabo, atque vtinam multa haberem, quæ tibi grata eſſe poſſint. De Paræo quoq; iudicium tuum expecto, tum de illo Porta: quem legendũ tibi dedi: inprimis autem de nugis illis meis. Vt ex reſponſo tuo diſcam aliquid, rogo te, indica mihi quomodo fieri poſſe putes, vt vnguenta in intimas corporis partes, ad loca affecta ſcilicet, penetrent, & morbum ibi oppugnent. Videntur eſſe ratione prædita, quæ intelligant latebras hoſtium, & recta illuc tendant; nihil in itinere immorentur, nihil de ſuis viribus deteri ſibi patiantur. Certe pauxillum eſt id, quod cuti illinitur, & partim digitis vnguentium adhæret, partim à circumfuſo aëre exiceatur antequam per tot anfractus in interiora perferatur. Vereor equidem, ne hoc quoque medicamenti genus ſimile ſit amuletis; à vetularum ſuperſtitioſis perſuaſionibus natum. Idem propemodum quæri poſſe

Maſſaria.

Paræus.

Porta.

Quomodo vnguenta intrent interiores partes.

Cathartica.

videatur; de toto etiam τῶν καθαρτικῶν φαρμάκων genere, quæ certos humores ſpectare, & adoriri dicuntur qua obſecro, intelligentia id aſſequuntur? quomodo agunt? qua ratione hunc potius, quam illum humorem aggrediuntur, loco mouent, extrudunt denique, cæteris partibus parcendo? ne illa iudicio, & ratiocinatione non vulgari prædita ſunt, ſiue in ventriculo conſiſtant, & ad ſe noxia, quaſi harpagonibus & vncis quibuſdam, attrahant: ſiue illinc emiſſarios ſuos in hoſticum ablegēt, qui cominus rem agant, & inimicos ſuperent ac propulſent.

Puteanus.

Hac de r. ſi ocium eſt, ſcribe mihi ſententiam tuam. Vidi Puteanum, niſi fallor, apud te, qui non in diſſimili argumento verſatur, & hunc, & ſi quem alium habes, ſiue etiam ſcriptas aliquas præceptorum tuorum lectiones, aut annotationes quorumcumque de hoc argumento, vt mihi mittas te rogo maiorem in modum. Poteris facere, commodo tuo, præſertim quum meos libros remittere lubebit. Nota mihi loca apud autores, quos me habere ſcis; in quibus hæc materia tractetur.

Gallicus antimonio curatus.

Fuit hic nuper admodum Baro quidam Polonus, amicus meus, affirmat ſe veteri gallico morbo vexatum, nullo alio remedio, quam antimonio, curari potuiſſe. duos prope annos fuit liber & à morbo, & ab omnibus ſymptomatibus, nunc ſiue veteris morbi reliquiæ alicubi deliruerunt, ſiue ex noua malitia, recruduit malum; & artus occupat, atque adeo coxendicū dolores ſæuos infert. quid tu de antimonio dicis? & ſi reliquiæ ſunt; vbi tam diu latere tanti mali ſeminarium potuiſſe ſine noxa exiſtimas?

Ioh. Bapt. Suſius.

Si habes Ioh. Bapt. Suſium de peſte adiunge quæſo reliquis. De Maſſaria hæc ad me Crato. Non placet in Maſſaria quod ſuæ Allegrantiæ & Lucretiæ caſſiam dedit. neque ego abſque aloe & myrrha vlli in hoc morbo exhibere velim. Non enim exhaurimus putredinem peſtilentem purgatione & miſſione ſanguinis, etiam ſi materia minuatur, atque iſto modo progreſſus putredinis impediatur. Sed vna vera & recta eſt curatio per antidota, quæ ſudorem mouent & ſiccando putredinem inhibent. Hæc ille. Tu quid de his, & ad hæc? Vale, meque ama. Vratiſl. 9. Auguſti. Anno 1582.

EPIST. XXX.

IDEM EIDEM

GRATIAM habeo de accurata epiſtola tua, quæ mihi multis nominibus perquam grata accidit. Libros non neceſſe fuit tam cito remittere. poteras eis vti arbitratu tuo; vt rebus aliis meis, ſi quarum tibi vſus veniet.

Herbarum ſtudium.

Miror te tantum in rem herbariam ſtudium conferre; non ſane ideo, quod non laudandam eſſe hanc diligentiam putem ſi non ſit nimia; ſed quod inutilem operam poni à multis videam in nouis herbis reperiendis; quarum vires ignorantur, neque ſine longo tempore periculum fieri queat, ad quos potiſſimum morbos adhiberi recte poſſint. Equidem in iis inueſtigandis, quas veteres deſcribunt & ruſtici plerumque atque aniculæ non raro feliciter ad morbos profligandos admonent, nullam eſſe nimiam diligentiam cenſeo. In cæteris, propemodum Mathematicis ſimiles ſunt Medici. Vtrique enim ſuam potius voluptatem, quam vtilitatem communem ſequuntur; dum ea ſubtilius tractant, quæ non facile ad vſum reuocantur. Sed hic ridebis credo, & exclamabis illud; ne ſutor vltra crepidam. fateor. Sed quid ad te dem ſtatim abituro aurigæ niſi paginam his nugis compleam, non eſt in promptu.

Fulmina.

De fulminibus magna ſunt, quæ ſcribis, & ſane mihi multo terribiliora cometis ipſis videntur quorum ego euentus, & ſignificationes nondum eos eſſe perſpicio, qui in illo meo ſcripto confutantur.

Cometam humiditatem attuliſſe.

Vides proxime lucentem, non ſiccitates attuliſſe, ſed nimiam humiditatem potius: Peſtem ſi eius ſobolem eſſe dices: quæram ex te, quo modo? ex aeris, inquis, putredine, aut potius ex putredine progenitis μάσμασι. Quid cauſæ eſt igitur, quod multis locis, vbi maiores fuerunt pluuiæ, & aeris intemperies, quam in Bohemia, nulla tamen adhuc peſtilentia ſæuit? Sed nolo hanc diſputationem ingredi.

Peſtis cauſa proxima contagium.

Illud tantum dico, me prope in eam ſententiam abiiſſe, vt non in aerem, ſed in contagium ex infectis corporib' peſtis cauſam proximam referendam eſſe exiſtimem. De quo ſi voles, alias verboſius conferemus; præſertim ſi tu contrariam tibi tuendam partem ſumſeris.

Vng. nimiū tribui.

De medicamentis vera ſunt, quæ ſcribis: difficilis eſt quæſtio, quæ cauſa fuit, vt ego eam ad te detulerim. Similium enim enodatio, à doctis & acutis, ac tui ſimilibus quæri debet. De vnguentis, recte accepiſti ſententiam meam; & tua reſponſio à mea opinione non eſt aliena, nimium his tribui vulgo & nimio etiam plus, quam vſus & ratio (duo veritatis inueſtigandæ inſtrumenta) comprobant.

Philtra.

Idem de amuletis & φίλτροις ſentio: de quibus equidem perlibenter tuam ſententiam audirem.

Mercurialis.

Memini me aliquando Mercurialis, niſi fallor, ea de re ad te epiſtolam legere; ſed

exciditè memoria. Dum tu mihi, per ocium, aliquid de iis rebus ſcribis, rogo te, mone me de autore aliquo, in quo hæc pertractētur. De phlebotomia quæ ſcribis, ſi recte memini, & bene & cum ratione refutantur

Mors Veſalii.

à Maſſaria. Non ſolum quid ſit auricula, qua te notaſſe locum de morte Veſalii in Paræo ſcribis, non intelligo: ſed fruſtra, ibi locum illum, quem index quoque libri prętermittit inquiſiui, nec reperi. Sed vnde tu habes veram eſſe hiſtoriam? τὸ θεῖον Hippocratis aerem ſignificare contendit Galenus, & eos reprehendit, qui aliud eo vocabulo notare illum voluiſſe videntur. quod hodie paſſim fit, in rebus & euentis mirificis quarum cauſæ euidentes & manifeſtæ, quũ non appareant, ad occultam & abditam illam primam atque vniuerſalem cauſarum cauſam confugimus. Sicubi notaſti τὸ θεῖον hoc, quod tu, cum aliis aliquibus, qnorum tamen non memini, ſignificare, oſtende mihi locum. Vale meque ama. Vratisl. 21. Aug. Anno 1582.

τὸ θεῖον Hippoc. quid ſit.

E P I S T. XXXI.

IDEM EIDEM.

GRATIAM tibi habeo de docta tua epiſtola. Nunc vero inſpectis tuis annotationibus non ſolum non dehortor, neque reprehendo ſtudium tuum, ſed vehementer laudandum eſſe cenſeo. & ſi qua ratione poſſem, currenti etiam calcar admouerem, atque acriter vrgerem, vt tam bonam, tam vtilem, tam iucundam Medicis operam naues, ac lucubrationem iſtam tuam ad exitum perducas. Næ tu aliam ingreſſus es viã, longe ab eorum inſtituto alienam quos ego improbabam, περὶ τοῦ θείου pergrata mihi fuit annotatio tua: tum de φίλτροις. de quib. quæ Mercurialis tui fuerit ſententia, non memini.

Diſceptationem tuam de καθαρτικοῖς auide exſpecto. Nam de πεσσάρμασι quidem probo ſententiam tuam: niſi quod τὰ τῶν φύσει ὄντων ἀντιπαθείας καὶ ἰδίας τινὰς δυνάμεις, ἢ ἰδιοσυγκρασίας prorſus ne nihil eſſe fatear, vetant multa, quæ vſu comprobantur atque euincuntur. Nam vt multa alia prætercam, quæ obſecro manifeſta vis eſſe tanta in opio poteſt, vt hominem vel tantilla eius particula extinguat? quæ in nuce vomica, vt canibus necem afferat? ac, quod nuper in vxore mea experti ſumus, præfocatione matricis grauiter laborante; quæ vis in caſtoreo eſt, vt epotum repente cruciatus omnes tollat, iactationes reprimat, matricẽ in ſedem ſuam retrahat, ibique ſiſtat; morbum denique omnem, cum acerbis, periculoſisq; ſymptomatibus propellat? Cur alia medicamenta, in quibus eædem qualitates ſunt, non idem profecerint, niſi vis illa à forma ſpecifica extitit, quæ vel per συμπάθειαν vel ἀντιπάθειαν languenti præſentem & ſalutarem medicinam attulit? idque tam ſubito, vt merito τὴν τοῦ μεγίστου θεοῦ χεῖρα appelles. Opiũ, ſi manifeſta vi agit, eaque frigida, quid eſt cauſæ, cur aqua & nix, aut potius glacies (quæ natura ipſa ſunt ſumme frigida, ita quidem, vt nihil frigidius repetiri queat) non idẽ, multoque citius efficiat? certe ſi quis magnam amphoram aquæ glacie permiſtam hauriat (quod ego feci non raro) nihil, aut certe parum incommodi ſentiat; nedum capitis vllum periculum adeat. Sic de nuce vomica dici poſſit, & de aliis. quamcumq; qualitatem illi tribuas, qua ſuas actiones exerit, dabo alia mixta eiſdem qualitatib. prędita, in decupla δόσει; non tamen id, quod hæc perficient. Hic multa conquiri poſſent, quæ ad te ſcribenti nihil neceſſe eſt adferre (ſunt enim tibi notiora, quam mihi) in quibus nemo occultam negare vim poſſit, niſi idem ſenſum ipſum vna neget. De quibus tamen tuam ego ſententiam audire malo. Veſalius non fuit vnquam exul, neque illa, quam Paræus innuit, cauſa ei fuit peregrinationis ad Chriſti ſepulchrum ſuſceptæ, ſed religioſum votum. Mortuus eſt febre ardenti in Zacyntho, cum iam reuerteretur. Quid dices de tuis carbonibus ſub abſinthio? quid de vnguento conſtellato? quid de mille aliis? vt de fabuloſo illo lapide, quem Medicus quidã huius vrbis deierat repoſuiſſe oſſa luxata, & cõfracta ſanaſſe Principi Bregenſi: alii quoque idem affirmant. Tu quid credis? Rogo te, vt mihi ſcripta mea primo quoque tempore per fidum aliquem amicum, aut notum tibi hominem, remittas. eſt amicus quidam meus, qui eorum legendorum deſiderio tenetur. Cenſuram tuam adde. Vale mi præſtantiſſime amice, meque mutuo ama. Vratislau. 22. Septem. Anno 1582.

Idioſyncraſia nequaquam reiicienda.

Opium.

Nux vomica.

Caſtoreum.

Vires forma ſpecifica.

Opium an frigidum.

Vis occulta.

Veſalii iter in Palæſtinã non ob exilium, ſed religioſum votum.

Lapſis fabulatus repenens luxata.

E P I S T. XXXII.

IDEM EIDEM

IGNOSCES mihi, pro humanitate tua, quod libellos tuos tamdiu mecum habui. Variis de cauſis tamdiu eos retinui: nunc remitto, & gratias ago. addidi quædam paucula D. Simonii, quæ, tuo commodo, remittere poteris. Cometica non merentur tantam laudem. multa erant, quæ reprehendere poteras & meliora reddere. verum tu nimis occupatus es melioribus

ribus ſtudiis, & indulgens, ac minus quam oporteat, ſeuerus amicorum cenſor. Cætera in epiſtola tua valde me delectarunt; alios etiam quoſdam doctos viros. Placuit inprimis quod de opio annotaſti. Hoc etiam confirmat veterem opinionem meam: non eſſe temere veſtris Medicis credendum, quantauis autoritate præditi ſint. De ſabuloſo lapide Eraſtus; cui non facile fidem derogo; dubitare videtur. Si tu ipſe mirificam eius vim obſeruaſti, tum demum, vt credam, adduci me patiar; etſi nulla ra[illegible]o conſtat, vt ne de vnguento quidem illo con[illegible]ato, vt quidam vocant; & de infinitis prope aliis admirandis medicamentorum effectionibus. Polanus commendatione tua mihi charus eſt, & erit poſthac; tum tua, tum fratris, tum ſui ipſius cauſa adoleſcens eſt modeſtus, &, vt videtur, eruditus; beneuolentia valde dignus. Ne inanem epiſtolam remittas, (etſi nunquam hoc facis) quæſo ex te, num eſſe poſſit peſtis ſine febre; & an in peſte, quæ febre careat, tum in ipſa peſtilenti febre, initio, quum vires adhuc conſtant, ſanguis mittendus ſit. Nam viribus iam labefactatis nego prorſus mittendum eſſe. Peſtem autem ſine febre exiſtere poſſe, autoritatibus & experientia euincere poſſum: ne rationes quidem accuratius cogitanti deeſſe queunt. ſed ego te audire malo. Vale, meque, quod facere perſuaſum habeo, ama. Ex patria tua nobiliſſima, 26. Nouemb. Anno 1582.

Lapis ſabuloſus.

Vnguentum conſtellati.

Num peſtis ſine febre.

Num vena ſecanda.

EPIST. XXXIII.

IDEM EIDEM.

NON obliuione tui factum eſt; quem profecto in oculis fero; quod reſponſum tamdiu extraxi. etſi non defuerunt occupationes quædam, & ſunt etiamnum, quæ inuitum à litterarum tractatione, iam ab aliquo tempore abſtrahunt; tamen hanc ego excuſationem neque adferam, neque valere apud te volo. Negligentia igitur, (fatebor enim) & quædam ignauia, ſilentii tamen diuturni cauſam mihi attulit. Fieri fere ſentio, in hac ingraueſcente ætate mea, vt grauatim admodum ſcribam; & quũ nullum reſponſum tabellarius vrget, qui ſe iamiam abiturum denunciet; perlibenter ſcriptionem procraſtino. Ad te multa ſunt, de quibus ſæpe referre conſtitui, in medicis & philoſophicis contemplationibus; quum & doctrina, & [i]ngenio tuo plurimum delecter, atque etia[m] adiuuari me ſentiam. Sed vides quanta ſit, quam ætas mihi adfert pigritia. De ſolicitudine tua, quam à beneuolentia in nos proficiſci ſentio, & gratias ago; multum, atque adeo plurimum te amo. Filiola mea 46. die conualuit prorſus. hoc eſt febris eam illo die reliquit, nec poſtea rediit vnquam ſtatim vt remedia omnia abiecimus, & naturæ, quæ morborum medicatrix eſt, totum opus permiſimus; non magnam de vita eius ſpem concipientes, indies rectius habuit, ac tandem plane reſtituta eſt. I nunc & Medicinam nobis ſalutarem eſſe contende. Pace mihi tua hoc dicere liceat; quod ſi lubet, & ocium eſt, refutes licet. eſſe quidem ad contemplationem ars veſtra iucundiſſima etiam mihi videtur, ſed non ita vtilis, nedum neceſſaria, vt vulgo habetur. Qui eam contemnunt populi præter cæteros, & firmiore ſunt valetudine, & vitam longiorem viuunt. Exempla & vetera ſunt in promptu, & recentia in oculis, ſi eos circumferas per terrarum orbem vniuerſum. Quæ cauſa fortaſſe fuit Romanis, vt totius ſexcentis annis, Medicis carere voluerint, quibus ciues valentiſſimi fuerunt. Hic tu, ſat ſcio, malos Medicos, & abuſum artis cauſabere: ego autem ipſam incertam eſſe, ac proinde periculoſam, minuſque neceſſariam contendo, etiam ſi ab optimis & ſcientiſſimis Medicis exerceatur. Quanta enim obſecro temperamentorum, & ἰδιοσυγκρασιῶν vanitas eſt in ſingulis hominibus, quin idem homo, ob perpetuum ſubſtantiæ ſuæ effluxum, vt ſic dicam, quam ſingulis à ſeipſo momentis diſſidet, atque à priore conſtitutione ſua diſcedit? Deinde materiæ medicæ; quo veluti inſtrumẽto quodã ad ſanitatem ſcilicet procurandã vtimini; qui proprietates illas indiuiduales vt vocant, plene perſpectas habet? Ac ſi quid etiam generatim, tum de naturis hominum, tum de pharmacis præcipitur, quis tam eſt felici ingenio, atque exquiſito iudicio præditus, vt illa recte & adamuſſim inter ſe aptare, atque accommodare queat? Coniecturalis eſt ars veſtra tota, & per mortes hominum, vt ille inquit, experimenta facit. Vide autem quanto cum periculo coniunctum ſit, ſi quis coniecturis fretus incertis, vitam ſuam tam dubiæ aleæ ſubiiciat: præſertim cum indies animaduertamus, magnos illos morbos, apoplexiam, epilepſiam, hydropem, articulorum morbos, nephritin, alios etiam, nunquam à Medicis percurari. nam ſi curantur aliquando, id certe non fit Medicorum opera. Multos enim reperias, qui eam ne expetant quidem, quod inutilem eſſe videant. Finem faciam, ſi prius hoc vnum ad-

Morbus ſine medicina curatus.

Populi carentes Medicis firmiſſima valetudine.

Romani ſine Medicis.

Materia Medica ignota.

Ars tota coniecturalis.

Morbi incurabiles.

didero, quod ipſum fortaſſe in Plinio eſt argumentum. Omnis morbus vel eſt lethalis, vel curabilis. Vtrum vis capias, non eſſe neceſſariam medicinam concludes, imo prorſus inutilem. Nam qui natura lethalis eſt, nulla arte curari poterit. qui viciſſim curabilis, non requiret Medici operam. Scio quid hic reſponderi poſſit, de mediis. quod in prædeſtinationis quoq; controuerſia adferri ſolet, ſed illa videntur eſſe κηροφύγτα. Nam, ne quid aliud tegeram, quid dicas de iis locis, in quibus nec Medici, nec media vlla alia ad manum ſunt? erunt ne morbi omnes vel curabiles, vel lethales? neceſſe eſt enim vt vel in ſanitatem omnes, vel in mortem deſinant. Si dices, nullam eſſe gentem tam incultam, quæ remediis quibuſdã ſuis non vtatur: hinc quoque id, quod volo efficiam; non eſſe illam, quæ veſtris libris continetur medicinam, ideoq; nõ neceſſariam. ſed longius, quam conſtitueram prouectus ſum. Credo me alias quoque in hanc ad te ſententiam ſcripſiſſe aliquid, vt acumen tuum excitarem, & robur virium tuarum irritarem, vt hos, quibus ars tua oppugnatur arietes repelleres. Venio ad quæſtionem tuam. in qua equidem tuam audire, eiq; ſubſcribere, ſententiam malo, cuius acrimoniã iudicii, & doctrinam, atque diligentiam nihil pene fugit.

De peſtis præſeruatione.

Quibus rationibus adducti Medici præceptum Gal. ad peſtis præſeruationem, & curationem transferant, non video: niſi forte eo reſpiciunt, quod in tam acuto, & pernicioſo morbo non ſatis relinquitur temporis ad contrahendũ quaſi habitum quendam ab antidotis impreſſum, quo tanto reſiſti veneno poſſit. Itaque mutanda ſæpe pharmaca cenſent, vt nouis ſemper ſubſidiis cordis vires tueantur, quum nõ tantum in vno aliquo antidoro præſidii poſitum eſſe exiſtiment, quantum ſatis ſit ad tam potentis hoſtis copias debellandas. Illam ego caoſam, quam vulgo adferri video, ne ſcilicet natura aſſueſcat, &c. nullam eſſe puto.

Mithridates.

exemplum quoque de Mithridate inter ea repono, quæ veteres ſatis reliquerunt, in quibus ἰσόψῳ, donec noſtra experientia fidem eorum faciat. Scio enim multa pro indubitatis circumferri, quę ſunt fabulis inaniora. Sed hæc, vt dixi, tuo iudicio permitto, & rogo maiorem in modum, quod ante hac quoque feci (ſi recti memini) vt mihi quum otium erit, certis quibuſdam capitib. comprehenſam pharmaca miſcendi doctrinam deſcribas.

Compoſitio medicamentorum difficillima.

Nam ea pars medicinæ neſcio quo modo mihi omnium videtur eſſe difficillima. Doſes, quas vocatis, etiam, vnde ſumendæ ſine errore poſſint; tum quos in primis ſcriptores, qui hanc artem perſecuti ſint probes, non grauate mihi indices, Quos à me libros petiiſti Eraſti, crede mihi, non poſſe hic reperiri, niſi me ii fallũt, quorum opera vſus ſum.

Mercenarius in Eraſtum.

Vidiſtine Mercenarii philoſophi Patauini librum contra Eraſtum de putredine? quo de argumento ſcripſit magnum opus contra eundem Eraſtum Simonius. Sed nondum in lucem emittit Ingolſtadienſis typographus, ex eo, cum hic eſſet, ego raptim aliqua decerpſi, quæ tibi legenda mitto: vna cum Cratonis quibuſdam, & eiuſdem Simonii paradoxorum capitibus, & ſi quid aliud ad manum habebo. de quibus tuum mihi poſtea iudicium patefacies, & hæc mihi remittes. Nunc, ſi nondum vidiſti, ecce tibi Fernelii conſilia, quæ attigi tantum, non perlegi, vna cum Donzellino.

Fernelii & Montani conſilia. Trincauella.

O quam ieiuna Ferneliana mihi viſa ſunt, quum Montani conſilia aſpicio. Si Trincauella prodibit, qui nunc ſub prælo gemit, non dubito, quin abſolutiora omnia habituri ſumus. quãuis vides, credo, meam audaciam, & illud fortaſſe tacite occinis, Ne ſutor. Rogo te, quum hæc mihi remittes, aut etiam antequam remittas, ſi adhuc carere potes Peuceri algebra manuſcripta,

Algebra Peuceri.

quam hic diu habui, nec deſcribi potuit, adhuc mihi mittas, vna cum Mercurialis de compoſitione medicamentorum, aut quem maxime ex tuorum præceptorum dictatis probasitum ſiquid vel manuſcriptum, vel impreſſum Paterni de humorum purgatione habes.

Neſcio an tibi vnquam de colico meo dolore ſcripſerim. Intra hoc biennium quater iam me male accepit. rogo te ſi quid habes. quod propria experientia comprobaueris contra hunc morbum, vt mecum communicare non graue ſit.

Problemata medica tria de Peſte.

Quæro ex te, vtrum febris ſuperueniens acutis morbis, vt peſti, ſit morbus, an ſymptoma. II. Vtrum peſtis abſque febri exiſtere poſſit. Nam quum ſani homines, nullo vllius caloris ſenſu percepto repente exanimati concidunt in ipſis compitis (quod fieri ſolet in peſtilenti aeris conſtitutione) non video, quomodo febri laboraſſe dici queant. III. Vtrum in omni peſte aerẽ infici neceſſarium ſit. Opera Fernelii omnia recuduntur Pariſiis, cum multarum rerum appendice, & 400. minimum conſiliis Medicis. Valleſius quoque quem Crato emiſit, ſuum opus multis partibus auctum Plantino excudendum miſit. Vale feliciter, & reſcribe πάντα περὶ πάντων. Breſſæ, 19. Iunii, anno 1583.

EPIST.

EPIST. XXXIV.

IDEM EIDEM.

DOLEO tam eſſe, me parum fortunatum, vt intempeſtiua fuerint mea munuſcula. quæ tamen tibi grata accidiſſe, gratiſſimum eſt. De ſeminibus magnam humanitati tuæ gratiam habemus. nihil eſt, quo vos remunerari hoc tempore queamus. Sententia tua de fiſtula illa hæmorrhoidali plane cum mea congruit, vt ex epiſtola mea colligere potuiſti: quam ego nunc firmius tenebo, quum abs te, doctiſſimo viro, confirmari eam, & bonis conſtabiliri rationibus videam. Si vnum diem anteuertiſſet epiſtola tua, poteram tibi maius fruſtum ex eo piſce mittere, quem petebas. hic quod ego ſciam, nunquam his quinque annis, quibus hic viuo, huius generis piſcis venum expoſitus fuit in piſcario foro. In deſtillationibus capitis, tum tuſſi coniunctis, probasne vinum & laconicum, vel balneum in labro, ſine ſudatorio? Sin, vt puto, improbas, cauſas mihi explica breuiter ſententiæ tuæ. Gratias tibi ago de conſilio, quo tamen vti non licet, niſi puellam enecare eogendo vellemus. quæ alioquin iam, quod non ſiccis oculis ſcribo, ita eſt diuturno hoc morbo afflicta, & debilitata, vt nihil pene cauſæ videam, quamobrem bonum eius exitum ſperare debeam. emaciata eſt mirifice, nihil ſanguinis in facie apparet, ac ne in labellis quidem viuidus ille, & roſeus color amplius viſitur. nihil remittit rigor, ardor etiamnum quotidie miſellum corpus excoquit. Cibum non appetit, niſi noxium; non alium potum in os ſibi ingeri patitur, quam cereuiſiam ſecundariam, 22. iam diem ſic affligitur. D. Crato ſuadet, vt mane aquæ cuſcutæ duo aut tria cochlearia ei iniiciamus. Verum hoc quoque inane ſtudium noſtrum erit, ſat ſcio. Experiar tamen etas, Deo dante, etſi ſcribunt veſtri, niſi fallor, calidam & ſiccam eius plantæ vim eſſe, & hæc puella ſatis per ſe exſiccatur, & vritur à pernicioſa illa flamma, quæ ipſas iam medullas eſt. O quam timeo, ne morbus hic in hydropen deſinat, quam non ita multo poſt mors excipiat. Quæ carpis & arteriis manuum alligantur neſcio an id præſtare poſſint, vt incendium, quo epar, & interiora abſumuntur, exſtinguere queant. Vt primum nactus ero Fernelii conſilia, & ſi quæ ſunt alia genera eiuſdem, quæ tibi grata fore intelligam, propere ad te volabunt. Amandus ... llam mihi diſputationem oſtendit, quod obliuione factum puto. Libenter equidem legiſſem nihil enim eſt mihi optatius, quam vt noui ſemper aliquid, quod doctum ſit, videre & examinare poſſim. hæc mea eſt voluptas, hæ delitiæ, quibus lauta amicorum conuiuia, & à multis expetitas magnatum familiaritates (quas ego cupidiſſime fugere ſoleo) longiſſime poſtpono. Si eſt adhuc ad manum, mitte rogo. oportet enim eſſe aliquid, quod tibi non diſpliceat, cuius ego doctrinam, & acumen magni facio. Vale feliciter, meque amare perge, & amicos tuos & meos ſaluta. Breslæ, 1. Martii anno, 1583.

In catarrho num vinum & balnea proſint.

Aqua cuſcuta.

An quæ alligantur carpo ✓ intrent, & epar.

EPIST. XXXV.

IDEM LAVRENTIO SCHOLZIO *Medico.*

PERGRATÆ mihi literæ tuæ acciderunt, ab optatiſſimo homine allatæ, cui propemodum plus debeo, quam tibi. Nam, vt tu ipſe ſignificas, niſi ille magnopere vrſiſſet, ne ſcripturus quidem ad me fueras. Sed vt vt eſt, gratiam tibi habeo. Probo conſilium tuum, quod propius ad nos acceſſeris. Id, & tua cauſa, & mea, lætor te feciſſe: tua ob eaſdem, quas attigiſti cauſas; mea vero, quod te in hac vicinia longe mei magis fore memorem confido, quam in illis locis fueris, ex quibus iſthuc commigraſti. Gratias tibi ago de communicatis duobus tuis experimentis. Etſi non totam mihi rem explicaſti. De Aëtite lapide ſic opinantur mulieres, & ego in primo prioris vxoris meæ partu, qui & difficillimus & periculoſiſſimus fuit, perſuaderi mihi paſſus fui, vt vtriq; eius femori alligandū curarem, alter etiam grauidus erat, hoc eſt, incluſum in ſe alium lapillū habebat. Id quod ex ſtrepitu, quē manu tremula agitatus edebat, ſatis perſpiciebatur. Atq; hoc quidē genus altero illo longe efficacius eſſe prædicant. Quid quæris? partus feliciter proceſſit, idque exigua mora interpoſita. Neque id tamen ego lapidi potius, quam aliis medicamentis, quæ multa ab obſtetricibus & circumcurſantibus fœminis adhibebantur, tribuendum cenſeo. adde quod tempus jam aderat, quo etiam nullo appoſito remedio, natura infantem extruſiſſet. Equidem non magnam huiuſmodi medicinis fidem adiungere ſoleo, multis de cauſis; tum experientia etiam ipſa adductus, etſi non neſcio eos quoque, qui plenam huius generis remediis fidem habent, eandem experientiam iactitare, quibus ego idem, quod aſtrologis, reſpondeo. Si ab experientia teſtimonium ſit petendum, cauſa eos cadere. Vni enim alicui experimento, quod

Aëtites lapis.

Experimentum fallax.

ex illorum ſententia forte ceſſit, mille alia opponere poſſum, in quibus ſpe inani, nullo fructu conſequente, ſuperſtitioſuli homines eluduntur. De corde leporis idem fere iudico, quod de multis, quę ab occulta proprietate mirabilia quædam in certis morbis efficere paſſim affirmantur; quæ ipſa quoq; ſi quis diligenter obſeruet, maiore ex parte, commentitia eſſe experietur. Quod .a. addis de numero ternario, ſi quid effectum eſt, id equidem nulli numero, ſed potius alus illis, quib. præparaſſe te ſcribis, tribuendũ cẽſeo. Quid obſecro, in numeris viriũ ineſſe poſſit per ſe, quod efficacitatem habeat? ortum id eſt totum ex Pythagorica illa ſuperſtitione, & ad noſtram vſq; ætatem propagatum. Sed de his malo tamen tuam ſententiam audire, præſertim ſi bonis & firmis eſt rationib. munita, ex Philoſophiæ & Medicinæ fontibus deriuatis. Baſſiani Landi lectiones in Aphoriſmos Hippocratis ſi accepiſti à medico illo, cuius mihi literas oſtendiſti, rogo, vt eas mecum communicare ne graueris. Quod ſi nõdum accepiſti, da operam rogo, vt quam primum tibi mittantur. Crede mihi nihil illo homine fuit in Italia elegantius, ſiue methodum, ſiue doctrinam ipſam ſpectes, non te huius laboris pœnitebit. Cupio videre tuum Arantium de vulnerib. capitis, aut quicquid eius habes, præter illum aureolum libellum, quem edidiſti. Item pergratum mihi feceris, ſi mihi adhuc inſpiciendi dabis Capiuaccii de venenis, & putredine ſcriptum. Vellem etiam ſcire, quomodo vnguenta exterius illita, poſſint penetrare ad partes eas affectas intimas per tot ambages, & anfractus. Si quid habes vel ſcriptum, vel impreſſum in hac materia, rogo vt mittas, mihi magnum reſtat dubium. Si quam quoque nactus es ab amicis tuis, pulchra de re aliqua, vel ad Philoſophiam, vel medicinam pertinente, diſceptationem, rogo mecum vt eam communicare ne grauere. Scio vndique multa ad te mitti, quæ quum nobiſcum eſſes, humaniter mihi oſtendebas. Non dubito doctorem Monauium etiam ex aula ſępe ad te ſcribere ſolitum, & talia multa ad iudicium tuum referre. Hoc nihil facere gratius potes. Ego viciſſim, ſi quid cauſa tua poſſum, amico & beneuolo animo atq; impigre faciam. Vale meque ama, & domino Bucholzero plurimam ſalutem dicito. Ex tua nobiliſſima & elegantiſſima patria 24. Iulii, Anno Milleſimo, quingenteſimo octouageſimo tertio.

Numerorũ nulla eſt efficacia.

Baſſianus Landus.

Arantius.

Capiuaccius.

EPIST. XXXVI.

IDEM D. PETRO MONAVIO, *Medico Cęſareo. S.*

DE Etymologiis ſumma inter nos eſt cõſenſio, & erit in aliis quæſtionib. omnibus. Facio enim tuam iſtam elegantem doctrinam, iudiciiq; acrimoniam plurimi. De aqua non fontana generatim. Verum de mea hac puteana, quæſiui; quam non ſentio eſſe, vt tu ſuſpicaris, frigidam; neque puto vlla metalla alluere, ſed, ni fallor, ex Olaua percolari. non enim longe abeſt, & probabile eſt terram madefieri, ac, ſpongiæ inſtar, abſorbere aquam: quæ, effoſſo puteo, confluat in ſcrobem, vt ſic dicam. Quod de manibus frigore rubentibus attuliſti, neſcio an propoſitę rei conueniat. Caro enim mortua calore caret, interno illo; qui efficit, vt viua manus ruborem contrahat, dum frigus inimicum natura, contractis virib. magno impetu, propellere conatur. Etſi memini quid Galen. de herba, ſanguinem ex abiecto forte in gramen carnis fruſto eliciente fabuletur. Verum hæ, vt dixi, fabulæ ab omnibus ætatibus exſibilatæ ſunt. Legi etiam in Medico illo Indico Monarde (ſi recte nomen teneo) de Indo quodã, qui pharmaco (quod ille tamen nominare nõ poteſt) ſanguinem vacuauerit. De vxore magnas ago gratias. Experti antea ſumus omnia, quæ narras. Illud etiam auſus ſum imperare, vt clauſo ore, cohibitoq; ſpiritu quam diutiſſime experiretur, num motus conſequeretur. Fruſtra fuit hoc, & alia quædam. Illa quæ tu commemoras abſunt omnia. Nam nec dolorem vllum ſentit, & vbera indurantur, & vterus intumeſcit, neque deſcendit, neque quicquã in vllum latus voluitur. Nam ego quoque ſuſpicabar molam eſſe; Verum indicio hos hoc metu liberant. Itaque perſuaſum mihi habeo, motus illos, quos ante menſem ſe percepiſſe dicit, non fuiſſe veros, ſed ſuſpiciones tantummodo, & fortaſſe etiam ventoſitates, vt veſtri practici vocant. Nam à cohibitis γυναικείοις hic quartus menſis eſt, & non ante quintum menſem ante hac ſolita fuit motum embryonis ſentire. Vale 10. Decemb. Anno 1579.

Herba ſanguinem euocans fabuloſa.

Indicia conceptionis.

EPIST. XXXVII.

MAGNIFICO DN. ANDREÆ DVDITH ab Horckowiza. &c. D. Petrus Monauius, Medicus Cæſareus.

S. D.

DE aquis ſententiam meam, hoc eſt, à me ex probatis Autoribus, adeoq; è

Bacius Medicus. reì natura, vt arbitror, deductam, tibi placere lætor Bacii & Modii libellos, quorum meminiſti, non legi, ac ne vidi quidem. *Cardanus.* Cardanus integrum de hoc argumento commentarium conſcripſit, in quo mire varius eſt, vt ſolet. Vult omnibus pene morbis aquam mederi, tam frigidis quam calidis: & neſcio quibus non modo ſimplicem eſſe affirmat compoſitionis mixtioniſve expertem. Eſt vbi plane oppoſita ei tribuit. Interim tamen hinc inde multa vtilia admiſcet & quidem à ſe peculiariter obſeruata. Quod Camati[illegible] attinet, caue ita dictum accipias quaſi ego laborem vllũ aut moleſtiam tui cauſa ſuſcipiendam defugiam. Non enim eo animo immotam eſſe volui: ſed potius, quod temporis breuitas, qua tum conſtringebar longiorem diſputationem de re nõ omnium expeditiſſima haud ferret. Hæc tamen reſponſionis ad quęſtiones illas meæ ſumma eſto; Aliter de his controuerti poſſe Philoſophice; aliter vero Medice. Philoſophus enim ſeu Phyſicus exquiſita ratione iſta diiudicat, καὶ ἐν καθόλῳ, Medicus contra, vt in ſcholis loquuntur, artifex ſenſatus & cum circa ſingularia operatio eius tota verſetur, ſenſu potius, quam ratione nititur ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον. Vnde multa abſurda videri poſſunt Phyſico κατὰ τὸ τοῦ λόγου ἀκριβές quæ quo ad ſenſum vera eſſe Medico comprobantur. *Humores ſeorſim putreſcere, medice non philoſophice.* Ex quo fundamento mihi diſſoluenda videtur operata illa cõtrouerſia; quomodo particulares humores, bilis v.g. aut pituita accendi, aut putrefieri poſſint ſeorſim; vt non tota ſimul maſſa ſanguinis accendatur, vel putrefiat. Intelligis nunc credo quæ ſubnectenda forent, reliqua. Bene vale.

EPIST. XXXVIII.

MAGNIFICVS DN. ANDREAS DVdithius, *Petro Monauio Medico Cæſareo, S.*

Reſponſ. vide infra Epiſt. 101.

NIſt me acumen & doctrina tua, quam ad quæſtionum explicatione adferre ſoles, mirifice delectaret, non eſſem tibi tam ſæpe moleſtus in hoc genere. Accedit quoque vtilitas, non vniuſmodi. Nam & doces, & excitas, & materiam ad cogitandum ſubiicis. Quærebam nuper ex te de amuletis & philtris; Autorem etiam aliquem, vt mihi nominares, rogabam, qui de hoc argumento aliquid docuiſſet. Auide reſponſum expecto, quod iam paratum eſſe, non dubito; niſi te grauiores occupationes auocarunt. Adiiciam duo alia, ſi pateris, de quibus ſententiam tuam exquiro; ac, niſi memoria me fallit, an: ea quoque de [illegible]is te conſului. Copio

1. *Num perſpicillorum vſus oculorum aciem hebetet.*

ſcire, num perſpicillorum, aut ocularium vſus conſeruet, aut oculorum aciem hebetet. Ratio dubitationis eſt; quia vulgo ſic putatur, ſi quis ſemel eis aſſueſcat, ita oculos deprauari, vt non, niſi hoc adiumento, officiũ poſtea facere poſſent. Vere tibi dico; non poſſum videre quid verum ſit, quid probabile. In multam noctem de veteri mea conſuetudine, lucubrare ſoleo: ad multam aliquot horarum continentemque lectionem caligant aliquando oculi, præſertim ſi in minutiores characteres incido. Vellem eis laborantibus ſubuenire, niſi plus ineſſe in remedio, quam malo ipſo, periculi ſuſpicarer. Exime mihi hunc ſcrupulum. Si notior nobis eſſet viſionis ratio tota, ac non in cortice hæreremus: vt ſolemus in aliis quoque naturæ arcanis; ſed ad nucleum ipſum penetraremus, ac τὸ διὸν peruideremus, nõ ita dubitaremus. Si tibi digna inquiſitione res videtur, & cum Domino Doctore Rungio, qui de viſus ſymptomatis multa contemplatus eſt, philoſophari lubet; gratum mihi erit vtriuſque ſententiam cognoſcere. Alterum hoc eſt; Qui fiat, vt ſimul ac caſeum, mel, aquam, & liquores alios deglutimus, ſtatim exſceramus, & multum ſputum eiicimus. Hoc autem fit tam ſubito, vt tum deſcendere tam ſubito ſiue ex capite, ſiue aliunde in os nequeat. Nec ibi quidem generari ita repente poteſt. Vbi hæret? Et tota ne illa maſſa vno loco an in diuerſis agglutinata eſt? quomodo tam facile in vnum locum coit, vt confertim expellatur? De melle, & liquoribus fortaſſe non ita difficilior reſpõſio fuerit; ſed de caſeo, minus me expedio. Vnde quæſo, in eo eſt attractrix illa, vt ſic dicam, & congregatrix harum partium diſſipatarum vis; aut, ſi alicubi hęret, vnde incidendi facultatem nactus eſt? ne de veteri excipias, qui calidior eſt, recens quoque id efficit. Vale. 29. Septemb. Anno 1581.

11. *Cur poſt caſeum aut liquoris deglutitionem ſtatim exſcreamus.*

EPIST. XXXIX.

IDEM EIDEM.

DE Stibii præparatione faciam quod imperas. Sed longum iter in Daciam eſt, nec ſatis ſcio, an adhuc in viuis ſit Stibiophagus ille. ſi vera ſunt, quæ ab iis memorantur, qui pernicioſum ſtibii vſum affirmant, iamdiu illum interiiſſe oportuit. Negant enim vitales eſſe eos, qui hoc pharmacum ſumunt, vtut bene illis initio cedat & à multis ſubleuari videantur. Quæ ad Caroli noſtri quæſtiones reſpondebis, legam perlibenter. Mittet aliquid Marcelli ad te, oppoſitum eleganti & doctæ il- *Antimonii vſus.*

Marcelli paradoxon oleum eſſe calidum & ſiccum.

li epiſtolæ tuæ. Obiter legebam in eius ſcripto nonnulla de Oleo. Nam reliqua non fuit otium excutere. Nihil dici poſſe abſurdius puto, quam olea eſſe calida & ſicca. Vſus contrarium certe indicat. Atque vt à corporibus noſtris diſcedam, vel ocreæ induratæ, & exiccatæ, & vires item ſiccitate contracti, ſi periculum faciat, errorem ei eripient. Verum hæc veſtratia ſunt, & altius otium ad refutationem poſtulant. Si reſpondere lubet, multam diſputandi materiam habes. Nulla exercitatio fructuoſior „ eſſe poſſit, neque ſane optabilior. Noſti A„ riſtotelem etiam male Philoſophantibus gratiam habendam eſſe dicere, quod cauſam afferant vera inueniendi. Quod tamen ego minime ad Marcellum, hominem acutum pertinere volo, qui tametſi non ſemper ſcopum attingit (homo enim eſt) multa tamen ſæpe affert, quæ minime contemnenda eſſe videantur. Et quid eſt, obſecro in tota Philoſophia, quid item in arte veſtra adeo firmum, quod ab hominibus acutis infirmari nequeat. Remoue pauliſper antiquitatis præiudicium, & res non ex authoritate veterum; ſed ex veritate, & euentu æſtima, intelliges magno conatu, atque vnanimi aſſenſione, magnas nugas nobis obtruſas eſſe. Non libet exempla congerere, quæ tibi homini docto & eleganti ignota non eſſe poſſunt. Sed hæc non ſunt huius loci. Vale. Paſcouii 24. Ianuarii, Anno 79.

Nihil in Medicina atque Philoſophia adeo firmū, quod infringi nō poſſit.

EPIST. XL.

IDEM EIDEM.

AMVLETA tua valde expecto. Scio enim te non vulgari modo res tractare, neque ἐπιπολαιότερον ſicco pede tranſcurrere, ſed εἰς βάθος, vt ſic dicam, deſcendere; Quo ſum tuarum lucubrationum ſemper cupidior. Sed memini te ſcribere, ocium tibi ad eam quæſtionem excutiendam, & ſane etiam libros, quibus opus eſt. Quare duo ad eam rem, te comparas, en adfero tibi aliud argumentum, ſi forte magis in promptu habes, quod reſpondeas. Meditata tibi hæc iampridem eſſe, quæ huc pertinebunt, vel illinc ſuſpicor, quod memini, neſcio an non de hac ipſa re, certe non valde diſſimili, tecum Eraſto, cum nobiſcū adhuc viueres, per litteras contuliſſe. Sed venio ad rem. Magnam mihi ſemper dubitationem attulit, tota illa de medicamentis quæſtio, qua vi & quomodo agant, an ad ſe humores trahant, an pellant, an naturam tantum occulta aliqua, aut manifeſta vi proritent ad id excernendum, quod moleſtia afficit, an ſine delectu bona, atq; innocua cum noxiis exturbent. Eſt in Eraſti aureolo illo libello hęc quæſtio omnis excuſſa quidem, ſed ego tua legere geſtio, methodo atque ordine meliore digeſta, ipſius Eraſti ſententiam vel explicantia, vel confirmãtia, vel etiam ſi ita lubet, confutantia. Vide quanti te faciam? facio equidem id magno merito tuo. Iſta præterea mihi examina, An in medicamentis circa formam, materiam, & qualitates ſit proportio, à qua vis eius proficiſcatur? Et quid ſit illa, num ex genere τῶν καθ' αὑτὸ, ἢ κατὰ συμβεβηκός. An illam proportionem, διω[illegible]ν, & qualitates ſit magna differentia, & quæ ſit illa. An proprietas medicamenti, quo dicitur huic vel membro conuenire, vt ſunt κεφαλικὰ νεφριτικὰ, στομαχικὰ, &c. an ſit ipſa ἀναλογία formæ, materiæ, & qualitatum. An in materia tenui, vis aut qualitas maior, quam in craſſa. Cur quædam reciſa à ſua ſede, & emortua agant non minus quam ſi viua ſint, aut etiam magis, præſertim longo tempore aſſeruata. Vbi vis illa hæret, quum iam in illis forma mixti videatur interiiſſe. Quomodo medicamenta extrinſeca agant, an calor cutis actuet ea, & quomodo, & an actio fiat à forma illi medicamenti cadaueroſa, vt ſic dicam, mediante ſpirituoſa aliqua ſubſtantia. An in odoriferis ſubſtantia aliqua agat, an accidens, & ψιλαὶ illæ ποιότητες, & num habeant ſuum certum & ſpirituoſum vehehiculum, an vero commune, aerem externum. An cauſa motus in actione medicamēti ſit forma, an materia, quæ per ſe non videtur actuoſa, an forma ſimul & materia compoſiti. ſed hic videndum, num reciſę herbæ, radices lapides, &c. quæ nouã formam & materiam alius generis acquirere videntur, eaſdem qualitates habeant, quas prius, quam abſcinderentur, & quare eaſdem, cum iam forma prior, à qua actio, abierit; ſiu diuerſas, vnde eas acquirat; An formæ motu, & lumine cœli excitentur, aut introducãtur in materiam, an diuinitus demittantur immediate ab illa Cholcodea Accidentium, vel potius formarum omnium datore DEO. Vnguentorum vis quomodo penetret in intimas loci affecti partes, per tot anfractus. Non enim videtur veriſimile vires eius non euaneſcere antequã altius deſcendant; præſertim cum non multum eius in cutem effundatur, nec diu admodum digitis imprimatur, & maximam partem vnguenti digiti & aeris caliditas abſumant; tum loca per quę tranſit, ſuum quoq; quaſi vectigal exigunt, neque totum ad deſtinatum locum peruenire patiantur. Adde quod, vt Eraſt. quoq; alicubi de καθαρτικοῖς ſc[illegible]bit, intelligentis naturæ eſt, nõ ἀλόγως, a[illegible]ertam aliquam, camque in-

Medicamenta qua vi, & modo agant.

An in medicamentis circa formã, materiam & qualitates ſit proportio.

Problemata de qualitate & actione medicamentorũ.

Vnguentorum penetrans.

que intimam corporis partem pergere atque in via alibi ſubſiſtere ad Medici arbitrium, atque imperium. Hæc & quæ huc pertinent alia capita, vt mihi, more tuo, eleganter, docte, acute, copioſe, perſpicue explices per ocium, valde te per amicitiam noſtram, iterum atque iterum rogo. Non ſunt iſta, vt mihi quidem videtur, leuia, ſed eiuſmodi tamen quæ tu, ſi ingenium illud tuum eleganti doctrina perpolitum intenderis, vnus omnium optime diſſoluere poteris. Vale, Vratisl. 6. Auguſt. Anno 82.

EPIST. XLI.

IDEM EIDEM.

SERIVS fortaſſe, quam par ſit, humaniſſimis literis tuis perſoluo. Multæ ſunt cauſæ, quarum commemoratione nolo te obruere. Inualetudo etiam mea pigriorem me reddidit. Quos ego colicos eſſe dolores putabam, metuo ne nephritici ſint, aut coniunctis viribus me affligent. ſuperioribus certe diebus, quibus N.N. in veſtrum ordinem Æſculapius noſter cooptauit, minutulum lapillum cum lotio excreui, ſine dolore tamen, magnitudine dimidii ſeminis Cannabis, cuius pars vna concaua eſt, & alba, altera conuexa, nigricante colore, ad cœruleũ declinante, glabra, diceres ſemen Cannabis diuiſum. Anteceſſerat δυσουρία, & dolores ſub vmbilico, è regione veſicæ, vt exiſtimarem flatus incluſos vrinam intercipere, & partes illas diſtendere, atque ita cruciatum adferre. Vno die & nocte ad minimum ſeptuagies matulam ſumſi, ſemper aliquid, etſi parum admodum, excernens, nulla arenula in vitro, nulla calculi alia ſigna (ſi quæ tamen ſunt) propter aliquanto turbatam vrinam, vt eruditorem indicaret. Eadem fuit quæ mea, Medicorum aliquot N. N. promototum (quos conuiuio exceperam) de hoc meo morbo ſententia. Sed altera ab eo dies & illorum, & meam coniecturam fefellit. Ab eo tempore nihil ſenſi. Etſi ita difficile, vt ἀδύνατον prope eſſe cenſeam, pronnnciare num hoc ſit maioris alicuius lapidis in veſica vel ipſis renibus hærentis, & adhuc fixi fragmentum; tamen rogo te, vt coniecturam tuam mihi ſignifices, magnum eſt ingenii tui acumen, vt facile tu quo alii nequeunt penetrare queas mihi certe ἀπόσπασμα quaſi quoddam videtur fuiſſe à maiore a[illegible]ua mole, quod mihi illa cauitas indicat. [illegible]uid ſi etiam illa parte caua renum carni a[illegible] eſit? & totum illud poſtea auulſum eſt, [illegible] am id ſi[illegible]. Sed [illegible] ſecro te, es ne & tu in eorum hæreſi qui medicamentis intra corpus aſſerunt concretos iam lapides atteri atque adeo confringi poſſe; mihi quidem id non ſit veriſimile. Quod tamen ſi tu affirmabis non facile à tua ſententia diſcedam, quem ſcio nihil temere affirmare. Si quid habes, quod vel prohibere maiorem huius materiæ aggeſtionem queat, vel præſentem morbum diſpellere, rogo te, ne me id celare velis. De meo potu placet mihi ſententia tua, à quo non diſcedam, nec poſſum. Rationem autem aquæ huius noſtratis ad meliorem temperiem coctione reducendi, vt me doceas, humanitatis tuæ erit. Vale Breslæ 20. Nouemb. Anno 84.

Num lapis medicamentis confringi poſſit.

EPIST. XLII.

IDEM EIDEM.

DE dentibus nihil habeo, quod reſpondeam amplius, niſi illud quærere velim, quid fuiſſe tandem putes id, quod nuper ſcribebam, ſi neruulus non fuit meus ille fuit dens, quem ob maximos cruciatus extrahi deinde diſſecari iuſſi, vt inſpicerem, num aliquid in eius ſubſtantia reperiri poſſet. Nam erant & inter Chirurgos, qui deſerarent vermes in eo latere. Vermem equidem nullum vidi, verum tenuem quãdam, vt ita dicam, carunculam, pili inſtar nigricantem; quæ à ſummo ad imam radicem dentis deſinebat, eam cultello eradebam. Fieri poſſe exiſtimo, vt ex aquis fortibus & oleo victrioli, quod infundebam foramini ex ſtultorum conſilio, dens diffiſſus fuerit, vt materia illa ſenſim delapſa, carunculæ, quam dixi aut neruuli ſimilem ſpeciem deſarit. Sed hæc leuia ſunt, nec ſatis digna eſſe videntur, de quib. tot inter nos verba commutemus. Quæ de Stibio & prioribus, & his litteris memorias, vera eſſe non dubito. Legi quæ Greuinus de eo docte ſcribit, quæ item Stenglius. Non deſino tamen mirari, quæ Matthiolus & Geſnerus, & Andernacus, (vt alios quoſdam prætereeam) tam magnifice de viribus eius iactitant. Neſcio an nuper tibi ſignificauerim de nobili quodam viro, qui mihi 18. annos operam nauauit. Is multis & grauioribus morbis conflictatus fuit, per ſex, & amplius annos. Scabie perpetua, ſicca illa quæ perpetuo pruritu vexat, mirum in modũ vexabatur dies ac noctes. Somnum capere non poterat, cibum reſpuebat, vertigine tentabatur identidem. Cracouienſes quidam Medici, aliquot annis hominem variis medicamentis (alioqui macrum & ſiccum, & Melancholicum) excarnificauerunt. Fuit qui in ſarſam parillã,

Caruncula quædã fibroſa in medullis dentis reperta.

De Stibio ſcripſere, Greuinus, Stenglius, Matthiolus, Geſnerus. & Andernacus.

In ſcabie [illegible] [illegible] in Antimonio [illegible].

deinde Cynæ radicem, alias Guaiacum præberet; denique hydrargyro vnctus fuit, ſed hæc fruſtra omnia, non potuit morbus his armis propulſari. Tandem conſilio Itali cuiuſdam Iohannis Pedemontani, qui tum in Dacia ei, qui nunc Polonorum Rex eſt, miniſtrabat, ad Antimonii 4. grana deuentum eſt. Quid multa? morbus tam diuturnus, tã pertinax, paucis menſibus depulſus eſt. Iam ſex anni abierunt. Etiam nunc bene habet. Addam hoc quoq; quod mihi mirum magis videtur, is, quem dixi Pedemontanus, iam à 15 annis, ſingulis fere menſibus 10. 12. 14. cum lubet, & neceſſe eſſe putat, grana ebibit. Morboſum ſe antea fuiſſe ait; poſt vſum Stibii recte ſemper valuiſſe. Itaq; magis vt imminentibus morbis obuiam eat, quam vt præſentem aliquem curet, Stibio ſe tam frequenter vt affirmat. Hæc ideo addere libuit, vt videas, quæ quidem de Paracelſicis remedus dicunt non in omnibus corporib. euenire. Etſi μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Vale. Paſcouia 26. Octob. anno 1578.

Iohannes Pedemontanus aſſiduo Antimonii vſu firmam ſibi comparauit valetudinem.

EPIST. XLIII.

IDEM EIDEM.

DE Gryphibus, Phœnice, vt multa alia, quæ antiquitas nobis credenda obtrudit, fabuloſa eſſe puto. Vnicornu niſi ſpecies aliqua certa animãtis eſſet, vix à Pſalte in eum modum nominaretur. Fuiſſe igitur tale aliquod animal quod vno cornu armatum fuerit, & ſi quæ ex Diuini vatis verbis alia illius animantis propria elici poſſunt, equidem negare non facile auſim. Iam vero extitiſſe aliquando tale animal, & poſtea aliquo tempore ſpeciem eius ita totam è medio ſublatam eſſe, nihil vt eius iam vſquam ſuperſit, mihi religio eſt affirmare. Etenim ſi mundus perfectus eſt à ſummo DEO conditus nil ei defuit, neque deeſſe poteſt. Perfectum enim id eſt, in quo nihil, ne cogitatione quidem vſurpare queas, quod deſideretur, & nefas eſt ſapientiſſimum DEVM dicere hanc machinam imperfectam condidiſſe, niſi eadẽ opera vel poteſtas ac vis, vel ſapientia ei per ſummam impietatẽ detrahatur. Quod ſi fuit illo vnquam tempore perfectus hic orbis vniuerſus, certe nulla relinquitur cauſa cur nunc imperfectus eſſe dici debeat, niſi quis optimum & præpotentem Rectorem, moderatoremque DEVM ab illius procuratione remoueat, ſed nolo in hanc diſputationem deſcendere, quæ maioris operæ eſt. Vale.

Phœnix & Gryphes fabuloſa. Vnicornu vera.

EPIST. XLIV.

IDEM EIDEM.

VT aliquod argumentum ſcribendi literas habeas, quod me oblectet magis, & doceat, rogo te explica mihi duas haſce quæſtiones, quarum de altera fortaſſe iam antea tecum egi, verum reſponſum tuum non teneo. I. Veſtri in eduliis ea prius aſſumi iubent, quæ mollia ſunt, & concoctu faciliora. In quem vſum? An vt citius exeant? Quæro, num ante ex ventriculo exeant ingeſta, quam in chylum conuertantur? ſi non, ſed dum demum, cum & ventriculus, & aleç venæ ex chylo, exugunt id, quo opus habent, apparet certe omnia ſiue facilis, ſiue difficilis concoctionis ſint, in chylum confundi atque adeo ἄνω καὶ κάτω φέρεσθαι. Nihil igitur refert, quo ordine cibi deglutiantur. Si id verentur, atque aliquid in eo poſitum eſt, ne in ventriculi fundum grauia, aut dura prius quam mollia, & liquidiora deiiciantur, fruſtra conantur. Nam tameſi hæc ſequantur, fundum tamen ipſum petent. Cedunt enim leuia grauibus, & ponderoſioribus, vt in aqua videre eſt, aut luto, cum lapis, lignum aut ſimile quid iniicitur. II. Vetant item ne in febrium inſultibus cibus ęgroto detur, ne, ſcilicet calor diſtractus non ſatis virium habeat, ad vtrumque opus, ad cibum digerendum, & contra hoſtilis impetus depugnationem. Et tamen niſi fallor iidem veſtri mandant tum in paroxyſmis cibandos febricitantes, cum periculum eſt, ne vires eos deficiant in ipſa lucta cum morbo. Quare hic illa ratio non valet. Si cum vires adhuc firmiores ſunt, ante paroxyſmum alantur, quanto magis cauendum videtur, ne deiectis iam viribus in ipſis paroxiſmis naturæ robur diſtrahatur ac magis magiſque labefactetur, ſi tum cibus offertur? Vale.

Cur mollia primum ſumenda.

An in paroxyſmo febricitantes cibandi.

EPIST. XLV.

IDEM EIDEM

SI forma & finis rei idem eſt, ſuperuacaneum eſt alterutrum mẽbrum in cauſarum diuiſione apud Ariſtotelem. Deinde forma rei ineſt, atque adeo, vt tu quoque recte ſentis, rem ipſam conſtituit, & dat eſſe rei, vt ſcholæ loquuntur. Finis externum quiddam eſt, & conſequens formam. Mirum a. etiamnum mihi videtur rhabarbarum, piper, zinziber aliaque eius generis à forma ſua procedentes vires retinere

Formam & finẽ differre.

In medicamentis forma vegetabili amiſſa vires remanere.

nere forma ipſa iam abolita. Reciſa enim & exſiccata formam ſuam, qua viuebant, amiſerunt. Homo, equus, alia animantia, cum viuere deſierunt, à forma procedentes actiones edere amplius nequeunt. Quare cum viuunt, & poſt interierunt, non eandem formam retinent, ac ne appellationem quidem, niſi ὁμωνύμως. Aurum, argentum, plumbum, ne omnia metalla commemorem, non videntur per additionem externam augeri, ſed plantæ animam obtinere, quo fit, vt aliqua minus, alia magis excocta, & matura reperiantur. Sed hæc ad ciniflones, & argenti extenebronides, igniuomosq; Philoſophos relegemus. Humanitas, leonitas & quæ alia ſunt eius generis, nomina ipſo pene tremenda ſono, extra ſua ſubiecta nihil ſunt, niſi intellectus νοήματα, vt ſic dicam. Refert Laërtius, ſi recte memini, Diogenem Platonis Ideas irridentem, in hunc fere modum; Equidem o Plato, menſam & cyathum video menſeitatem & chyatheitatem, τραπεζότητα καὶ κυαθότητα non video. τὸ θεῖον, in morbis non id tantum, quod Eraſtus affirmat; ſed quidquid eiuſmodi eſt, cuius ratio reddi non poteſt, & à Numine immittitur, ab Hippocrate dici probabile eſt, nec dubito me hoc alicubi legiſſe, ſed piget quærere, præſertim quod noctuas Athenas.

τὸ θεῖον quid.

Humores an nutriant.

Si ſanguis purus ab aliis humorib. ſecretus, non niſi cogitatione, & ratione, in corporibus reperitur, quomodo ſanguis ſolus & ſyncerus, qui nuſquam eſt, nutriet? Bilis vtraque, pituita item, cum ſegregata ſunt à ſua maſſa, quæ tota ſanguis eſt, excrementa cum ſint fortaſſe non nutriunt. In quo tamen aliqui veſtrum pugnãtia docent. Nam lienem humore melancholico nutriunt, & ex pituita ſanguinem generant, & audiui qui diceret τ̃ κύστιν felle, cuius receptaculum eſt, nutriri. Sed tu de his docte diſputaſti. De Rubiæ viribus experientiæ teſtimonio ſtandum eſt. De formicis Placet, quod ſcribis. Vale.

EPIST. XLVI.

IDEM EIDEM

Reſponſoria Monauii vide 197.

POSITIONES tuas de dentibus relegi. Cuperem videre commentarium integrum. Non enim dubito te vberius, quæ hic nude ad diſputandum propoſita leguntur, perſecutum eſſe. Mihi quidem illa, quæ de eorum alueolis & radicibus ſcribis, atque appendicibus, non improbantur; ſed vereor, ne experientia refellantur: Sunt item qui affirment, ſe [illegible]eruulos vidiſſe, qui ab imis radicibus ad [illegible]mmum vſq; per medium dentem extenderentur. Alii ex foramine ſuffimentis vermes educunt, quos tamen ego in gingiuis generari puto; ſi tamen vera ſunt, quæ ab his narrãtur. De quo tu videris. Artificis enim eſt de arte iudicare, non noſtrum; qui veſtram, & alias artes, admiramur potius, quam intelligimus. Legi diligenter, quæ de Stibio accuratè diſputas. Non abhorret ab opinione tua Greuinus, Stẽglius, Eraſtus, & alii. Verũ quid aduerſus experimenta adferes? Matthiolus, Geſnerus Andernacus, Peletarius, multi alii, magni viri & à Paracelſi monſtroſis paradoxis aliis in rebus pene omnibus abhorrentes, magnas eius vires decantant. Ego ipſe vidi incredibilem curationem domi meæ, in nobili famulo meo, tum à multis morbis complicato multos annos, tum ab ipſis medicis diuexato, qui tamen non alio quã hoc pharmaco percurari potuit. Is alios quoque in familia mea curauit, præſertim febre quartana, & colicis doloribus laborantes. Quæ, etſi ita ſe habent; Ego tamen, etiamſi Medicinam facerem, veſtra autoritate deterritus, non auderem ad hoc, quod vos venenum vocatis, confugere. Sed, amabo te, ſi radix Mechoaca tam mirifica eſt, vt vult Donatus Marcellus, & Lobelius, & Hiſpani medici, cur tanto beneficio tam diu patria veſtra caret? Nihil in ea ſumenda moleſtiæ eſt, non odore, non ſapore, non ſpecie, nulla prorſus ęgrotis horrorem incutit, Rapam ſiccam diceres. Vale.

Nouus in dentis medicatio.

Vermes in gingiuis generari, non in dentibus.

Stibii laudes

Mechoacæ vtilitas & ſuauitas.

EPIST. XLVII.

IDEM EIDEM.

RATIO medicamentorum componendorum mihi in arte veſtra per difficilis ſemper viſa eſt, præſertim vt error in doſibus vitetur. Rogo te, vt mihi nomines ex plurimis vnum aliquem, qui hanc omnium optime artem tuo iudicio, proſecutus eſſe videatur. Equidem nihil in tota medicina minus intelligere mihi videor, excepta tamen pulſuum, & vrinarum doctrina, quam vel norunt Medici parum, & nobis imponunt, vt augures populo Romano faciebant, aut certe non ita explicant, vt intelligentia rem obſcuram comprehendere liceat. Galeni certe immenſas illas cogitationes, καὶ ἀκαταλήπτους vix mihi fit veriſimile à quoquam vnquam ad vſum practicum, vt vocant, reuocatas eſſe, aut etiam poſſe. Et ſane bonus ille vir, non videtur tantus fuiſſe practicus, quam Theoricus. Ocio certe niſi abundaſſet (quod fit, cum à paucis opera noſtra adhibetur) nunquam

Difficultas doctrinæ de pulſibus & vrinis.

tot libros ſcripſiſſet. Romæ non magni fiebant, & erant alii, qui ob artis vſum, longe anteferebantur. Id quod vel ex ipſius demonſtrari libris poteſt. ſed hæc extra rem.

Perſpecillorum vſus nouus.

Perſpecillis vti cæpi ante aliquot menſes ad cādelæ lumen, quoties minutulæ litteræ legendæ eſſent. Nunc etiā magnos characteres vix ſine eis lego, ac quod dolentius eſt, iā de die etiam ſæpe adhibere ea cogor. Itaque de quo ante dubitabam, & ex te quærebam, nunc meo periculo edoctus, didici rectius facere eos, qui nonniſi neceſſario ad eorum vſum deſcendunt. Tanta tam paruo temporis interuallo mutatio miraculi inſtar mihi viſa eſt. Proponit mihi amicus quidam dignum tuo acumine ζήτημα: In ore eſt Medicis προφυλακτικὰ ἀντίδοτα crebro permutanda eſſe, ne vni medicamento diutius aſſueta natura eius vim deinceps reſpuat, ſicque exiguum, aut nullum inde vtentes ſentiant emolumentum.

An medicamenta prophylactica ſæpius mutanda.

De purgantibus hoc, vt vere à Galeno præceptum eſt 5. de tuenda valetudine 9. ita an recte ad antidota Peſtis traductum ſit, non liquet. Cum enim hæc ex alterantium ſit claſſe, quæ corpus in eam, qua ipſa prædita ſunt, naturam immutare poſſint, veriſimile eſt quo diutius in eorum vſu percolitur, eo maiorem virium ipſarum in corpus impreſſionem fieri, vt corpus ita tandem minuatur, atque obfirmetur, vt etiam ſine his deinceps qualitati veneficæ reſiſtere, eamque à ſe propellere poſſit. Exemplo ſit Mithridates, qui ſua antidoto tam frequenter eo conſilio vſus videtur, vt corporis ſui naturam muniret ad cuiuſuis veneni vim infringridam. Quo factum eſt, vt nullo deinceps veneno extingui potuerit, Galeno teſte. Ad hanc non occurrit, quid aliud reſpondeam, quam ſi dicam, me non videre, quibus adducti rationibus Medici præceptum Galeni ad peſtis præſeruationem & curationem transferant, niſi forte eo reſpiciunt, quod in tam acuto, & pernicioſo morbo non ſatis relinquitur temporis ad contrahendum quaſi habitum quendam ab antidotis impreſſum, quo tanto reſiſti veneno poſſit. Etſi venenum à peſte remouent magni quidam Medici.

In peſte ſunt remedia mutanda.

Itaque imitanda ſæpe pharmaca cenſent, vt nouis ſemper ſubſidiis vires cordis tueantur, cum non tantum in vno aliquo antidoto præſidii poſitum eſſe animaduertant, quantum ſatis ſit ad tam potentis hoſtis copias debellandas. Illam ego cauſam, quam vulgo afferri ſcio ne ſcilicet natura aſſueſcat, & cetera. nullam eſſe puto. Exemplum quoque de Mithridate interea repono, quæ veteres ſatis multa reliquerunt, in quibus ἐπέχω donec noſtra experientia fidem eorū faciat. Reipſa enim comperi multa pro indubitatis circumferri, quæ anilibus ſunt fabulis inaniora. Vale.

EPIST. XLVIII.

IDEM EIDEM.

MAGNAS tibi gratias habeo mi doctiſſime Monaui, quod ad quæſtionem meam, tam eleganti, tam docta Epiſtola reſpondiſti. Scio mutationes, repentinas præſertim, periculoſas eſſe, tum vſu multarum rerum in vita edoctus, tum Hipp. præcepto monitus, neque ego eam ob cauſam iudicium tuum de meo potu exquirebam.

Qualis aqua pro potu conquirenda.

Sed dubitationem tantum de aquæ coctione proponebam, quam tu mihi ex animo exemiſti. Verum quod de fontana aqua ſcribis, vellem addidiſſes, quorum fontium aquas præcipue laudes: eorum ne, qui in planis locis, per arenam, an per glareolas ſcaturiunt, an qui ex montibus promanant, locis opacis, & frigidis, in quæ ſolis radii nunquam pertingunt. Deinde cum ex terræ viſceribus effundantur, & varia metallorum genera terant, eorumque qualitatibus ſine dubio afficiantur; qui ex omnibus fontes ad meum potum ſaluberrimi ſint futuri. Sed quoniam ad vos commigrandum mihi eſt, atque ex iſto veſtro fluuio haurienda aqua, quæro id, quod magis ex vſu meo eſt, num iſtam aquam ſine valetudinis periculo, aut etiam cum aliquo commodo, ad coquendum meum potum adhibere poſſim. Ac cum duo ſunt fluuii, vtrum magis probes. Etſi vterque mihi lutulentus & nunquam non turbidus eſſe videtur, multis fecibus, variis ſordibus, cadaueribus etiā variorū animantiū, vt veriſimile eſt inquinatus.

Tyberim multorū morborum cauſam.

Qua de cauſa Tybetim, Romę multos morbos procreare, ſunt qui affirment, etſi ea aqua à multis ſeculis illa gens pro ſaluberrima vſa fuit. Vale.

EPIST. XLIX.

IDEM EIDEM.

Vngula alcis medicata Epilepſiæ.

DE annulo gratiam habeo. Dedit mihi Rex Poloniæ Sigiſmundus Auguſtus integrum pedem poſteriorem dextrum, animātis illius, à ſe cæſi, eo ipſo tempore, quo dextram aurem vngue pedis illius ſcalperet; quod quidem tempus fuit inter duos Diuæ Virginis Mariæ feſtos dies, immediate ſeſe conſequentes, interiectum. Nam, hæc omnia religioſo obſeruanda dicunt,

ſi vn-

ſi vnguis ille id, quod creditur vulgo, efficere debeat. Totum in multa fruſtra conciſum diſtribui amicis; nemo tamen vnquam adiutus eſt. Expertus ego ſum in aliquot Comitialibus fruſtra, quæſiui ex infinitis, etiam ſuperſtitioſioribus, fabulas eſſe comperi. Quæ ratio igitur eſt, vt tantum morbum, tam leuluſculo amuleto profligari, muliebriter credamus? Et putas tu, vt ab hoc, ad genus vniuerſum tranſeamus; vllum vſquam eſſe περίαμμα quod internos morbos, vel leuiſſimos curet? Ego certe, niſi tu firmas aliquas rationes afferas, non video cauſam, cur id affirmem. Qua vi id faciunt? occulta inquiunt. At idem ſæpe, contraria natura præditis, diuerſis morbis adhibetur. Poteſtne idem pharmacum & frigus & calorem efficere, exiccare item atque humectare. atque adeo alias, quæ ab his oriuntur, paſſiones procurare? Deinde quomodo affecto membro vis illa morbi victrix ac triumphatrix communicatur? Per quos meatus ad intimas, atque abſtruſas illas particulas penetrat? Spiritibus ſcilicet vnitur, & vna eo defertur. Cur eo potius, quam in diuerſas partes? an ratione etiam præditum eſt, vt non niſi ad obſeſſum à morbo locum, recta tendat, non alio ſe à ſpiritibus abduci patiatur? Mira profecto res eſt, neque explicabilis. Senſati, inquis, artifices ſumus; ſubtilia iſta non moramur. audio. Sed quid ego hic aliud, quam ſenſum quæro, atque id mihi oſtendi poſtulo, quod in ſenſus incurrat. Occulta iſta veſtra proprietas, & ἰδιοσυγκρασία, nonne cum ſenſu pugnat? Senſatum igitur Philoſophicum, ad ſenſum reuoco; ſenſilia mihi demonſtrari cupio. Experientiam appellas. Ad hoc tribunal, nullo negotio vincam. Teſtes in medium, pro tuis decem, ego meos mille producam; qui iurati dicent ſe non eſſe ab iſtis περιάπτοις vlla in parte adiutos. Quid igitur contra adferes? Cupio id ſcire, & valde te rogo, vt in eam rem incumbas aliquantum, atque acumen illud tuum, quod me mirifice delectat, intendas. Reperies, ſat ſcio, quod mihi dubitationes tollat. Caue autem exiſtimes inutiles huius generis eſſe quæſtiones, & eiuſmodi, quales tuus Galenus λογικὰς, niſi fallor, nominare ſolet. Multiplex ineſt vtilitas in harum rerum diſquiſitione. De quo; quia idem quod ego, ſentire te puto; non ero longior. Illud tantum dicam, cupere me vehementer, vt cum hanc quæſtionem diſcuties, de φίλτροις quoque aliquid adiungas; tum de eo qua ratione, quibus viis vnguenta quæ foris inunguntur, vim illam ſuam in remotas corporis partes transmittant. Nam hæc quoque prioribus illis coniungi conſideratio poteſt. Authores etiam, ſiqui forte hæc tractarunt, & veteres, & nouos nomina, locis notatis. Vix enim fieri poſſe exiſtimo, vt hæc omnes ſilentio prætererint. Vale.

Num dentur amuleta.

Quomodo vnguenta, quæ foris inunguntur, vim ſuam in remotiores partes transmittant.

EPIST. L.

IDEM EIDEM.

HABEO Theſes Eraſti noſtri, cuius mihi doctrina, & ἀκρίβειαν præter cæteros, qui nunc docent, mirifice probatur. Credo eas te quoque habere, nondum typis mandatæ ſunt. Verum in iis ille vim omnem ab amuletis abeſſe contendit. Ego etſi ab eius opinione non abhorreo, tamen in eam aliquando mentem venio, vt ſuſpicer non eſſe prorſus nihil, quod omnes ætates, iam à longa ſeculorum ſerie conſtanter affirmant. Id multo etiam magis de φίλτροις, & faſcino cogito: quorum eſſe vim magnam, oſtendunt ii fere omnes, qui de veneficis, lamiis, & hoc genus aliis peſtibus miranda ſcribunt. Ita fit nimirum vt experientia ſyllogiſmos, qui alioqui firmi videbantur, eneruet. Equidem à quo tempore carbones ad abſinthii radices, in ipſo Diui Iohannis die vidi, qui eo die præterito, non amplius reperti ſunt; non tam temere ſuperſtitionis accuſo eos, qui hæc talia, tam mira narrant.

Amuletorum aliquam, philtrorum & faſcini maximam vim.

Carbo ad radices abſynthii.

Non longe abieris; curationes illas oſſium confractorum per lapidem, quem Eraſtus Sabuloſum vocat, quis non pene fabulas eſſe iudicet? multo etiam magis, vnguentum illud quo telorum inunctione vulnerati ſanantur, ridiculum videatur, & tamen fide digni amici noſtri, vtrumque ſancte affirmant. Sunt alia ſexcenta, quæ fidem omnem ſuperant, non tamen ideo falſa ſunt. Quare vehementer in iis ἐπέχω & vbi ratio repugnat, experientiæ, cum admiratione ſubſcribo; ſi non ſit vana, ſi non imponat παραλογισμὸς ille παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, ὡς αἴτιον, ſed ego accuratam tuam de re tota diſputationem auidiſſime exſpecto. Vale.

Lapis Sabuloſus.

Vnguentum [illegible]

EPIST. LI.

IDEM EIDEM.

QVÆ de peſte attuliſti, & probo & cum doctrina veterum conſentanea eſſe iudico; neque tamen interea animaduerto, quomodo à Maſſariæ opinione prorſus abhorreant. Nam ſi febres, dyſenteri-

& cætera generis eiuſdem; populariter in multos graſſantia mala in iis morbis numeranda ſunt, quos peſtilentes vocas, quid probibet, quin etiam peſtem nominare poſſis? Etenim, qui morbus peſtilens eſt, ab eo peſtis vix aberit, ſi quid locus à coniugatis valere debet. Verum hæc omnis dubitatio, tum ex hac epiſtola tua, tum ex peſtis definitione tolli poteſt. De qua tamen non inter omnes conuenit. Nam idem ille, & neſcio quis alius negat, ſemper cum peſte cōiunctam eſſe febrem, & legi ſuperioribus menſibus breuem quendam libellum Veneti cuiuſdam, qui experientiam teſtem citat, multos ex peſte mortuos eſſe, quibus teſticuli intumeſcebant ſolum, nullo præterea ſymptomate ægrotos illos inuadente. Et ſunt ſane alii quoque morbi (id quod te vſus docet) qui perimunt cor ipſum inuadentes, nulla tamen febre inueſtante. Verum de bis quicquid in buccam, vt vides. Quare non audeo affirmare me arti veſtræ conſentanea ſcribere. Sed ſi me poſthac minus errare voles in peſtis natura cognoſcenda, rogo te vt exquiſitam aliquam eius definitionem mibi deſcribas, logicis præceptis accommodatam, qualem non facile reperio apud eos, qui ſatis multa de hoc morbo tradunt. Quæ de Monocerote repetis, non abhorrentà mea ſententia, præſertim illa, de ſpecierum abolitione, & mundi perfectione, quæ ego ſtrictim attigeram, tu copioſe & docte explicaſti. De amuletis, & φίλτροις præcipue ſolicitus ſum. Nam nondum animum inducere poſſum; vt credam eorum eſſe vim aliquam, aut certe non tantam, vt vulgus exiſtimat, quod de amuletis intelligi volo. Nam φίλτρα potiones eſſe noxias non dubito. Sed quæ tamen neque odium, neque amorem ſumenti ingenerent. Vale.

An peſtis ſine febre.

Amuletorū vis parua.

Philtrorum natura.

EPIST. LII.

IDEM EIDEM.

IN pareſi quid Galbanum ad intemperiem inteſtinorum extrinſecus applicatum adferre adiumenti poſſit non video. Quæ eſt illa intēperies, niſi frigidior & humidior, quam oporteat. Ea autem, quomodo aufertur, niſi intro aſſumantur in contrarium habitum reuocantia? quomodo borum qualitates, vel potius facultates ad locum affectum tam alte deſcendunt, & penetrant per tot anfractus? De toto applicandi exterius ratione, & vngendi, ſi curandi ſint remotiones in corpore recon-

Galbanum in pareſi quid conferat.

Pareſis intemperies frigida & humida.

diti affectus, eadem dubitatio obuerſatur. In cutaneis quidem morbis, qui non intimas partes occupant, non nego hæc talia iuuare, &c. De bis, cum voles, paucis me docebis. Tolle mihi banc Galeni contradict. 2. de temp. & 1. de præſag. ex pulſ. nimiam ſolicitudinem, iram, dolorem, metum, noſtra corpora refrigerare & calefacere ſcribit', quæ contraria ſunt. Et ſane dolor & timor quibus duabus paſſionibus contrarie nos affici ſcribit, hoc eſt, & calefieri, & frigefieri) eandem inducere effectionem videntur. Nam interiora calefacere, exteriora contra refrigerare veriſimilius eſt, cum calor ab extimis partibus ad internas reuocetur. De peſte quæ diſſeris, placent omnia. Nihil enim occurrit, quod ſolide obiici poſſe videatur: niſi forte exercitationis cauſa aliquid adferatur, ad rem magis magisque excutiendam, vt in ſcholis fieri aſſolet. Sed hęc talis diſſertatio ad ocioſos homines pertinet. Mea de ortu potius fuit dubitatio, quam de peſtis progreſſionibus, quem quidem ortum in contagio ponebam, ſiue illud ab bumano, ſiue alio aliquo corpore emanatet. Aërem autem contagionis eſſe, vel euaporationis, aut halitus peſtiferi, vehiculum quaſi quoddam facile concedo. Verum hanc ſiue labem, ſiue contagionem in corpora ab aſtris demitti (quod plerique affirmant; quum peſtem ad malignos quoſdam ſtellarum aſpectus, atque influentias referunt) equidem cur negem, probabiles, quin, vt mihi videtur, veras atque immotas cauſas habeo. Aërem ipſum per ſe non corrumpi, ſed eſſe veluti receptaculum contagioſorum eiuſmodi halituum, abunde illuc delatorum, vt exiſtimem, vel ea me cauſa mouit; quod animaduerſum eſt omnibus temporibus, non fere alios infici, quam qui propius ad eos accedant, qui iam hanc labem in viſceribus habent: aut vaſa, veſtes, ſupellectilem, aliaque generis eiuſmodi, vel alias, contrectant. Virus enim illud, quod ego cōtagium appello, corpuſculum quoddam vaporoſum eſſe puto, quod certis quibuſdam rebus adhæreſcens, fomitis loco eſt, & ſeminarij quaſi cuiuſdam, ex quo in attingentem, atque adeo etiam in aërem traduci μίασμα, ſiue labes, ſiue contagium poſſit. Iam ſi quis ſibi ab bis, vel corporibus, vel locis caueat, vix peſtem concipiat. Nonne videmus eos, in magnis quoque peſtilentiis conſeruari, qui intra ſuos ſe parietes concludunt, & ab infectorum conſuetudine remouentur, multo etiam magis eos, qui ſub dio habitant, in campis vel alibi, quo non commeant ij, qui etſi ipſi (quod ſæpe fit) illæſi ſunt,

Contradictio, affectus animos refrigerare & calefacere.

Peſtis origo contagium.

Aſpectus & influentias ſtellarum nō eſſe malignas.

Aërem non poſſe corrumpi.

Contagium quid.

Effugium peſtis.

ſi ſunt, tamen veſtibus, vel aliis hærentem inſtrumentis contagium ſecum deferunt, qui iidem, cum ad eorum ſe conſuetudinem, conuictumque referunt, quos antea fugerant, corripiuntur, atque intereunt. Poſſet vel hoc ad probationẽ adduci, quod egeni fere atque opifices, iique, quos Ariſtot. χερνῆτας, & θῆτας vocat, hoc malo affecti pereunt: Opulenti autem pauci admodum. quid ita? quia illos egeſtas cum infectis verſari cogit; his non deeſt facultas vitandi periculi. Hæc leuiter attingo, neque omnia, quæ in mentem veniunt, commemoro, ne tibi viro doctiſſimo nauſeam moueam, quẽ hæc talia obiter, & tarius tractantem, multa fugiunt, quæ tibi notiſſima, atq; in promptu ſunt.

Peſtis an venenum, aut an contagiũ vallius.

Hoc vnum abs te quæro, quid de eorum ratione cenſeas, qui peſtem venenum eſſe negãt, quod nullum ſit venenum, quod idem etiam contagioſum ſit. Itaque male venenum in peſtis definitione collocari, contagium optime.

Peſti non neceſſario febrem adeſſe.

Peſti neceſſario febrem quoque adeſſe, non prius credam, quam tu affirmaris bonis rationibus, illudque me docueris, an eos, qui ſubito correpti concidunt in mediis compitis ac triuiis; quum antea incolumes domo egreſſi eſſent, febre etiam affectos fuiſſe tam ſubita, tam improuiſa, tam incenſibili dicendum ſit. At Medici ſenſati ſunt artifices, neque inuiſibiles, cum Paracelſicis, morbos admittunt. Vale.

EPIST. LIII.

IDEM EIDEM.

REMITTO tibi elegantem Eraſti epiſtolam de metallis, contra quam quod adferam nihil reperio. In Cardano de ſubtilitate ſunt quædam, quibus iuuari contemplatio tua poſſet, niſi fallor. Scaliger quidem refutat Cardani dogma de Metallorum vita. Vtrumque inſpice, etiam Agricolam, & alios, qui hoc argumentum perſecuti ſunt. In Fallopio de thermis aut medicatis aquis, niſi memoria me decipit, nonnihil reperies.

Metalla non prorſus omni vita carere.

Mihi quidem non ſit prorſus veriſimile, metalla omni prorſus vita carere. Edunt enim quaſdam operationes, quæ vitam indicant. Vt alia taceam, illa efflorеſcentia (vt ſic dicam) aut lanugo magnetis, & carbonis in ſale,) ſic enim vocant ſalinatores Vielicienſes Poloni) qua abſterſa, ſtatim iterum alia ſuccreſcit, & emittitur, neſcio vnde exiſtat.

Rhabarbari homonymia.

In Rhabarbaro quid neges, non ſatis intelligo ex Eraſto, & ſa[...] cupio tuam epiſtolam habere, cui Eraſtu[s r]eſpondet, alioquin hæreo in reſponſo. Si [R]habarbari radicem, qua officinæ vtuntur, Eraſtus cadauer tantum Rhabarbari ſcribit eſſe, nõ verum Rhabarbarum, poteſtne cadauer vitales exercere operationes? Quomodo ὁμωνύμως Rhabarbarum vocabitur, ſi id, cuius cauſa factum eſt, præſtare poteſt? niſi dicat, non hunc eſſe Rhabarbari finem à natura prædeſtinatum, Vt Theophraſtici loquuntur, vt bilem cum pituita educat, &c. ſed alium aliquem. Manus certe amputata & oculus vitiatus, nihil iam eorum faciunt, ad quæ formata ſunt. Sed nimis multa blatero, & fortaſſe οὐδὲν πρὸς ἔπος, cum non meminerim ſtatus controuerſiæ. Vale.

Num Rhabarbari ſitne bilem cum pituita educere?

EPIST. LIV.

IDEM EIDEM.

Definitionis peſtis examen.

QVÆRO ex te quam cauſam habeas, quod in epiſtola, quam de peſtis definitione exaraſti, nõ appoſueris, num hic morbus in intemperie; an praua compoſitione; an ſolutione vnitatis conſiſtat. Ita enim vagatur animus, neque vbi conſiſtat, reperit, niſi tam late patens genus illud vno atque altero verbo contrahas, & anguſtioribus finibus circumſcribas.

2. Genus peſtis.

Præterea videris peſtem ab aëris tantum infectione ſuſpendere, & non niſi per contagium communicari affirmare. Negabis ne etiam exſiſtere poſſe, aëre nondum μιάσμασιν illis (quæ tamen qualia ſint, atque vbi conſiſtant, non ſatis perſpicio) contaminato? Refer animum ad initia peſtis, quæ non ſtatim ad multos pertinent; ſed ab imo aliquo oriuntur, vt ſit in corpore malis ſuccis ſcatente, & ad putredinem idoneo, vt ſit in publica fame, cuius generis fuit illa apud Galenum, cum corticibus arborum, ſi recte memini, plebs famem depellere cogeretur, ex quibus initio pauci, vt veriſimile eſt, poſtea temporis progreſſu multi interire cœperunt. Ac tum demum ex multorum ægrotorum putridis halitibus, ex cadauerum item euaporationibus aër ſeminariis illis peſtilentibus inquinatus fuit. De quo ego tamen, vt paulo ante attigi, nonnihil dubitabo, dum tu mihi dubitationem omnem ſuſtuleris. Non enim mihi ſit probabile ex tantula humatorum, vel etiam inhumatorum corporum maſſa, & mole, quantam vna aliqua vrbs capere poteſt, tantam aëris amplitudinem infici. Ac ſi tamen infici, & labem imprimi contendas, vbi, quæſo, locorum conſiſtit? Aër certe ſua natura mobilis eſt, & nunquam non commouetur. Venti deinde eum perflant non raro. Quis vnquam toto peſtis tẽpore nullos excitari ventos animaduertit

3. Num ab aëris infectione & contagio.

Digitized by Google

Si hoc verum eſt, vt eſt ſane, quæ tanta erit huius in aëre luis compages, ac conſiſtentia, tam cohærens, quam non venti vis diſſoluat, ac diſſipet? videmus denſiſſimas & obſcuras nubes frangi, ac diſiici breui tempore. Seminariorum illorum tam exigua & puſilla corpuſcula, vt atomis perſimilia finguntur, quæ ocuiorum aciem fugiant, vehemens venti impetus, tam diuturno tempore non diſpellet ſcilicet. Deinde ſi aër morboſus eſt, quem nemo non haurit, cur pauperes maximam partem, & ii non omnes. neque il tantummodo, qui diſpoſitum ad morbum accipiendum corpus obtinent, ſed paſſim bona habitudine præditi, ſine diſcrimine intercidunt? Cur non aliquam ſaltem omoes homines, ſi non maximam, ex communis aëris ineuitabili inſpiratione noxam contrahunt? Sed ad propoſitum redeo.

3. *Num de natura peſtis plures interimere.* Dum peſtis intra vnum corpus, aut paucos admodum homines continetur, aut etiam beſtias, an pauciores obeant, id nō per ſe, ſed ex accidenti, euenire videtur. Non mutat eſſentiam & naturam peſtis multitudo, & occumbentium numerus, nec minus peſtis dici debet, vbi decem, quam vbi centum homines moriuntur. Non minus eſt animans formica, quam Elephantus, neque infans minus eſt homo, etſi imbecilus, quā adultus, & robuſtus iuuenis, & bellicoſus vir. ſed tu hæc in eadem Epiſtoia tua fuſius & rectius, quod poſt relegens illam Epiſtolam animaduerti. Præterea, ſi nunquam febris abeſt à peſte, cur eam ex definitione excludis? ſed abeſſe eam oportet, vbi homines ex inſperato, nulla niſi ſubita fortaſſe, præcedente alteratione, in ipſis compitis mortui concidunt. Poteſtne eſſe tam abdita, vt nullo ſe ſigno prodat? Si ita eſt occulta, quid Medicus, qui ſenſatus eſſe dicitur Artifex, de iis iudicet, quæ ſenſum fugiunt? Is qui ſolum teſticuiorum inflammationem in peſte Veneta, Anno 1576. pro certa peſtis nota adfert, ita libellum ſuum inſcribit: Franciſci Stabilis Potentini breuis quædam defenſio contra nonnullos aſſerentes pudendorum inflammationem non eſſe peſtis ſignum. Venetiis apud Gratioſum Perchacinum. Anno 1576.

EPIST. LV.

ARRAGOSIVS GALLVS IOHANNI *Cratoni, Medico Cæſareo. S.*

Extracta. SINE vlla verborum grauitate rei veritatem ex vniuerſali methodo ſub plana ſerie, quantum potero, explicare conabor, vt extractum è ſena ſub quo in genere reliqua etiam ſimplicia comprehendi poſſe exiſtimo, cui Theriacam ſubiungis, ſub cuius explicatione alia quoque complectar, compoſita. Intelligo autem extractum eſſe nomen æquiuocum ac generale, ſignificans quicquid à ſubiecto quouis extrahi poteſt. Eſt autem illud vel terreum, vel aëreum, vel igneum magis, vel ex iis inæqualiter compoſitum à ſymmetro. Ac quod *1. Terreum.* terreum eſt, ſubiectum eſt tincturæ ſeu coloris. Color autem qualitas eſt, eius vero qualitatis ſubiectum eſt ſubſtantia. Hæc autem ſubſtantia, ſi omnino ab aqua ſeparata fuerit (quod eſſe non poteſt, niſi inſolida maſſa) in aqua poſita fundum petit. Si vero ab aqua ſoluatur, vt facile fit, per omnes ſui partes minimis aquæ partibus communicabitur, & fiet cum aqua vnum corpus, tinctum ſuo colore pro natura ſimplicis, quæ vt diuerſa eſt, ita diuerſos colores profert. Nam ſena, rhabarbarum, citrinum, agaricum, & alia varia varios colores producunt. Aquea vero ſubſtantia eſt aliud *2. Aqueum.* extracti genus, quod variis modis extrahitur, pro ingeniorum, inſtrumentorum, & commixtorum modo. Hæc aquea ſubſtantia continet in ſe humidum ſpirituoſum. *Spiritus in guſtu ſaporem efficiunt.* Sunt autem ſpiritus illi per vniuerſam aquam diſſeminati, qui ſaporem in guſtu efficiunt, vel ſalſum, amarum, acrem in calidis: vel acerbum, auſterum, acidum in frigidis; & dulcem, qui medius eſt, quo animalia proptie aluntur, & ſunt ſpiritus illi materia guſtus propria, à Græcis χυμος appellata, quæ natura ipſa in omnibus plantis producit, vt in aqua vitæ, aceto, & ſucco limonum, & aliis multis manifeſte percipitur. Tertium extracti genus eſt aëreum igneum, *3. Aereum igneum.* quod oleum eſt, & olei naturam habet. Natat enim ſuper aquam, ſi à ſua terra exacte ſeparatum fuerit, & pro natura, & rei facultate ſiccat vel humectat. Ignea vero facultas per ſe alioqui non extrahitur. Nam proprius ipſius locus eſt aër, quo alitur, & à quo conſeruatur. Habitat quoque facile in terra ſua prædicta cum ſuo humido oleaginoſo, etiam aqua ſeparata. Hæc tria extractorum genera in omnium ſtirpium natura eſſe puto, & in omni animante, quatenus auctionem ex nutritione recipit. Sed aëreum igneum in omnibus ſimplicibus ex æquo non apparet. Nam à frigidis vix extrahitur niſi ſit ex ſemine, ex quo maxima vis ignea delitefcit. In floribus vero maxime aërea, quæ per incraſſationem in terra propria in igneam attenuando arte conuertitur, & tranſmutatur, ſicuti per naturam elementum aëris in ignem mutatur. *In ſemine maxima vis ignea.*

A foliis vero calidorum, vt ſaluia, roriſmarino, thymo, perbelle extrahitur. Quia io iis calor ſub cortice & totis fibris ſpermaticis abunde deliteſcit. Atque hæc extracta ſingula homogenea eſſe intelligo, quæ cum extrahuntur à multis fuliginoſis heterogeniis implicata recte emundari neceſſe eſt. Hæc itaque conteota ſunt in omni vegetante, qua nutritur & augetur, reliquum vero cootinens appello, quod eſt natura ſpermatica concreta, & in formam propriam adaucta, quæ ſola per outrimentum augetur, ac in di[...]ctione conſeruatur; & manet. Quæ vero extrahuntur à materia, alimenti alterati & commutati ſunt, & ideo augeri oon dicüntur, ſed vt ingreſſa ſuot per compoſiiionem, ita contrario modo egrediuntur per reſolutionem. Quamobrem vbi prægnans eſt forma ſua materia, & debita coctione, ab elementis & Sole præmatura, (quæ maturitas perfectionis eſt genus) tunc ſubſtantia illa triplex eſt ingeoioſe extrahenda. Quomodo autem hæc ſingula extrahi debeant, tibi Philoſopho, qui hæc optime noſti, noo dico; ſed ſi a-

Demonſtratio extractorum à prima naturæ principiis. Materia prima informatio.

lium quempiam philoſophantem inſtruere vellem, ad naturæ principia illum remittens, talia ei proponerem ex natura, quæ ad artem ipſum facile deducerent. Materia prima cum qualitatibus quatuor, ac vi formatrice elementa quatuor conſtituunt, à quorum diuerſa permixtiooe, diuerſa temperamenta fiunt, à quibus virtutes, facultates, proprietates, & affectiones tam à primis quam à ſecuodis qualitatibus, & familiaritate ſubſtaotiæ prodeunt. Fit autem hoc modo: Prima cauſa dum in inferiora efficaces ſuæ lucis radios influit, materiam primam ſupra cœlos per Διαπασῶν producit. Hæc autem materia prima cœlos mouens ipſis cœlis & corporibus cœleſtibus in ſeſquialtera Διαπέντε ſe communicat, ac demum in corporibus cœleſtibus

Miſta.

alterata per Διατεσσάρων elementis ſeſe inſinuat, in quibus terræ viſcera permeando illic incluſa duplicem halitum excitat. Ac frigido incraſſato ac denſato rerum omnium germina per minimas terræ & elementorum partes à mundi exordio diſſeminata ſuo influxu à qualitatibus & vi formatrice mouet. Hæc autem ſingula per harmoniam à triplici illa proportionum ſymphooia ſuam vitam trahentia ex ſimpliei & ioſenſibili paulatim tandem componuntur,

Mineralia.

corpora induunt, & ſeoſibilia fiunt. Ac tali in vniuerſum ordioe, vt primum ex terræ reſolutione lapid[...] primo loco compactantur, ſic ex quo[...] ſolutiooe metalla generantur, ex quorum etiam diſſipatione vegetantia originem capiunt, à quorum corruptione animalia outriuntur, & au-

Vegetabilia.

gentur, quorum omnium finalis cauſa, vt præſtantiſſima eſt homo, qui non à prædictis, ſed ab extrinſeco, propriam formam capit, & à qua ſumit motus principium ex prima cauſa, quia homo reliquorum à prima cauſa eſt imago, & omoium formas ipſe actu continet.

Hominis analogia cum vniuerſo.

Sunt enim eadem in homioe proportionum vincula, quibus colligatur, quæ in vniuerſo repetiuntur. Nam mens ſeu ratio ita ſe habet ad iraſcibilem in ſeſquitertia, vt iraſcibilis ad naturalem in ſeſquialtera, & naturalis ad reliqua inferiora in dupla proportione.

Vegetabilium naturalis perfectio, & artificialis extractio demonſtratur.

Quibus in ſumma conſideratis reliqua geoera noo omnino prætermittens, de vegetantibus primum & præcipue ago. In quibus, quomodo facultas & propriæ virtutes à natura genitæ & formatæ creſcant, coquantur & perficiantur, & quomodo per artem extrahi debeant, demonſtrare conabor. Dico itaque quod vegetabile non differt à lapide, nec a metallo materia, ſed ſola alteratione ſeu commutatione, qua talem par-

A mineralibus vt differunt.

tium tenuitatem & ſubtilitatem recipit, vt materia ipſa diſponatur & apta fiat, ad formam vegetantem recipiendam.

Forma vegetans.

Eſt autem forma vegetans eſſentia quædam ſpiritus animati, qui calori agenti motus principium præbens ex inſenſibili per accretiooem formæ, & alterationem materiæ fit inſenſibilis. Spiritus enim ille in loco elementorum quatuor conuenienti incluſus, germen dicitur, quod eſt veluti fermentum inter paſtam ipſam eleuans, & veluti ſemen maris io ſanguine menſtruo, ſed nec ſemen, nec fermentum germen eſt, ſed vis contenta io materia elementorum quatuor, qualem diximus eſſe vim formatricem io materia prima. Sunt autem germina prioeipia, quæ ab ipſa materia elementis quatuor fixa & fluente pendent, & ab illa formatrice è potentia in actum continuo educantur. Vnde arbores & omnis generis plantæ germinant & oriuntur. Ac facultate naturali attractrice humorem ſibi familiarem trahuot, retinent, alterant, & per varias mutationes formæ propriæ affiguot, & aſſimilant. Eſt autem aſſimilatum non id quod alitur, ſed id quod eſt ſimile rei, quæ alitur. Alitur autem inter elementa ſolus ignis, reliqua tria ſunt ignis materia, & pabulum. Ab igne vero forma, vt à propinqua materia alitur, conſeruatur, ac creſcit. Quæcunque igitur per outrimentum for-

mam augent, & per hoc corpori aſſimilantur, hæc ipſius formæ naturam cum ſuis proprietatibus & virtutibus retinent. Diximus tria eſſe, quæ extrahuntur; Erunt igitur hæc tria, quę aſſimilata pér nutritionem fuerunt, diuerſo tamen modo. Primum eſt terrea ſubſtantia, quæ ſubiecti facultatem in ſui profundo, veluti in centro continet. Eſt autem illa facultas, ſiue purgatrix ſit, ſiue à qualitatibus, aut à quauis proprietate pendens, ſicuti flamma in ligno, aut calor in carbone incenſus. Nam à profundo extenditur in ſuperficiem, ac facultas, quæ eſt in ſuperficie, ita differt ab ea, quæ eſt in profundo, vt flamma, aut caloris ſuperficies ab ipſo calore in carbonis candentis tactu. Ob id volunt quidam in ſena & aliis multis eſſe duplicem facultatem, alteram in ſuperficie, alteram in profundo, quamuis reuera non ſit niſi vna, ſed quoniam ſuperficialis pars à quocunque diſſoluente facile extinguitur & ſeparatur. Ideo quæ eſt in profundo, ſola remanet, quæ cum extrahitur, aliqua ex parte minuitur. Vnde fit, vt cum ſena, aut aliud medicamentum in aqua infunditur, ſi leni calore ſoluatur, maior erit vis extracti per expreſſionem, quia vtraque pars in extractione conſeruatur ſine diſſipatione; ſed non aberunt etiam flatus, qui vt plurimum ſuperficialem facultatis partem ſequuntur. Non enim ea, quæ in circumferentia ſunt adeo excoquuntur, vt quæ in centro. Illud in ſena quotidie manifeſte comprobatur. Nam in ſimplici infuſione ſine coctione tormina fiunt à flatibus, etiam ſi maior ſit vis purgatoria. Vbi vero ſufficienti feruore coquitur, nulla facit tormina, ſed ſuauius ac tutius; minus tamen purgat. Idem fit ex rhabarb. & ſcammonæa, vt frequenter nouimus, & aliis quoque ſimplicibus pro natura rei diuerſo temperamento, aut maiori aut minori coctione. Et hæc de terreo in ſimplicibus ſufficiunt. Eadem quoque erit compoſitorum ratio, veluti in Theriaca, vbi recte fermentata fuerit. Nam vbi per feruorem caloris natiui & elementaris in ſuo humido conuenienti ſingulorum ſimplicium formæ à propria materia decidunt, fit omnium vna forma in vna materia confuſa, ab ipſo omnium calore ordinata, donec humidum & ſiccum patientia ab agente calore copulata, commixta, contemperata, & in vnam ſolam formam determinata fuerint, quod ſine fermentatione fieri non poteſt. Eſt autem fermentatio partium terrearum à ſpiritu aëreo humido diſſolutio, & huius ſpiritus cum partibus terreis concretio, quæ per feruorem fiunt. Vnde fit in Theriaca

Aſſimilatū terreum.

Non alia facultas in profundo quam in ſuperficie. Sed hæc facilius illa diſſoluitur.

Sena leni calore infuſa plus purgat. Cocta minus purgat, ſed non ita flatulenta. Eadem ratio aliorum purgantiū.

Aſſimilatū terreum à compoſitis quoq; quando extrahi poſſit.

Fer[illegible] quid.

nouæ formæ generatio ex multarum formarum corruptione, non ſecus ac in ventriculo animalis ex ſolutione partis nitroſæ & ſalſuginoſæ cibi & potus varii generis à ſpiritibus humidis à calido innato ordinatis. Vnde fit noua generatio, cum ex tali feruore in terræ ſubſtantiæ diſſolutione ſpiritus concreſcunt, & extrahitur humidum vtile aptum ad ſanguinem generandum. Similis fit fermentatio in epate, vbi fit ſanguinis generatio. Eadem quoque in continenti ſeu partibus ſolidis, vbi fit aſſimilatio, & eadem prorſus, vbi ex triplici illa ſymphonia coctionum fit [illegible]monia ad ſeminis generationem, & hæc eſt Hippocratis & Platonis fermentatio, quam ab acuto & ſalſo fieri volunt, quæ ſingula nihil aliud ſunt, quam extractiones humidi vtilis actu iam aſſimilati ad formam corporis in ſingulis gradibus coctionis, & potentia ad relationem vltimæ formæ, quæ corpus ipſum perficit: & hæc omnia eſt extractio vnius materiæ & formæ in diuerſis rebus in vnam per fermentationem concorporatis. Et quemadmodum natura has extractiones facit in omnibus corporibus: ita nos ipſam contemplando, eadem iam à natura concreta extrahere conamur, non ad generationem ſibi ſimilis, ſed ad reſtaurationem corporum, quibus conuenit. Quanquam alia via in corporibus homogeniis ad generationem ſibi ſimilis multa his præſtantiora fieri poſſe nouimus. Quæ cum alio pertineant, alio quoque transferenda melius eſſe putamus. Vbi itaque Theriaca recte fermentata fuerit, totum aſſimilatum æqualiter vniforme commixtum æqualiter a docto artifice extrahetur, atque ab omni heterogeneo prorſus ſeparabitur, manetque fex viribus exhauſta, & Theriaca ab omni ſorde ſuam actionem impediente ſpoliata integram ſui facultatem retinens, & citius, facilius & minori copia exactius corpori ſuas vires communicans. Quibus autem mediis hoc aſſimilatum extrahi debeat, philoſophantem ad Ariſtotelem remitto. Quæ enim à calido concreta ſunt, à frigido ſecundum naturam ſoluuntur. Erit ergo aqua huic artificio recte accommodata, quæ quanto purior, & tenuior fuerit, eo facilius diſſoluet, calidiorque attrahet; qualis eſt aqua vini: ſed ob ſpirituum caliditatem plus etiam de facultate extracti in ſeparatione ſecum abducet. Aqua vero communis ob longam moram in igne lento, aut breuem moram in vehementi calore ide[illegible] efficiet. Ergo prudens Artifex primo [illegible]co in extractione finem ex ſua intentio[illegible] conſiderabit. Si enim

Media extrahentia.

Terreum.

à medi-

à medicamento humorem melancholicum purgante aſſimilatum extrahere velit, aquam ſtillatitiam ſcolopendriæ, capillorum veneris, borraginis, aut his ſimilem capiet, infundet igni lento continuo, cum dexteritate patienter reget, ac vaſis & fornacibus accommodatis aquam (ſeparato primo heterogeneo) leniter ſeparabit, extractumque in loco apto & conuenienti ad vſum ſeruabit. Eodem modo conſideranda ſunt reliqua terrea aſſimilata, quæ à quouis ſimplici aut compoſito extrahuntur.

2. Aqueum.

Aquea autem ſubſtantia quomodo in concreto corpore gignatur, non eſt exigua conſideratio. Non eſt enim aqua, quæ in corporis nutrimentum vertitur, quia nec elementum ſimplex nutrit, nec aqua eſt vllo modo corpori aſſimilata; ſed eſt vehiculum humoris ſalſuginoſi & nitroſi, qui in aqua ad radices vegetantis ſoluitur, & per aquam ad omnes ramos deportatur, quibus diu inhærens ſole excoquente aſſimilatum, ſpiritus aſſimilati toti aquæ inſperſi ſunt, qui ſe arte & ingenio ab hac aqua ſeparentur, aqua remanet in ſua natura rurſus inſipida, veluti in aqua ardente, & aceto diſtillato frequenter vidimus. Ex vna enim aquæ libra, quantumuis rectificata, & tota ardente vix ℥ß. ſpirituum concretorum extrahis, reliquum vero aquæ inſipidum eſt, vti ſimplex aqua in ſua natura.

Spiritibus ſeparatis aqua inſipida.

Non aqua ſed ſpiritibus vegetabilia creſcunt.

Non eſt igitur aqua pluuialis, aut alia, cuius auxilio vegetantia creſcunt, corpori aſſimilata, ſed aqua eſt humoris terrei vehiculum, qui humor ab elementis quatuor cõcretis familiaritate quadam in nutrimentum tranſit, & hoc nutrimentum in coctionis perfectione eſt aſſimilatum vna cum ſuis ſpiritibus. Sed quoniam hi ſpiritus ſunt maxime aërei, aëris vero locus eſt aqua, ideo ipſi aquam facile ſequuntur, eique inſident, niſi in extractione ab igne violento comburantur, & è vaſis non conuenientibus in aërem euolent. Vnde remanet aqua ſimplex ſine ſpiritu, quo quotidie pharmacopolæ abutuntur. Præſtaret vti ſimplici decocto in quo aſſimilatum cum ſuis ſpiritibus propriam facultatem retinens diſſoluitur, & facile ſi lento igne regatur, maxima vis ſimplicis retinetur.

Aq. Pharmacopolæ inutiles.

Deſtillatum caponis reſtaurans falſum.

Similis eſt error Medicorum in reſtaurativo ex caponis deſtillato cum ſuis ingredientibus, in quo nihil quod reſtauret diſſoluitur, ſola enim aqua cum capon. nutrimento ſumpta ipſius ſpiritibus vtcunque alteta aſcendit. Gemmæ non diſſoluuntur, minus aurum ex vegetantibus exiguum quid præſtaret deco   im ſumere, vel per ſe in balneo, vel cum a .a lento igne ad conſumptionem.

Decoctum eiuſdem præſtantius.

Sic enim aſſimilatum cum ſuis ſpiritibus extrahitur, in quibus duobus vis rei potiſſima conſiſtit. & hæc de aquea ſubſtantia, quæ in vegetante & animante verſatur, cuius extrahendi modos non deſcribo, quod partim vulgares ſunt, partim experimento melius demonſtrantur.

3. Aereum & igneum oleum.

De aerea vero & ignea ſubſtantia, quæ oleum eſt, nunc ſermone concinnato hæc ſubiungenda ſunt. Primum, quomodo ipſum in vegetante generetur à natura, deinde quomodo ab eodem per artem extrahi poſſit.

Generatio.

Generatur oleum ex humido aqueo & ſicco terreo, ex quibus fit aër humidus ſicco temperatus, in quo humido habitat, & viuit ignis calidus. Vnde omnia olea aërea ſunt magis & minus de natura ignea tenentia pro rei natura, fitque omne oleum in plantis & animalibus à natura hoc modo. Terreum illud ſalſuginoſum, quod æſtate præcedente exaſſatum eſt, tota hyeme ſequenti per minimas calidi innati partes in centro corporis deliteſcit, ac vere ineunte, vbi radices humore terræ imprægnantur, ſolis calor per omnes plantæ particulas hũc humorem attrahit & mouet, quo iam plurimum excalefacto, ſpiritus aërei prædicti in eo humore diſſeminati terreum illud ſoluunt, ac immediate dum ſoluitur, hoc ſolutum ſua frigiditate & aſtrictione ipſos ſpiritus gelat, denſat, retinet, fitque ex iis duobus, nempe humore aqueo & terreo ſicco de aërea ſubſtantia in oleum per generationem tranſmutata igneam naturam retinens in aërea recluſam. Illud autem vnicuique etiam parum in extractionibus exercitato facile patet. Nam ſi plantas quaſcunque humidas accipiat, veluti quæ in locis maxime irriguis & vmbroſis creſcũt, & quæ per ſe valde humidæ & frigidæ ſunt, & oleum per artem ab iis extrahere tentent, oleum non inueniet. Pari modo nec à calidis, vt ſaluia, roriſmarino, & ſimilibus hyeme collectis, aut aere valde humido, & æſtate humida, non præcedente calore, niſi parum admodum olei extrahetur. Omnibus autem anni partibus ſecundum naturam ſe habentibus menſe Iunio & Iulio decuplum olei inuenies.

Oleum Iunio & Iulio extrahendum.

Non enim generatur oleum donec aqueo ſuperfluo à calore ſolis exhalato ſpiritus aerei cum terrea ſubſtantia, in certa proportione conueniant, & hæc duo oppoſita paſſiua à calore Solis, & proprio in oleum determinentur, ſimile oleum in omni animalium parte generari reperitur; ſed diuerſo modo, vt diuerſum eſt animalium planta. Nam vbi ſanguis excoctus fibris ſpermaticis agglutinatur & aſſimila-

tur, ſit eadem olei generatio, & eodem modo ad calidum innatum per vniuerſum corpus fouetur, à quo vniuerſo decidit vniuerſus halitus, qui in propriis vaſis veluti animales ſpiritus in plexu retiformi per ſuorum vaſorum anfractus elaboratur, & excoquitur, ac in proprium locum delabitur, ad ſibi ſimilis procreationem.

Vſus.

Eſt enim hoc humidum vtile ad propagationem ab humido vtili ad indiuidui conſeruationem extractum & aſſimilatum, ſeu factum ſimile rei, quæ alitur & creſcit, quæ eſt forma propria in natura ſpermatica concreta in fibras, in quibus calidum innatum (quod non eſt generationi animalis poſterius) proprium ſitum habet, & cuius vi ſemen perficitur totius animantis naturam retinens. Nam ſi ab animantis forma informetur, abſque dubio eius naturam & formam producet, neque exiſtimandum puto, quod ſemen animalis immediate à ſanguine generetur, & in eodem ſolo perficiatur, ſed tum maxime cum ſanguis calidi innati impreſſionem in centro propriæ formæ receperit.

Semen non immediate à ſanguine generatur & perficitur.

Tunc enim ſemen retinet impreſſionem ſuperiorum & inferiorum, cum partes infimas totius formæ ordine naturæ ſubiecit, & tunc ſemen formæ perfectionem recepit, cuius ortus in ſanguine ante fuit. Sic itaque patet, quod oleum in vtroque genere ab eiſdem & eodem modo per prædictorum elementorum corruptionem generatur, differunt tamen in natura, quantum differt genus à genere in doctrina motus & mutationis, vt in ſummis quatuor generibus perſpicitur.

Differentia motus & mutationum.

Lap.

Nam in generatione lapidis (vt à primo gradu incipiam) ſola ſubſtantiæ mutatio ex forma terræ in formam lapidis percipitur.

Metallo.

In generatione autem metalli eiuſdem ſubſtantiæ, & præter hanc etiam qualitatis mutatio reperitur.

Vegetabili.

In ortu vero vegetantium præter duas prædictas mutationes motus magnitudinis inuenitur, ac ſimiliter in animalium generatione tres ſuperiores, & præter has motus etiam ſeu mutatio loci conuenit.

Animali.

Vnde ſequitur, quod forma vltima formas præcedentium in ſe continet. Nam animalis forma continet formam vegetantis metalli, lapidis & elementorum ex materia & qualitates: ergo oleum ex animalibus ſubtilius eſt, & magis excoctum, ſicut etiam plures alterationes recipit, vnde etiam maiorem temperaturam habet, & à ſimilitudine ſubſtantiæ noſtro corpori magis conueniens, magisque eſt anodynon, vt frequenter experti ſumus.

Oleum animalium perfectius.

Vnde axungiæ oleaginoſæ fere omnes anodynæ.

Axungiæ oleaginoſæ omnes anodynæ.

Pendent enim & exhalant à prædicto oleo, partibus ſolidis copioſe in animalibus natura frigidis, in quibus facile concreſcit, veluti in calidioribus per inſenſibilem tranſpirationem euaneſcit, calefacit tamen magis & minus pro natura animalis. Hæc itaque duo genera omnia oleum producunt à calore ſolis & proprio. Alia vero duo genera lapis & metallum, quamuis in ſua radice oleaginea ſint: attamen iam formata oleum non gignunt, quia nutrimentum non accipiunt, & ideo non aſſimilatur illis quicquam, quia non creſcunt.

Lapides & metalla in radice oleaginea.

In radice autem vbi metallum à duplici halitu gignitur, oleum copioſe reſudat, ſi enim mineram ferri aut cupri in fruſtula conteras, & in vaſculum conueniens cum aqua apud ignem calore mediocri conicias, oleum viſcidum aquæ ſtatim ſupernatare videbis, quod oleum reſultat & oritur ex lapidis rarefactione, & ſpirituum mineralium condenſatione in aqua viſcida cum ex duplici halitu in ſulphure toto (hoc eſt, conuenienti loco ad metalli generationem) metallum in ſaxo gignitur, antequam exprimatur roris vel pruinæ modo.

Oleum cupri & ferri.

Exiſtit enim vnumquodque metallum prius, quam exhalatio concreta & fixa facta eſt. Eſtque inquam in ſua radice & tota ſubſtantia oleaginoſum, quod metallum cum nutrimentum & augmentum non recipiat, calor mineralis, & radiorum ſolis ambientis per continuam alterationem crudum excoquendo oleum deducit in perfectionem metallicam, cuius terminus eſt aurum. Imo auri propria materia eſt ipſum humidum ſicco temperatum, in naturam metallici olei concretum.

Auri propria materia.

Cum autem rerum omnium ortus ſit in humido per minima totius vniuerſi diſſeminato, ita vt nihil oriatur niſi ex hoc, veluti ex ſubiecta materia agente ſuo calido, quod eſt ei motus & mutationis principium. Præterea cum in omni corporum concretorum genere nullum ſit in quo copioſius, diutius, & melius hoc humidum inueniatur & conſeruetur, quam in corporibus homogeneis ſolidis, & exquiſiti temperamenti, dicimus in auro huius humidi excellentiſſimi maiorem copiam, quam in aliis contineri. Nullum enim tam eſt homogeneum, quam hoc. Vnde ipſius temperamentum æquali elementorum proportione conſtare dicitur, & quoniam rerum ortus eſt in ipſo humido, quod ipſius eſt totius eſſentiæ ſedes, dicimus huius humidi defectum eſſe in ſingulis rebus interitum. Itaque cum

Aurum potabile ſanitatis conſeruatrix.

cum ipſum humidum ſit ſedes vitæ, erit quoque ſanitatis ſedes, ergo hoc humidum ab auro extractum corpori humano recte exhibitum erit præſtantiſſimum ſanitatis & vitæ conſeruandæ, & morborum expellendorum præſidium. Hoc enim intra corpus ſibi ſimile inueniens ipſum amplectitur, fouet & auget. Augetur enim ipſius ſubſtantia à ſibi conuenienti, & natura omnino ſimili. Auctum vero calidum innatum homogenea omnia in corpore congregat, heterogenea diſgregat, & ſeparat, morbos omnes curabiles expellens, & incurabiles moderando molliens. Ac in roborandis viribus præſtantius eſt hoc humidum eo, quod ex cibo & potu elicitur, duplici ratione; Primo, quia natura in cibo coquendo multum agendo patitur, antequam hoc humidum vtile extraxerit. Deinde, quia quod extrahitur, eſt tantum ad reficiendum & reſtaurandum id quod deperditum eſt, & illud adhuc non turum excoctum, nec inutile tranſmutatum, quia non conſtat homogeneis, & ideo ſemper aliquid diminuitur & deperditur de proprio, & heterogenea per corpus vagantur actiones impedientia. In hoc autem de quo hic agimus res ita ſe habet. Nunc eſt enim hoc humidum corpori alimentum, nec ſimpliciter medicamentum; ſed eſt de natura primogeneæ ſuæ originis, quæ ipſam naturam reuocare cupiens eam auget & conſeruat, omniaque in eo vtilia amplectitur, inutilia vero reiicit ac diſſipat, ac quemadmodum languido igni ignis fortior additus, hunc non ſolum excitat, ſed maxime etiam roborat & accreſcit, & magna faſcis incenſa exiguæ candelæ flammæ adiuncta multo præſtantiorem lucem exhibet. Sic huius humidi calidum proprium calorem corporis natiuum non ſolum excitat, ſed etiam ipſum fluentem & fixum in toto corpore auget, cuius radii in ſingularum particularum fibris omnia inutilia ac ſuperflua fugant, & partim per inſenſibilem tranſpirationem, partim qua naturæ commodius eſſe videtur, expellunt, fitque ſanguis purior, & totum corpus pulcrius expulſis heterogeneis & ſanguine renouato. Vnde ſequitur canitiem diutius retardari cauſa ipſius remota. Et hoc humidum eſſe puto, quod multi Philoſophi appellarunt *Aurum Potabile*, materiam primam, aurum Philoſophorum, argentum viuum chaos, & aliis infinitis nominibus. Quomodo autem illud per artem extrahi debeat, hic ſcribere deſino. Neque enim vt tan[illegible] diuini operis artifex ad te ſcripſi, ſed vt re[illegible]um veritatis in naturæ principiis inueſtigator, argumentis & cauſis à primaria ipſarum rerum origine deſumptis in ſummis compoſitorum generibus extractum quid ſit, & quomodo natura ipſum generet, & per artem etiam extrahi poſſit, ſermone continuato demonſtrare conater. In ſumma tamen dicam de ſingulis quid ſentiam.

Præſtantius cibo & potu.

Extractio artificialis.

Ab animalibus & plantis oleum arte extrahitur per ſimplicem elixationem cum ſublimatione in vaſe conuenienti.

A vegetabilibus elixatione.

Fit autem à calore humido, à quo humor rei elixatæ exprimitur, & cuius principium à proprio calore non fit, ſed ab aduentitio. A metallis autem extrahitur natura per aſſationem à calore crudo & alieno, ac per aſſati in proprio humido ſolutionem, huiuſque ſolui crudi in naturalem coctionem, donec perfectionem humidi naturalis recipiat, in quo calor proprius nutritur, & hæc eſt naturalis extractio.

Mineralibus aſſatione.

Arte vero fit ad naturæ imitationem, aſſatur, ſoluitur, coquitur à calore proprio, qui eſt motus principium, & iuuatur ab externo, donec humidum proprio calore temperatum perficiatur, naturam ſuperans, à lapidibus extrahi à natura, & in eis gigni non puto, niſi ſit in ſua radice metallo commixta, quia nec creſcunt, nec aſſimilant, & horum natura eſt frigida ſicca, ſed arte extrahitur per aſſationem, aſſati ſolutionem in humido conuenienti, & huius humidi cum ſoluta concretione, fitque oleum ſine elixatione & coctione præſtantiſſimum, & hæc ſufficiūt de generatione, vi, ac facultate eorum, quæ ab omni corpore, tam ſimplici, quam compoſito in genere extrahi poſſunt. Quartum de quo ſcribis eſt *Ladanum*, quod putas Theophraſtum nunquam à metallis extraxiſſe. Ego vero Ladanum quid ſit non noui, niſi illud quod à cyſto, & hirci, ac caprarum lanis extrahi dicitur.

Ladanum proprium.

Theophraſti vero Ladanum puto nomen fuiſſe fictitium, cuius vires dum multum prædicat, non ſcribit tamen errores, quos in eo exhibendo commiſerit.

Ladanum Theophraſti metaphoricum.

Fieri poteſt vt ex metallis, & rebus aliis quamplurimis oleum per reſolutionem, aut alio modo extrahatur, quod cum morborum cauſas expugnat, dolores quoque tollit, & morbus curatur, quibus ſi opium ad proportionem miſceatur, fiet narcoticum, quod in dolore intolerabili aliis auxiliis deſperatis à prudenti Medico exhiberi poteſt.

Narcotica opiata viribus infirmis & corpore impuro periculoſe exhibentur.

Sed quantum ſit periculum, vbi vires ægri non ſunt firmæ, corpus non eſt euacuatum, & humores craſſi ſunt, neſcio, an Theophraſtici obſeruent. Tale autem huic ſimile Theophraſtus fortaſſe Ladanum appellare potuit. Quicquid ſit,

Iudicium de Theophraſto.

ego hoc in autore explicando non multum laboro, cum nec in Philoſophorum, nec in Medicorum numero merito haberi poſſit. Et hæc de Ladano. Alia quatuor puncta ex Italo quodam deſumpta, cuius nomē equidem noui, eius vero librum non legi.

Propoſitiones Itali cuiuſdam.

1. Proprietatem totius ſubſtantiæ nullam.

Primum eſt, quod hic proprietatem totius ſubſtantiæ omnino reiicit. Cui propoſitioni ſic reſpondeo: Hæc verba ſic abſolute propoſita omnia naturæ principia, quæ in rerum ortu ab elementis & ſubſtantia ex Ariſtotele eſſe dicuntur, & quæ Galenus in prima partium ſimilarium & organicarum conſtitutione demonſtrat, tollentur. Vult enim Ariſtoteles omnium proprietatum & affectionum fontem ac principium eſſe raritatem & denſitatem, quæ in congregatione, diſſipatione ortus & interitus in mutatione ſubſtantiæ cernitur. Vult Galenus ex hac Ariſtotelis doctrina omnia morborum genera pendere ab illa raritate & denſitate, quam bifariā diuidit, in eam, quæ eſt in corpore ſubſtantiam, & eam quæ eſt in poris, & morborum omnium differentias ac ipſorum proprietates habere hinc originem. Et quemadmodum hæ proprietates à tali principio oriuntur, ſic omnes familiaritates & repugnantiæ, quæ in rebus ſunt, ab hac proprietate ſubſtantiæ oriri & prouenire dicentur. Ergo quæcunque noſtris corporibus accommodari poſſunt, ſiue ad ipſorum ſanitatem conſeruandam aut deſtruendam, ſiue ad morbos expugnandos, ab hoc ſolo principio deduci neceſſe eſt. Nam quæ ipſum corpus conſeruant ſanum, ſunt omnia ei familiaria & amica. Quæ vero ſanitati aduerſantur, & ipſam deſtruunt, ea repugnant & ſunt inimica, & lethalia. Nam quod familiare eſt expedite aſſimilatur, quod vero repugnat ad mortem deducit, & animalia & plantas; præterea medicamenta omnia purgantia eadem ratione humores ſibi familiares trahunt, vti certum eſt vnamquamque corporis particulam familiare nutrimentum attrahere. Sunt enim medicamenta purgantia familiaria humoribus detrahendis, quæ attractio fit ſimilitudine ſubſtantiæ, quæ eſt inter purgans & humorem, qui purgatur, veluti Magnes ferrum trahit, quod ferri ſimilitudinem ex primaria origine habeat. Nam & in mineris ferri reperitur, & huic ſpeciei eſt perſimilis. Et hæc eſt doctrina Galeni ex Ariſtotelis principiis deſumpta, quam Plato tamen aliter explicat. Tale enim per attractionem fieri non exiſtimat, ſed vult hæc omnia ita euenire, eo quod non ſit vacuum, & quod ſingula quæque dum congregantur & diſſipantur mutuo ſe compellunt. Fit enim quemadmodum in vniuerſo rei cuiuslibet latio, iuxta quam omne connatum fertur ad ſeipſum. Ego vero Platonem ab Ariſtotele non diſſentire plane exiſtimo, ſed vtrumque eadem principia, & eaſdem cauſas habere, veluti in motu lationis ſeu loci mutatione in omnium rerum ortu & interitu perſpici poteſt. Sic itaque hic Italus, qui proprietatem ſubſtantiæ reiicit, vel ipſam proprietatem quid ſit, non nouit, vel non vt oportet eam explicauit. Et hæc de prima Itali propoſitione.

Purgantia familiaritate trahunt.

Magnes ferro ſimilis.

Plato ratione vacui.

Conciliatio.

2. Febres fieri vſtione.

Secunda eiuſdem propoſitio: Febres omnes fiunt per vſtionem, non autem per putrefactionem. Si diceret febres Ephemeras & hecticas in ipſarum incendio, partim defendi, partim etiam impugnari poſſet; ſed vbi aſſerit humores, qui febrem faciunt ἐκκαίεσθαι tantum non σήπεσθαι, id quomodo intelligi poſſit non video. Nam certum eſt, quod omnis febris habet ortum & motus principium ab aliquo agente & patiente, vt materia. Agens primario eſt calor ambiens noſtrum ſuperans. Vnde noſtro proprio deuicto fit intemperies calida & ſicca in partibus ſimilaribus (omnis enim intemperies ad partes ſimilares reducitur) ex qua fit incēdium in toto corpore, ex corde primum inflammato, à quo incendio actiones læduntur, patiens vero in humoribus, & ſanguis cum reliquis tribus. Sanguis autem ſolus incaleſcit calore alieno, vt diximus, aëre peſtilentiali, ſolis vſtione, & febribus omnibus quacunque ex cauſa. Incaleſcit autem ſine corruptione, vt patet in ſynocho non putri, ſed vbi ſanguis in aliqua parte collectus eſt, vt in paruis vaſis, & ob defectum diflationis eius partis vis ſuperatur, neceſſario ſanguis corrumpitur. Vnde febris incendium, veluti etiam fit in omni inflammatione, in certo quodā loco in quo focus incenditur, & in ſynocho putri, in vaſis magnis, aut omnibus. Hinc σήπεσθαι non ſimpliciter intelligo noſtri caloris corruptionem aut interitum, ex quo calor præter naturam noſtrum depaſcens actiones corporis tollit, & vires labefactat, ſed intelligo putredinem cum fœtore, quæ fit ab illo calore alieno agente in humidum, quæ putredo fit vincente natura aut omnino ſeparata, aut imbecilla facta ab vtroque, veluti in abſceſſibus & inflammationibus manifeſte apparet. Eſt enim putredo in vaſis ipſis omnino ſimilis. Nam v[illegible]æ tale ſedimentum pro optimo monſtran[illegible] craſſum, album, lene, ſibi ſimile non fœ[illegible]um, quale pus in abſceſſibus demonſtra[illegible]. A tali ſane humoris

putre-

putredine febres incendi puto, ac augeri, quæ putredo, niſi cum diligentia tollatur, ægrum ipſum in perniciem deducit. Cæterum ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, pars quidem tenuior & pinguior omnino in flauam bilem vertitur, craſſior vero in atram. ex illa flamma *καύσων*, ex hac vt ex carbonibus, quartanas intolerabiles ac continuas pernicioſas, & carbunculos maxime generari eſt veriſimile. In quibus manifeſta ſanguinis corruptio per bilis vtriuſque generationem, ſed quod materia putreſcat ad talem corruptionem, vt in humido diximus, rationi illud conſentire minime videtur. Putreſcit tamen pro natura cuiuſque, ſed magis à permiſtione calidi humidi vniuer... [illegible] moris, vt patet in bilioſi temperamenti iuuenibus, [illegible] acuto calore bilis humido vniuerſi corporis permiſta ſudores & dejectiones fœtidiſſimas educit. Ac quo iuniores, aut per accidens humidiores, vt freqnenter eſſe ſolent, eo fœtidiores.

3. Focum febrium cor.

Tertia ipſius propoſitio eſt: Focum omnium febrium eſſe in corde, quæ etſi pro vera defendi poteſt, diſtinctione tamen egēre videtur. Nam quatenus nulla febris propria eſſe dicitur, antequam cor primum inflammetur & ex cuius incendio totum corpus incendatur, focus febris non poteſt intelligi alibi eſſe, quam in ipſo corde. Et ita ſimpliciter, & in genere & ex propria febris definitione omnis febris focum habet in corde. Sed ſi in particulari locus aliquis à calore præter naturam incendatur, vt in inflammatione interna vel externa, & ſanguis vel humor alius in vaſis, vel extra aliqua in parte putreſcat, vel ex fluxione aliqua circa cor, aut in alias quaſcunque partes affecta pars incendium patiatur, vnde febris excitetur, proculdubio focus ex primaria origine erit in parte affecta, cuius affectio febrim facit, ſed febris ipſa non proprie febris dicetur ab ea parte affecta, ſed ab ipſo corde affecto, ex quo reliquæ omnes partes incenduntur.

Calor duplex.

Et hæc ratio à principiis deſumpta conſentire videtur. Cum enim calor innatus duplex in nobis conſideretur, alter fixus vnicuique corporis parti per minima, alter vero fluens continuo à corde, & nulla ſit pars corporis, quę alteri parti ſuum calidum proprium communicare poſſit (ſingulæ enim habēt quod pro ſe tantum ſufficit, præter cor, quod aliis partibus continuo vitam communicat, ratio vult vt calor præter naturam, qui in aliqua parte corporis eſt vniuerſum corpus p[illegible] non tantopere afficere poſſit, vt ipſius [illegible] iones lædat, & febrem faciat corde non conſentiente. Sed vbi cor à vapore maligno aut quocunq; modo ab aliqua parte affecta incenditur, illud quod vitam toti corpori diſtribuit, illud idem affectum ſuam affectionem omnibus impertit. Et hoc modo dico cor focum eſſe omnium febrium, & alio modo eſſe alibi per primariam originem motus caloris præter naturam, à quo febris primum fuerit incenſa. Simile exemplū proponam de hydrope, quæ cum fiat ab intemperie epatis frigida, ſeu à frigidis humoribus in eo contentis, frequēter tamen alia pars corporis affecta primariam hydropis originem producit, quæ tamen pars hydropem per ſe non gignet, niſi epate conſentiente, quando ab eadem parte ſuo calore natiuo, & facultate alteratrice fraudatur.

4. Periodorum cauſam virtutem expulſiuam.

Quarta propoſitio [illegible] eſt: Periodorum cauſa, non in humoris natura, ſed in virtute expulſiua collocatur. Hæc propoſitio videtur mihi vel male aſſignata, vel non poſſe facile ratione fulciri. Crediderim authorem periodo aſſignare, quod criſi conuenit. Galenus enim facultatem expultricem validam cauſam eſſe putat, quæ criſin efficiat, quod & ratio & experientia ſatis manifeſtat.

Criſis cauſa.

Quam enim in acutis & peracutis criſis ordinata fiat, in die 4.7.11. & 14. acceſſiones vero in diebus imparibus facultas expultrix valida occaſionem arripiens in acceſſione criſin die 4. futuram, die tertio arripit præuertendo. Sicuti contrario etiam modo, Natura dū in quarto laſſata quieſcit, nec vllo modo excitata, die quinto ad indicium commouetur. Id autem fit ex naturæ prouidentia à facultate expultrice valida, & ab eadem debiliore ad pugnam. Sed in periodo cum ipſa ſit tempus intenſionum & remiſſionum in morbis, tam in particularibus temporibus acceſſionū, quam in tempore totius morbi, cauſa periodi non videtur mihi magis pendere à facultate expultrice, quam à reliquis naturalib. facultatibus. Cum enim natura morbi expulſionem molitur, initio morbi ipſos humores crudos coquit, in augmento eoſdem retinet, & adhuc magis coquit, in ſtatu iam excocta propellere tentat, vel per criſin, ſi omnia cōueniant, vel aliis modis extra criſin. Iam initiū & augmentum periōdi ad facultatem retētricem & alteratricem magis pertinere videtur. Status finis vero magis ad expultricem.

Cauſa proxima periodorum.

Sed neque hæc, neq; illæ ſunt per ſe cauſa periodi; verum humores ipſi, qui periodos conſtituunt longiores, breuiores, medias, vehementiores & mitiores, per ſe periodi cauſa eſſe vidētur, quod & ratio ipſa ſatis demonſtrat. Nam illud propria cauſa rei dicitur, à qua

tes ipſa potiſſimum deducitur. Periodus autem (quæ tota in tempore verſatur) fit longior & vehementior ab humorum qualitate craſſa, viſcida, cruda maligna, & à nimia copia. Fit autem breuior & mitior à contrarijs. Ergo periodi cauſa erit talis tantus humor. Boni hæc conſule. Quæ de extractorũ ratione ſcribo, hæc tibi tanquam munus amicum lubenter offero, tuæ prudentiæ & fidei in certum amicitiæ ſignum, mearum lucubrationum partem committẽs. Quæ ſingula à nobis fuſius & ordine naturę alibi explicabuntur, & altius repetentur, vbi ſummam diuini operis perfectionem in circuli quadratura ex ſole triplici demonſtramus. Eſt enim homo reliquorum miſtorum perfectio, ac certiſſimum ſolis triplicis vinculum ſub quaternario denari[illegible] circul[illegible] proportione harmonicẽ conſtituens. Vale. Viennæ 12. Kal. Maij, Anno 1575.

Diuini operis perfectio in circuli quadratura ex Sole triplici demonſtratur.

EPIST. LVI.

IOANNI AVRIFABRO, THEOL. *celeberr. &c. Balthaſar Sheider Vratisl. Med. S. D.*

CONIVNX tua ad nos venit penultimo Septemb. ad quam vocatus a fratre domino D. Heſſo, amico meo chariſſimo, ſtatim acceſſi. Cumq; viderẽ in vniuerſo corpore pituitam redundare, decoctum ordinaui, quo eum ſub noctem vſa eſſet, ſequenti die ſummo mane ſumpſit minoratiuum: idq; ideo exhibui, ne immunditiæs contenta in vẽtriculo ad meſaraicas raperetur, & obſtructiones faceret. Nam cum vrina eſſet peſſima, nihil aliud ſperare potui. Sublata autem materia eodem die vrina viſa eſt me[illegible]or, ſed tamen cruda. Et quia vehementer conquerebatur de planta alterius pedis, cui vix potuit inſiſtere, mouere autem non ſine ingenti dolore, ita vt ne quidem progredi poſſet lil ere, ſed valde claudicaret; inſpexi locum affectu n, & vidi tendines illius muſculi, qui ad quatuor pedis digitos deriuantur, nimium exiccatos eſſe, & propemodum ſcirrhoſam affectionem contraxiſſe. Quæſini igitur quid applicaſſet pedi, & cum diceret de oleo iuniperi, & de quodam emplaſtro nigro, quod pertinaciſſime adhæſiſſet, & non ſine dolore detrahi potuiſſet, ſtatim paraui vnguentum emolliens, quo cum locum affectum veſperi & mane inunxiſſet, ſenſit ſe melius habere, & nunc libere progreditur, neq; de vllo dolore conqueritur. Acceſſit poſtea Dn. Crato, qui coniugi tuæ vnicam potionem ordinauit, cum ad Ioachimum ducem Munſterbergenſem profectus eſſem. Quotidie tamen conuenimus, & factum eſt vt pauciſſimis exhibitis medicamentis ipſam ad thermas ablegare decreuerimus, quæ ſine dubio optime conuenient. Nam cum toto corpore ſit refrigerata, meo iudicio nihil melius accommodari poſſet, niſi quod anni tempus aliquo modo erit incommodum. Miror autem Medicos veſtros non potuiſſe pedi conſulere. Et ex cura adhibita manifeſtũ eſt, quod in chirurgia parum, aut potius nihil profecerint. Si fuiſſem apud vos, facile huic malo inueniſſem remedium, & præterea curaſſem, quo minus iſtam profectionem ſuſcipere coacta fuiſſet. Cum vero ad nos venerit, & thermis videatur delectari, eo magis ſuaſi vt ad ipſas acce[illegible]deret, & nunc, poſtquam [illegible], ſine [illegible] magis [illegible] commodo lauabit, ſi modo iuxta meum præſcriptum vixerit. De quo nihil omnino dubito, præcipue cum viderim, quod hic in officio fuerit, & nihil prorſus neglexerit. Bene vale, & certo crede, quod coniunx tua ſine vllo impedimento incedat, & quod ſatis proſpera fruatur valetudine. Id quod ſine dubio etiam ex literis ipſius intelliges. Iterum vale, & iſtam breuitatem, atq; negligentiam in ſcribendis literis boni conſule. Datæ Vratisl. pridie Non. Octob. Anno 62.

Induratio tendinum.

EPIST. LVII.

BARTHOLOMÆVS CHRYSÆVS *Med. D. Abrahamo Seiller Medico, S.*

CVM patricius iſte Schemnizẽſis, amicus me", literas ad te expeteret, nec ſuccurreret, quid potiſſimum ſcriberem, volui ſingularem exponere caſum, qui ante paucas ſeptimanas contigit, cuius conſiderationem tibi non fore iniucundã exiſtimo. Quædam ex Magnatibus, poſtquam feliciter peperiſſet, & per tres ſeptimanas ſufficienter purgata fuiſſet, ſuffocatione matricis laborare cœpit, ita vehementer, vt niſi debitis remediis fuiſſet adiuta, vitam cum morte cõmutaſſet. Hoc eſſe contra Galeni doctrinam manifeſtum eſt. Nam conuenit inter omnes Medicos, prout Galenus aſſerit, 6. de loc. affect. hunc affectum magna ex parte viduis euenire, hiſque maxime, quæ cum antea probe purgarentur ac parerent, atq; virorum concubitu gauderent, iis omnibus priuantur. Ex quibus conijcere poſſumus, quod ob retenta menſtrua, vel ob ſemen cohibitum, mulieres vteri ſuffocatione cruciantur. Ex his Galeni verbis elici poteſt, duos eſſe ſaltem ſtrangulationis vte[illegible] cauſas vel menſiũ, vel ſeminis retention[illegible] præter naturam.

Suffocatio poſt partum & copioſam lochiorum euacuationem.

Cauſa ſuffocationis vteri.

Vnde

Vnde igitur huic Magnificæ fœminæ ſtrangulatio vteri pronenerit merito inquirendum, cum nec ſeminis, nec menſium abundantia fuerit in cauſa, vtpote quæ & peperit, & poſt partum optime purgata eſt. Ego ſtatuebam non fuiſſe veram ſuffocationem; ſed potius vteri à ſua ſede motionem, & aſcenſum ad ſuperiora. Maritus enim non ex pectato tempore veræ & exactę purificationis, quæ in lege DEI præcipitur, octauo die à partu cum ea rembabuerat, qui cum alias ſit Arthriticus, frigidum & morboſum babere ſperma nemini dubium. Quare vterus antea ex partu debilitatus, laxatis ligamentis, vel loco motus fuit, vel ex frigido ſpermate intemperie frigida affectus. Vnde ſtrangulationem illi ſuperueniſſe credibile eſt. Peto autem obnoxius, quid de hyſterico iſto ſymptomate ſit ſentiendum, mihi paucis declarari verbis, quod quidem mihi futurum eſt grauiſſimum. Bene vale. Datæ Schemnizri. Anno 1582.

EPIST. LVIII.

ABRAHAMVS SEYLLERVS D. *Bartholomæo Chryſæo Medico Doctori, S.*

LITERÆ tuæ Clariſſime Domine Doctor, amice optime, per patricium Schemnicenſem mihi allatæ gratiſſimæ fuerſit, quod ex veteris noſtræ neceſſitudinis non oblitus, data occaſione, cum corpore ſeiuncti ſimus, literis mecum agas. Recenſes caſum mulieris Magnificæ, quæ etſi in puerperio ſatis purgata ſit: tamen vteri ſuffocationem incurrit. Quod multis apud nos vſu venire ſolet, præſertim quæ genio indulgent, & victu lautiori vtuntur. Et recte quidem Galenus tam ad ſeminis, quam menſtrui corruptionem refert, quæ vteri vaſa diſtendendo in longitudinem contrabunt, vt matrix ad ſuperiores partes vergi deprebendatur. Vapor enim ille vitæ principiis, cordi & cerebro aduerſans, varia excitat ſymptomata. Nam ſub ſanguine menſtruo omnis humor corruptus comprehenditur, vt Galenus 1. de natura bumana com. 28. atteſtatur. Cui Auicenna & Auertboes ſubſcribunt. Quod autem ex ſemine retento viris non item ac mulieribus contingit, fit quod vterus ſit ſentina corporis ac excrementorum putridorum receptaculum, vt nihil mirum ſit etiam excrementa deleteriam acquirere qualitatem, vt & in peſte, morbo gallico, caſu & venenis aſſumptis accidit, in quibus ab occulta vi noxa contr. hatur. Eam qualitatem fuiſſe auctam incon enienti congreſſu, cótinui ſolutione, & dolore, quæ duo partum ſemper comitantur. Datur etiam ob imbecillitatem innati caloris in muliebri ſexu putredine occaſio. Quod autem talis qualitas ex ſanguine menſtruo in grauidis, dum ad nouem menſes ſanguis menſtruus retinetur, non reſultet, neque quicquam vtero gerentem angat, fit forſan quod natura inhibeat ne putreſiat, quod negligit vbi præter naturam, & citra vſum detinetur. At meo iudicio pars abit in fœtus alimentum, pars ad replenda vbera detruditur, abſumitur aliquid & coctione emendatur, minniturque vomitu. Verum cum eiuſmodi ſymptomata in enixis eueniunt, matrice etiam optime purgata nihil vtilius ſemine Dauci Sacchаro incruſtato deprehendi atque vſu confirmaui. Hæc quid de ſymptomate hyſterico ſentiam, nimirum eſſe vteri ſuffocationem, breuibus perſcribere volui, vt animi mei promptirudo tibi conſtet. Bene vale. Vratiſlau. Anno 82. 26. Martii.

Diſtenſio uteri à uaporibus.

Vterus ſentina excrementorum.

In mulierib. maior putredinis occaſio ob imbecillitatem caloris.

Semen Dauci ſaccharo obductum.

EPIST. LIX.

CAROLVS OSLEVIVS, MEDICVS *Cæſareus, &c. Laurentio Scholzio Medico S. D.*

VEHEMENTER mihi placet fides tua qua mecum agis: eandem mibi quoque præſtabo. De medicamentis mecum communicatis gratias ago. D. Abrahamus iam ab aliquot ſeptimanis peregre abeſt. Itaque eum alloqui de illis, quæ ab ipſo cuperemus impetrare hactenus non potui. Faciam id vbi redierit. Interea ea tibi deſcribam, quæ mihi Crato patefecit, à ſe vſu cognita. Me enim cunctantem, ac propere fugientem Crato vltro in ſuam familiaritatem pertraxit, mihique promiſit, ſe mecum ſuà ſecretà medicamenta communicaturum: quæ eadem à me tu quoque expectabis, ſi ab ipſo abſtulero. Interea dum familiariter mecum confabularetur, dixit magnum eſſe remedium oculorum male affectorum, ſi comminuas & conteras lapidem calaminarem in tenuem puluerem, & cum medulla oſſis bubuli liquefacta commiſceas, forma linimenti quo oculos clauſos inungas, ſed lauandum eſſe flexum cubiti lixiuio acri, vt ibi excitetur pruritus. ℞. carduum benedictum, aſperge aquam cardui, & fac vt denuo deſtillet. Hoc liquore linteolum imbutum Crato ſurdaſtris immittit in aurem, ſi doleant, vel non audiant. Nihil ex omnibus medicamentis, quæ expertus eſt ſe conducibilius comperiſſe fatetur. Oculos cancto-

Pro oculis lapis calaminaris.

Pro ſurdaſtris.

rum tritos & leuigatos in marmore plurimũ poſſe in ſedandis doloribus immaniſſimis cancrorum ait, ſi ex vino, vel iuſculo bibantur. Idem affirmat folia perſicariæ, aqua fluuiali madefacta, & impoſita ſanare fæda vlcera. Cataplaſmatis, quod in compeſcenda gangræna ſæpe vidi eum exoptato euentu vſurpari à D. Bucella, hæc eſt deſcriptio:

Cataplaſma pro gangræna.

℞. Farin. lupinor.
fabarum ℥ iij.
Succi rutæ ℥ ij. aut pul. rutæ ℥ iij.
Oxymell. ſimpl. ℥ vj.
Lixiuii q. ſ.

Interdum addit puluerem ſcordii: nunnunquam etiam pauxillum victrioli, ſi inualuerat gangræna. Cataplaſma in contuſionibus, & plagis capitis potens.

Confuſionibus & plagis capitis.

℞. Farin. hordei,
fabarum. an. ℥ ij.
Pulu. betonic.
chamemel.
melilot.
roſar. an ʒ j.
Calam. Aromatic. ʒ. ß.
Oxymell ℥ j.
Ol. roſar. hypericon an. ℥ ß.
Vini boni q. ſ.

Saccharum Saturni.

Rationem parandi ſaccharum Saturni non plane intelligo. Nam ſi ſtatim ab initio fit dulciſſimum, quid cauſæ eſt, cur reſoluatur in aqua calida, vt deponat acredinẽ? Quod ſi tritum immittitur cucurbitæ, vt ſoluatur in balneo Mariæ: tandem liquidum, non autem aridum quid exorietur. Vnguentum ex ſuccis arantii cœpi his diebus vſurpare, non abſque vtilitate. Alias plura. Reſalutat te Magnificus Dn. Dudithius. Vale cum familia tua, & me ama. Vratislauia 9. Martii, ..no 1583.

EPIST. LX.

IDEM EIDEM.

EGo vero mi optime Scholzi, non minus libenter reſpondi, quam tu ad me ſcripſeris. Quos hic in caſu veſtri ciuis conſulam non habeo. D. Weyſſelium de eo conuenirem, etiam mea, hoc eſt, diſcendi cauſa, ſi me non grauaretur audire, A tonſoribus noſtris nihil profecto expiſcaretis, quod animo tuo ſatisfaceret, neque eos puto Lignicenſibus anteponendos. Meam itaque ſententiam ad te libere perſcribam, quam velim ſeuero iudicio examines. Diſlocationem tali cognoſcere is ab initio potuiſſet, qui certas eius factæ notas tenet. Exiſtimo autem non adhibitum fuiſſe ſtatim hominem intelligentem. Suſpicor perfectam non fuiſſe luxationem. Hoc enim perit illius articuli motus, in quem ipſa incidit. narras autem virum illum iter feciſſe neglecto malo: longo tempore poſt, oborto tumore, minus dignoſci potuit luxatio. nec certum ſignum luxationis fuit, ſi commode inambulare non potuit. Hoc enim potuit contingere propter dolorem partis mouendæ ex alia cauſa, quam ex luxatione ortum. Venio in eam opinionem, ſolam diſtorſionem factam fuiſſe, qua tenſa nimium fuerint vincula, quæ connexionem articuli continent, atque adeo omnia, quæ ad articulationem illam conueniunt: vt ſolet accidere, ſi membrum caſu nimis vel extendatur vel flectatur in partem quampiam, præter eius naturam, inde extitit dolor, & propter hunc, aut etiam propter ligamenta iuncturæ relaxata, nec firmiter iam amplius continentia, difficilior & laborioſior inceſſus, dolor præſertim ex itineribus exacerbatus, attraxit humores ex corpore ad partem debilem & ægram, ad quam tanquam imam, ex ſe defluere ſolent. Hæc vero laxior iam reddita, eos facilius admiſit. Ex hoc affluxu humorum natus eſt tumor, & intemperie & diſtenſione partium occupatarum moleſtus. Materia autem tumoris qualis potiſſimum fuerit, non obſcurum puto cogitanti, naturam ad quodque membrum tranſmittere alimentum ipſi congruum & ſimile. Quod longiori tempore, & abundantius affluens, nec bene confectum à debili parte ceſſit in tumorem. Sunt autem extremæ partes neruoſæ, membranoſæ, oſſeæ, exangues. Huiuſmodi autem humor, id eſt, cognationem & ſimilitudinem cum ipſis habens, nempe glutinoſus, denſus, tenax, frigidus & ſiccus, non eſt aptus, neque ad digeſtionem, vt conuerſus in vaporem exhalet, quamuis enim partes quædam tenuiores, quas pro vehiculo fluxionis adiunctas eſſe oportet, diſcutiantur, reliquæ tamen magis impinguntur condenſatæ: nec ad ſuperationem: ad hanc enim caliditas, & humiditas requiritur. Si ſcire velis qualem mihi humorem imaginer, finge te membranam aliquam, aut neruum adeo maceraſſe, vt quaſi in mucillaginem redegeris. Non mirum igitur ſi facta apertione nihil humidi affluxit: diſcuſſus enim fuit humor ſubtilior, & remanſit craſſior, magis coactus & quaſi concretus ex fluido. Porro calor, qui in membris extremis & exſanguibus infirmior eſt, non potuit & eas tueri, & illapſum atque penitus impactum humorum pr[illegible] vincere ne quid

Tumor à diſtorſione.

In diſlocatione tali.

mali-

mali inferret. Hinc euenit, vt humor, præter naturam ibi detentus, nec à calore naturali ſuperatus aut gubernatus, cœperit & ipſe corrumpi, & ſanas partes corrumpere: ex quo tandem etiam oſſiculorum ſeparatio, facto maiori foramine non miror excreuiſſe fungos. Hi autem non apparuerunt, quod ipſorum materiæ, hactenus concluſæ, non data fuit porta. Eſt autem iſtorum fungorum eadem ratio, quæ illorum, qui enaſcuntur ex læſa meninge in vulneribus capitis, de quibus Ioannes Langius in Epiſt. vj. In cæca, inquit, & occulta cranii fractura raro vel fere nunquam fungi naſcuntur. Quemadmodum ſane in ſtipitibus arborum humores protrudi, per corticem exuberantes, in fungos coaleſcunt, ſic vulnerato cranio, humores cerebri affluunt, qui (teſte Alexandro Aphrodiſæo) oſſis frigore condenſati, in ſpeciem fungi concreſcunt: qui in ſuperiori parte ampliuſculi, infra vero prætenues pro ratione loci perficiuntur. Vnde Galenus libro Epid. tertio ait: τῦ πάχεις τῶν χυμῶν τὰς τοιαύτας ἐπιφύσεις ἐργαζομένυ, καλῦσι δὲ αὐτὰς οἱ πολλοὶ μύκητας. i. Denſitate humorum, tales in vulneribus adnaſcentias efficiente quas multi fungos appellant, quos cum noſtrates chirurgi in capitis vulneribus enatos vident, ſubſtantiam cerebri eſſe arbitrati, aut ægros tamquam deploratos relinquunt: aut ſi forte fortuna eos curauerint, vulnera cerebri ſeſe curaſſe, tantillumque de cerebro fruſtum exemiſſe gloriantur. Verba adſcribere volui, quod dubitaui an librum haberes. Confer occultam cranei fracturam cum arcto humoris foramine, illam apertam cum hoc patente, & videbis ſimilitudinem in partibus natura ſimilibus. Vtraque enim ſunt membranoſæ, exangues, oſſeæ, frigidæ. Cauſa autem cur in vulneribus & læſionibus neruorum, tendinum, membranarum, oſſium ſuccreſcat copioſa caro flaccida, hæc videtur eſſe, quod hæc ſunt corpora denſa, è quibus tenuior & ſeroſior pars ſanguinis effluit, retenta, & per calorem extraneum exiccata, craſſiori. Adde etiam ex Langio, vel potius ex Alexandro Aphrodiſeo affluentes humores, partium excarnium frigore condenſari. Affluit autem ſanguis copioſus, & propter dolorem inſignem, qui eo redditur maior, quo plus affluit, & quia natura multum tranſmittit, ad ſeperandam partem corruptam & morituram, idque propter inimicitiam inter viuum & mortuum. Caro illa flaccida non tantum in ſubſtantiæ raritate, &, vt ita dicam, varietate cum fungis terreſtribus conuenit: ſed etiam in ſubito ortu & augmento. Scis polypos reſectos, neque ex arte poſt ſectionem curatos, vno atque altero die in priſtinam molem excreſcere: quorum eadem prope eſt cauſa, quæ fungorum, de quibus agimus, & propterea vtrorumque etiam curatio non diſſimilis. Ne mireris igitur tonſores medicamentis excruciantibus, quæ plus, concitato dolore, attrahunt, quam eroſione abſumant effeciſſe. Tu qua ſpe bonum virum curandum ſuſcipias bene delibera. Cum malum in ipſa iunctura inſederit, ibique corruptio facta fuerit, claudicationem ille non effugeret, etiam ſanato vlcere, vt mea quidem fert opinio. Nam calor præter naturam ex dolore & affluxu nimii humoris in parte excitatus mucillaginẽ cartilaginũ, quę inter oſſa articulata intercedunt, & craſſiorem partem affluentis humoris ſeroſi, quem vulgus tonſorum, aquam articulorum, das Glidt Waſſer / appellant, exiccat & indurat. Hoc adeo verum eſt, vt eam ob rem, omnia etiam vulnera iuncturarum, vel optime & rectiſſime curata, articulationem deſtruant. Sed vehementer dubito an curari poſſit. Noſti vlcus non ſanari niſi pars vlcerata recipiat ſuam natiuam temperiem, & ab omnibus impedimentis carnis, qua explenda eſt, regenerandæ liberetur. Hic præterea adſunt fungi rebelles, ſunt indicia corruptorum oſſium. Ais naturam, quæ eſt curatrix morborum, in hoc ægro eſſe viribus afflictiſſimis & proſtratis. Hæc igitur cum ſit tam debilis, metuendum vt poſſit corruptioni ne ſerpat & inualeſcat reſiſtere. Et ſunt alioquin pedes à fonte vitalis caloris remotiſſimi, hocque non nimio præditi. Nolim te docere curationem. Vnum hoc dicam, videtur mihi ante omnia hoc faciendum, vt æger reficiatur, & pars hactenus doloribus fracta demulcentibus, & amicum temperatumque calorem inducentib. atque roborantibus cataplaſmatibus refocilletur. Interea fungis etiam pulueres ſine cruciatu ſiccantes, abſumentes, & adſtringentes, vel huiuſmodi aquæ aſpergi poſſent, quæ eadem ad putredinem cohibendam cõducent. Atque hæc habui, quæ in hoc caſu reſpõderem. D. Buccella primus me fungorum naturã in experiundo docuit. Neminẽ vero legi vnquam, qui de ipſis ſcripſerit, præter Langium. Satis mihi fuit de ipſa natura rei meam tibi ſententiam explicare, quæ ſi falſa eſſet, falſam quoq; eſſe oporteret curationem ſuper ea extructam, quam facile colliges per te ipſum tanquam Medicus methodicus. Te rogo, ſi quid dubii in ea tibi reliquum eſt, mihi id libere vt reſcribas. Memini te habere effigiem inſtru-

menti cuiuſdam, quo Arantius vſus eſt ad polypum reſecandum. Rogo te eam mitte. Bona fide à me ſtatim recipies. Secreta Cratonis, quæ D. Monanius tecum communicauit, nondum deſcripſi. Ignoſce pigritiæ meæ. Vale cum chariſſima coniuge. Reſalurant te amici, quos per me ſalutaſti. D. Albinus Heluigius, & D. Abrahamus. Iterum vale, & me ama. Vratislauia 23. Iulii, Anno 1583.

EPIST. LXI.

IDEM EIDEM

CVM ſciam me tibi debere, ne fidem quã tibi dedi incuſes, exoluam; ſed ita vt velim porro tuis meritis obligari. Perchara eſt mihi amicitia tua, quam ſemel cœptam coli, religioſe, quo ad vixero, colam; & etiam magis, quod ſperem nos aliquando in patria coniunctos fore. Perſpicio liberalem & apertum tuum animum erga me, eumdemque minime ad communicandum difficilem, in quo N. N. vincis, qui ſedulo premit, ſi quid ſingulare ſe habere putat, vt vix multis precibus extorqueas, quod tamen ſæpe tale eſt, vt vel idem publice extet, vel par, aut eo etiam præclarius facile reperiatur. Conſtitui plane apud me, nihil ab ipſo petere, niſi quod ipſe facile ac libenter atque vltro largiturus ſit. Quod enim moroſe datur ab eo, qui mei amans & ſtudioſus haberi vult, tam mihi ingratum eſt, vt pœniteat rogaſſe. Si ſcires quam bene & ex animo D. Abrabamus mihi voluerit, crederes me ingentem dolorem ex ipſius obitu percepiſſe. [illegible]ædam præclara mecum communicauit, quæ volo, tibi quoque mecum eſſe communia. Sed hoc pacto vt te mihi ſancte obſtringas, nulli rei ipſorum copiam facturum, me inſcio, Si reſciuero illum, cui ea patefacere velis, eſſe virum bonum, quique ſua liberali pectore communicet, lubentiſſime permittam. Homini vero in gratificando difficili relinquam ſua, mihi aſſeruabo mea. Sequenti medicamento, quod miraculoſum effectum habet, dixit mihi D. Abrahamus, vir longe optimus, ſe bonum ſibi nomen in Morauia comparaſſe:

℞. Spec. Diambræ ℥ ij.

Infundantur in vino deſtillato quatuordecim dies, vt latum digitum ſupereminear, add. *Opiatum.*

Opii ʒ vj.
Mumiæ ʒ ß.
Succi Hioſcyami ℥ j.
Corall. rub.
Carabæ an. ℈ ij.
Croci ℈ j.
Moſci. gr. xvj.
Ambræ gr. xij.

Affuſo rurſus ſpiritu vini, vt ſuperemineat latum digitum, digerantur poſt fornacem per menſem, quotidie agitando. *Δόσις* ℈ ß pro ægri conſtitutione. Maniacis, in vigiliis extremis, colicis in febribus ardentibus, phreneſi, peripneumonia deſperata exhibetur. Curatio cancri, qua quidam feliciter vſus eſt, à magno quodam viro mihi communicata: *Pro cancro.* ℞. Radic. ſerpentariæ maioris collectæ menſe Iunio, tranſuerſim inciſæ, & filo lineo traiectæ & ad vmbram exiccatæ, ſuſpenſæ ne parietem attingat, in ſubtilem puluerem redactæ quantum volueris, cui adde Arſenici non ſplendentis tertiam partem, fuliginis carmini parum, omnia bene commiſceantur, & ſubtiliſſime pulueriſentur, & ſeruentur in pixide lignea Si vlcus ſit valde putridum, arundinaceo cultro ſcalpendum eſt, vt parum ſanguinis exeat, & puluis ſubtiliter inſpergendus, atque goſſipium ſaliua madefactum, ſuperponendũ, proteſtandumque eſt, quod per diem & noctem vnam, dolorem moleſtum excitabit, atque pars intumeſcet, ſed quanto tumidior euadet, eo melius. Non eſt remouendum medicamentum. Sed faciat eſcharam, quæ ſponte per ſe poſt octauam diem cadet, ſi poſt eſcharam claſam immundum remanebit vlcus, mundifica cum melle roſato, ſucco apii, & parum farinæ hordei, vel vnguento Iſidis, & ſuperponatur vnguentum de Tutia. Si vero aliqua radix remaneret: rurſus appone prædictum puluerem; & pro remouenda eſchara nihil addes, ſed naturæ permittes. Sed antequam aggrediaris curam, purga corpus competenti purgatione, & rectam victus rationem præſcribe. Ad Gonorrhœã ſingulare D. Belocati, Medici Patauini, experimentum: *Ad Gonorrhœam ſingulare.*

℞ Gummi arabic.
Tragacanth.
Carab.
Mumiæ.
Boli armen.
Mandibul. lucii an. q. v.

Pulu. & cum ſyr. de roſis ſuccis, vel myrtino f. pillulæ pondere ℈ j. Capiat prima vice pillulas tres, deinde pillulam vnam per plures dies. Hæc tria cum ſint præclara, & plane ſelecta, maximeque momenti velim inſtar multorum [illegible]ſint. Quæ nouarum acceſſione auge[illegible], ſi pactum, quod tecum ineo, mihi co[illegible]rmaueris. Sancte tibi affirmo, nihil eſſe apud me, aut vnquam fore

fore, quod te celare velim. Pulueris illius conficiendi rationem, quem vehementer expetiuimus, D. Abrahamus me docuit. Illum dico puluerem, quo Bregæ, adminiſtrante curam D. Sebiſchio, quidam ſanatus eſt, habens collum vlceribus cauernoſis & contumacibus exeſum. Bonus vir, vt perſpicerem ipſius fidem non deſcripſit mihi parandi rationem: ex deſcriptione enim vix, ac ne vix quidem, potuiſſem diſcere: ſed domi ſuæ parauit me ſpectante. Idem tibi promitto. Sed eſt quædam grauis cauſa, cur diligenter caueamus, ne puluis ille innoteſcat vulgo, quam te malo diuinare, quam exprimere. Vidi apud illum pixidem eo plenam, tibique inſcriptam. Si quæ habes vel Langii, vel aliorum, præter ea, quæ à te petii, ſingularia inquam, & certa, nec paſſim extantia, rogo ne me celes. Videor mihi hic eſſe in nundinis ſeu mercatu. Vnde bene onuſtus optimis mercibus redire in patriam cogito. Tunc mihi fidus eris Achates, quamuis ego non ſum Æneas, Vale. D. Hieronymus Michael te peramanter cum coniuge & filiolo ſalutat, quibus ego quoque plurimam ſalutem adſcribo. Praga, 4. Decemb. Anno 1583.

EPIST. LXII.

IDEM EIDEM.

AMICVS ille noſter, nunc libenter ea communicat, in quibus antehac difficilem ſeſe præſtitit. Didicit ex familiari mea conſuetudine mihi ea demum grata eſſe, quæ ingenue & libenti animo communicantur: quæ vero iactantur & premuntur, præſertim inter amicos, contemnenda videri. Acceſſit obſequium meum, quo ita eum mihi deuincio, vt non poſſit me à familiari neceſſitudine excludere. Recipit etiam à me ἀντίδωρα. Laudanum vſut pauir ſæpius admodum feliciter, me teſte. Deſcriptionem ignoro. Tu ab ipſo pete. Si nullam habes, aut ille recuſabit, quod non puto, me mone. a me accipies, variam quidem, ſed in effectu principali conſentientem. Nactus ſum deſcriptionem Turbith Mineralis multiplicem. Qualem habeat Stromerus nondum reſciui. Cum enim memoriter eam non teneat commode à me hactenus ad librum compelli non potuit. Extant deſcriptiones apud diuerſos autores; è quibus pro tuo iudicio eliges, quæ maxime placeat. Modus applicandi ruptoria talis eſt: Præmiſſa purgatione corporis, circumdetur locus emplaſtro Diachilon gummato (hoc enim craſſe inunctum, tenaciter adhæret cuti) quod habeat tantum

Modus applicandi ruptoria.

foramen aut ſpacium vacuum, quantum erodere, aut excedere cutem velis aut paulo minus. Cauterium enim liquefactum & diffluens, amplius reddit foramen, quam feceris. In illud foramen ſeu ſpacium impone cauterium; & ſuperpone aliam petiam eiuſdem emplaſtri. Sed videndum ne dum faſciis partem obligas, emplaſtrum cum cauterio dimoueatur loco. Stromærus ſolet relinquere cauterium 24. horas. Sed potes etiam citiùs remouere; ſi effectum eius præ-noueris. Ablato cauterio diſſeca quicquid carnis aut cutis mortificatum, & nigrum à cauterio redditum videris, & impone petiã digeſtiuo, quod vocant, inunctam, tantam, quæ eſcharam duntaxat bene tegat, & ſuperimpone Diachylon ſimplex. Paucis diebus exibit eſchara, qua ſublata, ſi non tantũ rumpere cutem, ſed fontanellam parare cogitas, imprime globulum, ex cera viridi, cum præcipitato permixtum, qui cum ea bene ſubactus ſit, quod potes facere digitis. Ita foramen profundius facies. Vide Capouacciũ, cuius tractatum de recta adminiſtratione cauterii te habere exiſtimo. Ruptorium Gabrielis Beati cupio. Si ad manum eſt, ad me mitte. Venio ad caſum illum, quem mihi proponis. Difficillima ſanatu puto vlcuſcula ad talos, & propter conſuetudinem tot annorum, quibus humores illuc defluxerũt, præ ſua grauitate ad locũ decliuem, & quia locus eſt exanguis & debilis, quæ cauſa eſt, cur facile gangræna ex aliqua intemperie, aut defluxu ibidem excitetur, & quicquid vel puſtularum vel vlcerum ibi exoriatur, difficulter ſanetur. Expurgare bene & exquiſite, atque exiccari oporteret corpus primum pharmacis, deinde Guaiaci vel ſarzæ decocto, ſi conſolidari illa deberent. Quod ſi conſueta defluxio inhiberi non poſſet, paranda eſſet fontanella, palmum infra genu, ad illam intercipiendam. Corpore enim expurgato & intercepta defluxione, facile exhalaret, & reſolueretur humor circa talos, qui impactus intemperiem, tumorem, & vlcuſcula fouet. Si vero ſanatio non ſuccederet, aut prorſus æger conſtitutum apud ſe haberet, vlcuſcula illa retinere, equidem inſpergerem hunc puluerem: ℞. reſinam, liquefac ad candelam, vt ex ea guttæ cadant in aquam ſubiectam, eas collige, & in puluerem redige. Hic temperatus eſt, & concoquendi & mundificandi facultate præditus. Et imponerem quotidie folia hederæ viridia, & imponi ſolent fontanellis. Ad ruborem vel pruritum tollendum, ſi ſuperueniret, ex his duobus ſelectiſſimis remediis vnum applicarem: primo, pulpam ſeu carnem panis triticei, macera

Vlcuſculi ad talos difficillima.

Pulvis reſinæ

Remedia pro rubore & pruritu.

n aqua tepida, deinde exprime, & rurſus in alia aliqua macera, vt inſtar, cataplaſmatis inteo illini (quod ad craſſitudinem digiti fieri debet, ne facile exiccerur) poſſit. Refrigerat, humectat: non adſtringit cutem, ex qua adſtrictione impedire poſſit perflatio & exuperatiu materiæ illapſæ; ſed potius, nonnihil concoquit & reſoluit. Poſſes fallendi cauſa permiſcere puluerem foliorum maluæ. Item macerare in lacte, & vitelium oui cum oleo roſaceo addere ſi anodynon parare velles. 2. Lixiuium acre ferueſac, infunde pauxillum olei communis, & diligenter ſimul agitando commiſce, madefactis linteis mulriplicatis locum fomenta. Ad reſticanda vlcuſcula, omnia vtilia ſunt, quæ habent facultatem exulcerandi & veſicandi, quæ tamen nolim ſimplicia, id eſt, citra aliorum commixtionem adhiberi, niſi moderata ſint. Poſſes imponere ranunculum leniter contuſum, aut flammulam Iouis. Si nihil aliud in promptu ſit, fac habeas emplaſtrum quodcumque, exempli gratia, drachylon ſimplex, aut potius gummatum, quod maiorem vim attrahendi effluxum habet, & cum eo permiſce aliquantum euphorbii, naſturcii, ſinapi, & applica petiam tantam, quantam vis exulcerationem facere, inunctis circumcirca vicinis partibus, ſi opus ſit, vnguento roſato, aut albo camphorato, vel ſimili ad prohibendam inflammationem. Monauius noſter nunquam occupatior fuit, quam nunc, itaque me rogauit vt tibi deſcriberem, 1. puluerem contra podagram magno hic apud Principes viros in precio & vſu 2. rationem reparandi naſi qui præſectus fuerit. 3. oleum quoddã cauſticum: ſed hæc duo poſteriora partim legere, partim intelligere nequiui. Quare alio tempore à me habebis. Nunc accipe puluerem:

Puluis pro podagra.

℞. Chamæd. (quæ eſt triſtago)
Dictam. creteniſ.
Chamæpith. ſiuæ iuæ artheticæ,
Rad. centaur. maior.
Herb. centaur. minor.
Gentianæ.
Rad. Ariſtol. rot. an. ℥ ij.

Putamin. nucleor. 1. partis interior. quæ eſt illius corticis ſpongioſi, qui eſt ſub cortice duro, qui frangitur, id eſt, inter animam & corticem durum, ℔ j. & ℥ viij.

Miſce & f. puluis ſubtiliſſimus. Δόσις ʒ ß. per quadraginta dies. Sed quia amarus, poteſt inuolui hoſtia, & ex vino albo, vel brodio bibi tribus circiter horis ante prandiũ. Bene vale. D. Hieronymus Michael te plurimum & amiciſſime iuſſit ſalutari. Praga 22. April. anno 1584.

EPIST. LXIII.

D. IOHANNI HERMANNO, PRINCIpis Bregenſis Medico, &c. Caſparus Hoffmannus Medicus Elect. Brandeburgenſis, &c. S. D.

QVOD ad humaniſſimas litteras tuas non illico reſpondi, non id accidit imminutione beneuolentiæ, aut remiſſione obſeruantiæ meæ erga te, ſed quia multis, iiſque moleſtiſſimis occupationibus diſtractus & impeditus fui, vt alia quoque neceſſaria officia deſerere coactus fuerim. Quæris autem quid ſentiam de medicamentis Paracelſicis. Quid ſane aliud agunt iſti, qui eiuſmodi remediis vtuntur, quam quod humidum radicale violentis ſuis remediis depopulentur, ac pro eo mordaces & rodentes humores corpori inferunt, caloremque alienum in corpus inuehunt? Extollant alii quantum velint oleum vitrioli & vitriolatas tincturas, quas pro margaritis, coralliis, & lapidibus precioſis Principibus ad pauca reſpicientibus (placet enim color lucidus, & ſapor acidus) iſti cum magnificis præconiis exhibent. Ego tot documentis & exemplis edoctus, non facile autor ero cuiquam, multò minus Principibus ſuaſor eſſe velim, vt vſurpatione temeraria & crebra iſtarum rerum rodentium, quiſquam ſe diſcrimini obiiceret. Vidi qui à multo vſu vitriolatorum iſtorum corroſos pulmones colore vitrioli eiecerint. Alteri epar diſſolutum fruſtulatim excretum putabatur. Audiui quoſdam morti proximos lamentabiliter deplorate temeritatem ſuam, & magnis vociferationibus deteſtari ſeipſos præ dolorum immanitate, & interiora ſibi vri & rodi ſubinde clamaſſe. Pictor quidam egregius apud nos podagram ſe depulſurum ſperans, in vſurpando oleo vitrioli ſedulus erat. Verum ante obitum in poris omnibus per totam ſuperficiem corporis, veluti cuſpides acuum pungentium ſentire ſe miſerabiliter conquerebatur. Porro Antimonii, & vitrioli nomine iam propemodum ſeneſcente, alia emergunt magnalia, videlicet, primum ens ſulphuris, liquores margaritarum, corallorum, tinctura ſolis (quæ, niſi me lingua & nares decipiunt, ex camphora eſt) ac multa inſuper alia ſunt, quæ arrogans illa & ignara chymica turba, (ſed ad imponendum eruditiſſima) magnis præconiis & gloriis ornat & vaniſſimis iactationibus celebrat. Talibus impoſtoribus ignotis, imo etiam aduerſo rumore laborantibus nonnulli Principes, nunc ſua committunt corpora, non adhibitis atque

Effectus medicamentorum Paracelſicorum.

Curatio à vitriolatis medicamentis.

Magnalia ficta.

etiam

etiam ſpretis reliquis Medicis. Sed faciunt id ſuo periculo, & breui exitus acta probabit. Verum de his nimis multa. Vale. Datæ. Francofurti 1. Iun. Anno 1575.

EPIST. LXIV.

IOHANNIS WEIDNERI MED. &c. *Caſpar Hofmannus, D. Electoris Brandeburgici Medicus ord. S.D.*

EXIMIE domine Doctor, ad binas literas tuas iampridem reſpondiſſem, ſed mihi DEO teſte defuit tempus. Ac iam Freiſtadii ita à mulieribus excruciatus ſum, vt præ illarum importunitate, vaticinia ex vrinis quærentium vix reſpirare potuerim. Nunc quoque currum aſcenſurus & Cuſtrinum profecturus hoc ſcribo ſtans pede in vno. De œdemate aliquid iam ſcribam, de reliquis alias. Talem tumorem habuit D. Zochius in eodem loco, nempe in genu, magnitudine propemodũ, caput pueri æquantem. Cum diu à tõſoribus excruciatus fuiſſet, ego poſt purgationes phlegma detrahentes ordinaui lotiones ex herbis verbaſci, chamomillæ, anethi, iuæ artheticæ, herbæ paralyſis, agrimoniæ, verbenæ, abrotano, abſinthio, vt ſic emollirem humorem, & aliquam eius partem diſcuterem. Poſtea feci cataplaſma ex farina fabarum, lupinorum, radicibus altheæ, pul. lumbricorum terræ, floribus chamomillæ, verbaſci, anethi, abrotani, abſinthii. vltimo foueri iuſſi tumorem vino, affuſa aqua agrimoniæ. Sic totus tumor euanuit, & diſcuſſus eſt, quod primum videbatur impoſſibile. Sed iam plura non vacabat ſcribere. Bene vale. Datæ Francofurti 6. Septemb. Anno 1579.

Cura œdematis in tibia.

Lotio diſcutiens & emolliens.

Cataplaſma.

EPIST. LXV.

REVERENDO VIRO, DN. ABRAhamo *Bucholcero, Theologo celeberr. &c. Caſpar Hofmannus, Elect. Brandeburg. Med. S.D.*

ETSI ſpero te iam priſtinæ valetudini eſſe reſtitutum: tamen quia ſubinde ſe colligere ſolet pituita ex imbecillitate coctionis & defectu caloris naturalis, vigilandum ſane eſt, & tempore pacis cogitandum eſt de bello, aduerſus hoſtem tam truculentum, ne prælium redintegret. Ego video cardinem totius rei verti in eo, vt calor naturalis ſuapte natura debilis exuſcitetur, ne ſequatur cruditas, & ex hac pituitæ collectio: & vt pituitoſi humores, collecti per interualla, abſque nocumento interiorum membre m è corpore educantur. Hæc ſi fierent, r nus eſſet metuendum de morbi recurſu. uod igitur ad exuſcitationem caloris natiui attinet, faciunt quidem intus rotulæ, morſuli, pulueres, condita, &c. aliquid, & foris vnguenta, ſacculi, cerata, &c. ſed minus tamen, quam fuit expectatum. Ratio eſt, quia humor pituitoſus inſinuauit ſe in tunicas ventriculi, vnde hebetatur calor, & cibus in ventriculo degenerat, & vertitur in crudum humorem & viſcidum, qui poſtea inteſtinis adhæreſcit, & accedente obſtructione flatus copioſos ex ſe gignit, à quibus tumor & dolor, cum exitus illis ſupra & infra ſit interclusus. Quid igitur agendum? dices. Non quidem contemnenda illa, quæ paulo ante nominaui, hoc eſt rotulæ, ſacculi, &c. Sed ſpero hæc, quæ dicturus ſum non parum profutura. Multos, qui ſimiliter affecti fuerunt, iuſſi in hebdomada bis de Mithridatii antidoto ſumere quantitate piſi vnius aut duorum. Dictu mirum, quam illis hoc profuerit, non prima ſtatim vſurpatione, ſed tempore ſequente. Excitauit calorem, humiditatem ſuperfluam abſorpſit, &c. Nec metuendum quicquam de vehementia medicamenti, quia in parua quantitate ſumitur. De pipere inciſo ſemel dixi antea: ſi deglutiantur ſeptem grana inſtar pillularum. Sed cum plus calefacere ventriculum volumus, contundimus grana craſſo modo, in vno aut altero cochleari iuris gallinæ, aut alterius iuris carnis exhaurimus. Itaque quoque calefit ventriculus abſque nocumento epatis. Zinziber quoque conditum multum iuuat. Cum his domeſticis (quæ ſæpe plus iuuant, quam valde medicamentoſa & operoſa, corrigi poteſt ventriculi imbecillitas, & excitari calor naturalis. Rogo Mithridatium experiri non omittas. Et ſi ventriculus tuus vſum eius ſufferre p… rit, (nocere non poterit) dabo operam, vt aliquid de præſtãtiore alicunde nanciſcar, & tibi mittam. Quod ſubinde clyſteribus inteſtina exoneras, bene facis. Paſſulæ laxatiuæ quomodo conuenerint ſcire cupio. Ego his ſæpe vſus ſum, & bene contulerunt. Nihil in ſe habent quod purget, præter folia ſenæ. Rhabarbari nihil ineſt. Si ventriculus reſpuet illorum vſus, tum potius vſurpentur rotulæ illæ ex diaphœnicone. Video me oportere integro conſilio tibi explicare rationem præſeruationis à colico dolore, & quid in acceſſione agendum. Id (DEO teſte) iam illico facere non poteram, cum hac hebdomada Elector & Adminiſtrator ſumpſerint medicamenta, & hodie quoque, me que rariſſime domi, ſemper autem in aula, eſſe oportuerit. Hæc ſcripſi noctu, cum alioqui multis ægris ſcribendum eſſet. Vitam profecto iam ago inquietam.

Calorem exuſcitantia.

Vis Mithridatii.

Piper. Zinziber conditum.

Optime te valere opto, cuius precibus me commendo. Datæ feſtinanter Coloniæ ad Sueuum, 17. Febr. Anno 1581.

EPIST. LXVI.

Idem eidem.

Etsi cum tuæ mihi redderentur literæ, in magnis eram ædificandi moleſtiis: tamen moleſtiam omnem tuæ diſcuſſerunt literæ, quod ex iis cognoui, te priſtinæ valetudini aliquo modo reſtitutum eſſe. Deo ſit laus & gloria. Quod per clyſteres multum phlegmatis eſt eductum, id præcauebit ne tam facile fiat recidiua. Morſuli (fateor) ſunt aliquanto fortiores, ſed mirum quam prædicet eos noſter Cancellarius. Si tantum particulam inde ſumit, ſentit aluum aliquoties aperiri. ſed ſua eſt cuique temperatura. Fortaſſe rotulæ ex diaphœnico efficiunt apud te, quod apud illum morſuli. Mitto denuo conditum & Mithridatum. Modum vtendi non opus eſt, vt adſcribam, cum id amica factum ſit. Mitto & vnguentum ad impotentiam illam manus dextræ. Huius vſus talis eſt: ſumuntur herbæ hæ: betonica, origanum, ſaluia, roſmarinus & ina arthetica, ſingulorum manipuli duo, coquuntur in olla bene contecta, & effunduntur in vaſculum, quod panno multiplici tegatur, ne euaporet, inſeritur manus, & fomentatur, per quartam horæ partem mane & veſperi ante cœnam. Poſt fomentationem vſurpetur vnguentum, quod mitto, præſertim circa iuncturas. Vt autem videri poſſis, quæ ſint illa quæ accipis, mitto receptas vna, ſicut ſcriptę & paratæ ſunt in pharmacopolio. Saluia etiam valde commendatur, & vtilis eſt aduerſus tremorem, ſi quis aqua deſtillata crebro manus vngat, aut potius ſi ſaluia imponatur aquæ, ex qua manus lauandæ ſunt. Quidam hic ſimiliter pene affectus mira de ea prædicat, quantopere ſit adiutus. Sed hoc exile eſt, quanquam exilia etiam, interdum non parum faciunt in raræ texturæ hominibus. ſpero breui manum facturum id quod debet. Hæc de morbo tuo, qui vtinam ita euaneſcat, vt nunquam redeat.. Optime valere te tuosque opto. Coloniæ ad Sueuum, die Pentecoſt. An. 1583.

Vnguentum pro manus dextræ impotentia.

Saluia pro tremore.

Sequuntur medicamenta, quorum in hac epiſtola mentio fit.

℞. Cortic. citri condit.
Limonum conditor. an. ʒ vj.
Chebul. condit.
Rad. bugloſſ. condit. an. ʒ v.
cichor. condit. ℥ ij.
calam. aromat. ℥. ß.
Lactucæ hiſpanic. ℥ j.
Geladinæ cydonior. ʒ vj.
Rob. de ribes ʒ iij.
Conſer. roſar. damaſc. ℥ j.
Macis inciſ. ℈ j.
Cinnam. inciſ. ℈ ß.

Incidantur condita, & aromata craſſo modo, & miſc. ſig. conditum.

℞. Mithridat. opt. ℥ j. Detur laminea pixid. ſig. Mithtidat.

℞. Ol. maſtichin. ʒ iij.
vulpin.
lumbricor. an. ʒ v.
ardeæ,
taxi an. ʒ ij. ß.
Pul. vermium terreſtr. ʒ ij.
Succi ſaluiæ.
Vini Rhenani an. ʒ ij.
Pul. fl. de ſtœchad. arabic.
roſmarini,
lauendulæ, an. ℈ ß.

Coq. ad ſucci & vini conſumpt. excolentur ſpecies craſſiores, adde ol. nucis conditæ per expreſſ. ℈ ij. miſc. & addita paucula ceraf. vnguentum: ſig. *Salbe*.

EPIST. LXVII.

Idem eidem.

Plvrimvm lætor, ac tibi gratulor, quod Deus tibi proſpexerit de commoda matrefamilias. Sic enim arbitror & tibi conſultum fore & liberis. Si vllis vnquam nuptiis intereſſe cupiui, his certe interfuiſſem libentiſſime, ſi mihi ex ergaſtulo meo prouolare licuiſſet. Adfui autem animo, votis & bene precando, quandoquidem aliter adeſſe non potui. Quod vero ad corporis tui ſtatum, & medicamenta attinet, mitto ea, quæ tibi profutura exiſtimo, nempe electuarium quoddam inſigne capiti & ventriculo inprimis conferens, de quo interdum cum ventriculi imbecillitatem ſenties quantitate caſtaneæ ieiunus ſumere poteris. Deinde conditum conditorum ad vires reſtaurandas. Mitto etiam, mithridaticam antidotum. Quod ad paſſulas attinet, mitto quoque illas. Guttas tres de oleo aniſi in vino ſumptas, non arbitror tibi nocituras. Diſcutiunt flatus. ſed vſus non ſit nimis creber, & obſeruetur quomodo vſum eius ferat ventriculus. Scribis me tibi ſcripſiſſe pinguedines ad pannum inceratum, fortaſſe ad lenitionem alui, ſed miror te mirari cur in ea deſcriptione non addiderim quæ flatus diſcutiunt. Mea intentio fuit lenire aluum. Lenitio alui fit per humectantia. Quo conſilio igitur addidiſſem ea, quæ hanc intentionem inhibuiſſent, qualia ſunt flatus diſcutientia, quæ omnia ſicca ſunt, & ſ[illegible]itatem inducunt. Quæ ex his mixtis [illegible]ſultarat operatio a

Oleum aniſi.

Scripſi

Scripſi igitur intus aſſumēda talia, quæ ventriculum frigidum calefacerent, & exſiccarent, ac ſimul confortarent. Extra autem volui adhibere humectantia, quæ feces non ſinerent areſieri, & indurari, ſed potius ad alui lubricitatem conferrent. Vale, Coloniæ ad Sueuum 9. Nou. anno 1583.

EPIST. LXVIII.

CASPAR HOFMANNVS MEDICVS, &c. Laur. Scholzio Med. S. D.

GRATISSIMÆ mihi fuerunt & priores & hæ tuæ proximæ literæ. Deprehendi enim ex iis non vulgarem ſane tuam erga me beneuolentiam, quæ plurimum mihi voluptatis attulit. Sed rurſus video te opinione falli, quam de me concepiſti maiorē nimirum, quam vt eam mea ſuſtinere poſſit tenuitas. Ad priores equidem diu reſpondiſſem, & tarditatem meam in reſpondendo, ipſemet accuſo, præſertim cum ad amicitiam ineundam (quæ mihi potius expetenda fuiſſet) vltro & præter meritum meum inuitatus ſum. Sed in eo iam vitæ genere verſor, vt me vitam meam foris in perpetuis peregrinationibus & moleſtiis, domi in ſumma inquietudine tranſigere oporteat. Quo fit vt minus nunc in ſcribendo officioſus eſſe poſſim, quam olim eram. Dabis igitur veniam non ſolum tarde, ſed etiam raptim & neglecte ſcribenti, culpamque omnem non voluntatem, ſed vitæ inquietudinem ſuſtinere patieris. Cæterum quod ad animi tui affectum erga me attinet, niſi te viciſſim amore magno proſequerer, eſſem omnium inhumaniſſimus. Ac ab eo tempore quo libellum Arantii de fœtu humano à te editū vidi, vere affirmare poſſum, me nomini tuo ſemper fauiſſe, & occaſionem optaſſe, ac captaſſe etiam, vt noti inuicem eſſe poſſemus, quam nunc ex inſperato mihi obtigiſſe gaudeo. Velim igitur tibi perſuadeas te à me magnifieri & amari. Quod ſi quid incidet, vbi amicitiæ edēda ſit declaratio, dabo operam vt amici animus appareat. Sit igitur hoc amicitiæ initium ita conſtitutum, literis & mutuis officiis poſthac alendum. De cæteris curſim me agere oportet, cum otio deſtituar. De Dn. M. Abrahami valetudine valde ſum ſolicitus; nec mihi quicquam triſtius accidit, quam cum audio ipſum ægrotare, aut lecto affixum eſſe. Expetit ſubinde conſilium meum & medicamenta ſibi mitti petit. Mitto ſane quæ petit; & quæ haberi poſſunt. ſed in conſilio dando rectius collimare præſentem, quam abſentem Medicum Iacobo genero ipſius indicaui vſum eoru[m] quæ mittuntur. Oro te diligenter adſis [illegible] ine optimo & mihi

Arantii liber de fœtu humano.

chariſſimo viro de publicis ſtudiis benemerenti, & digno quem nullus morbus vnquā infeſtet. Studebo ipſemet eam ob cauſam te demereri. Eſſet ſcribendum aliquid de thermis. ſed mihi (DEVM teſtor) nunc nihil eſt otii, nec adhuc aduenisse arbitror tempus idoneum vſurpandi. Vere appetente cum Dn. M. Abrahamus ſe recolligerit, & vires erunt validiores, tum iniri cōſilium hac de te poterit. Aliis temporibus ſcio illū non modo non thermas; ſed ne quidem iactationem in itinere perferre potuiſſe. Vt autem à thermis Hirſchbergenſibus aliquid interim memorem, mitto epiſtolam quandam meam ad D. Paulum Lutherum Electoris Saxoniæ Medicum ante aliquot annos, à me ex thermis illis reuerſum ſcriptā. Cupiebat enim & ipſe ſe illuc conferre, ſi à me prius monitus eſſet de viribus illarum & vſu. Supplebit epiſtola illa breuitatem mearum literarum. Libellum de ligno ſaſſafras remitto. Non potui illum perlegere præ ocii penuria, ſed amanuenſi meo negotium dedi, vt germanica conferret cum capite de ſaſſafras, quod eſt in Monardi libello, edito opera Caroli Cluſii. Ego hactenus eo vſus non ſum, ſed D. Schroterum & Brunnerum eo vti ſcio. Et malo in iſtis nouis & raris ab aliis periculum fieri, quam à me, qui non temere à veteribus ad noua proſilio. Quomodo Schroterus vtatur annotaueram, ſed non erat mihi nunc ad manum. Mitto etiam farraginem illam tumultuariam de Barbario, quam expetis, Dn. D. Baudiſio vt ſcriberem non vacabat. Rogo itaq; vt tu illi deſcriptionem morſularum purgantium mittas; quæ ſequitur:

Morſuli purgantes.

℞. Mannæ el. ℥ iiij.
Extract. ſolutiu. ℈ v.

Diſſoluta Manna in aqua aliqua f. morſuli nu. viij. Extractionis autem ſolutiuæ deſcriptio hæc eſt:

E[illegible] ſol[illegible]

℞. Cinnamom. ʒ xiij.
Zinziberis ℥ j. ß.
Caryophyll.
Galangæ;
Cardamom. an. ℈ viij.
Nucis muſcatæ,
Macis.
Lig. aloes an. ℈ iiij.
Roſar. rubear. ℥ ij. Turbith g. iiij.

f. ſ. a. extractio, addendo in fine ſcammonii extracti ℥ j. ß. Miſc. reſeruetur vſui. Poſſunt inde fieri morſuli cum māna, vt dictum eſt; aut rotulæ, ſi ſumātur extractionis ʒ ij. ſacch. ℥ iij. Vides deſcriptionem quo ad purgantia conuenire cum Diaphenico. Miſit Dn. D. Baudiſius ad me terram ſigillatam & bolum. Cuperem ſcire an eius apud vos quoq;

eſſet magnus vſus. Sunt apud nos Gallici aliquot curati per turbith minerale. Idemque factum eſt Halæ. Vratiſlauiæ dicitur tonſor eſſe quæ mira præſtet, & ab eo noſter tonſor didicit hoc ſecretum. ſi quid tibi ea de re compertum eſt, quæſo mihi ſignifices. Habeo aliquot deſcriptiones turbith mineralis, ſed cuperem ſi fieri poſſet tonſoris illius præparationem. Sed iam charta eſt expleta, & tempus deficit. Bene itaq; te valere opto, & Dn. M. Abrahami valetudinem tibi commendo. Datæ Coloniæ ad Sueuum, die 25. Decemb. Annu 1583.

EPIST. LXIX.

IDEM EIDEM.

PVDERET me negligentiæ meæ & eſſem accuſator mei ipſius, quod ad humaniſſimas, & erudítiſſimas literas tuas hactenus non reſcripſi, niſi excuſationem haberem nimis iuſtam. Nam ab ipſo huius anni exordio in hunc vſque diem ita circumactus ſum, idque mandante Electore, vt nunquam domi ſubſiſtere potuerim, ſed ſemper iter aliud ex alio mihi iniunctum ſit. Itaque ſpero te non ſolum excuſationi meæ locum daturum, ſed etiam miſeram ſortem meam, in quam detruſus ſum, condolentia aliqua proſecuturum eſſe, cum non mea, ſed aliena voluntate à ſcribendo retardatus ſim. Æquum ſane eſſet, vt tarditatem literarum prolixitate compenſarem, ſed hoc ipſo pene momento reuerſus ſum cum Electore Dreſda, cumque in ædibus meis inueniſſem Freiſtadienſes quoſdam cognatos meos, qui mihi à te, & Dn. M. Abrahamo literas reddiderunt, & illi vehementer properarent ad nundinas ſuas, non potui facere, quin hanc exiguam ſchedam interim ad te mitterem, quæ ſi nihil aliud, hoc tamen efficiet, vt intelligas, quid hactenus obſtiterit, quo minus tibi reſcripſerim. Quod autem ad Dn. M. Abrahamum attinet, valde doleo illi iam rem eſſe cum tumoribus pedum. Sæpe illi dixi, & ſcripſi, omnium ferè morborum cauſam eſſe defectum caloris natiui, qui cum exercitio ſuſcitandus eſſet, ipſe libris affixus magnam inde debilitatem membrorum contraxit, vt & ventriculus non bene coquat, auocato inde calore, & fumi caput repleuerint prouocati nimiis animi intentionibus, vnde poſtea fluxiones conſecutæ ſunt & alia mala, quæ ſubito tolli Dn. Abrahamus cuperet, cum cauſæ, ex quibus morbus pendet, & diſpoſitio ad eas diu durauerint. Nam tumores pedum quibus ad collectionem ſæpe multum ſpacii relictum fuit, poſtea ſe tam fac . abigi non patiuntur. Nunc libenter ei (teſte DEO) ſcriberem ea, quæ profutura ipſi ad tumorem pedum putarem, ſed quid localibus proficitur, vbi vniuerſalibus opus eſt? Scribam tamen in hac feſtinatione aliqua quæ occurrunt. Marchio Iohannes in tumore pedum vinũ in ollula calefieri ſinebat, in eoq; calido lintea madefacta pedi circumcirca imponebat & ſæpe hac ratione ſibi tumores crurum diſcutiebat. Cardanus ſpongiam vel vincula madefaciebat ex lixiuio & aceto eodem modo. D. Schiltelio contra tumores pedum vbi dolores aderant, hoc erat vſitatiſſimum:

℞. Farinæ fabar.
lentium,
Sem. lini,
fœnugræc.
boli armeni an. ℥j.

Omnia pulueriſabat, & coq. cum aqua plantaginis (ſi color aderat) vel alia, & addebat olei alicuius ad hanc rem conuenientis ℥ ij. vt fieret cataplaſma. Plura mihi in aulam vocato ſcribere non licebat, & vrgebant hi Freiſtadienſes, vt maturarem, qui valde ad nundinas abituriebant. Vnde etiam factum eſt, vt nec ea remedia, quæ mihi communicaſti remittere potuerim, nec mea aliqua tibi mittere. Fiet autem id propediem. Cogito enim moram illam alia via compenſare. D. Ioachimus Camerarius, vir doctiſſimus & humaniſſimus, Dreſdæ iam fuit, vocatus ab Electore Saxoniæ, cuius valetudo ad cachexiam inclinare videtur. Singulis diebus vltro ad me venit, & ſumus de variis rebus amantiſſime collocuti de quibus libenter aliquid ſcriberem, ſed nihil (DEO teſte) ſupereſt temporis. Fiet autem alias. Editurus eſt breui herbarium Matthioli germanicum, adiectis quibuſdam experimentis τῶν ἰδίως, quem poſtea ſequetur herbarius alter, qui herbarii Geſneri, cuius ipſe Bibliothecam emit, veluti epitome erit. Oſtendit mihi effigies ſculptas, ſed pulchriores me videre nõ memini. Pollicitus eſt mihi, ſe miſſurum mihi ſemper aliquid, quæ tibi amico optimo ſum ego quoque communicaturus. Neq; illa ſolum, ſed etiam quæ ab aliis Medicis hinc inde accipio. Vnum hoc oro, vt miſertus meæ miſeræ ſortis me hactenus ſaltem excuſatum habeas; quod impiger alias ad ſcribendum adte nihil aut parum reſcripſerim, imo etiam non reſcripſerim, ſed inopia temporis pronunciare ſaltem coactus ſim. Te Deus opt. max. bene valere ve . Datæ Colon. ad Sueuun . Maij, Anno 1584.

Herbarium Matthioli, Geſneri.

. morp- dum.

EPIST.

EPIST. LXX.

CASPAR LINDNERVS, PHYSICVS *Poſnan.&c. Ioachimo Baudiſio Vratiſlauienſi, Principis Lignicenſis Medico,&c. S. D.*

MVLTORVM ſermonibus intellexi de tua ſingulari humanitate, ac inſigni doctrina, quod etiam confirmauit magnifici ac generoſi Dn. Oſſowij noſtri de te iudicium, & D. Pauli eius filiorum præceptoris teſtimoniũ. Is enim demonſtratis tuis ad Dn. Oſſowium literis omnino fuit author, vt ego prior hac mea epiſtola te ad ineundam & colendam amicitiam prouocarem, tamen vt communicatis ex arte medica conſiliis nobiliſſimo viro feramus ſuppetias ſi poterimus: ſin minus vt ſaltem *περὶ τῆς προγνώσεως* rectam pronunciemus, atque vnanimem ſententiam. Et vt à prædictione incipiam, certe verſatur hic generoſus vir in grauiſſimo periculo non ob orthopneæ tantum impetus, qui (vt tu recte iudicas) ad leues, cordique vicinas arterias delabitur: ſed *Pulſuum intermiſſioni.* ob celerem, crebram, ac (quod omnium eſt deterrimum) intermittentem pulſuum motionem, quæ (vt ex decretis Galeni noſti) omnium inæqualitatum eſt pernicioſiſſima. Legiſti opinor hiſtoriam Galeni (lib. 4. cap. vlt. de locis affectis) Antipatri Medici Romani, qui mirabatur, quod ſine ſonu ac ſtrepitu reſpiraret grauius, huic reſpondebat Galenus, cauſam eſſe in fluxu humoris non ad aſperas, ſed in leues, cordique proximas arterias, quod etiam arguebat omnium generum pulſuum inæqualitas. Tibi hæc viro erudito, vt in cæteris artis partibus, ita quoque in anatomicis exercitatiſſimo, puto eſſe recte nota. qua de re ego poſthac vberius perſcribam, cum, Deo volente, verſabor Poſnaniæ, inde frequentius te meis ſalutabo. nunc enim occupatiſſimo cura iſtius magnifici mihi ignoſci peto ſicubi errorem deprehenderis. Difficultatem curandi auget perpetua vaporum ac humorum in iecore generatio, ex vitio *αἱματώσεως* ſeu officinæ ſanguificationis contracto, ob natiuam & abſcititiam epati calidi intemperiem cum febri coniunctam. Dum enim frigidis alterare epar nitimur, materiam morbi augemus. Dum vero calidis aut in-*Ius galli.* temperatis coctioni humorum attendimus epatis æſtum augmentamus. Omnium optime illi ſucceſſit ex ſucco Iridis cum iure *Iridis ſuccus.* galli decrepiti vacuatio. Scis enim iure illo (cui Diſcorides *ἀπολακτικὴν δύναμιν* tribuit) non humorum tantum, verum etiam iridis temperari acrimoniam. Sed quid obſecro te interea proficimus? Eſt mollis flamma iecur (vt dicebat ille, licet in alio argumento) quod quidem corrigi raro poteſt, præſertim ſi cum virium detrimento (ob vigilias & cõtinuas ob motum pulmonum reſolutiones in recto (aquæ in ſpacia pectotis ac pulmonum influant. Adhibui ego, vt tu ſentiebas vna cum doctiſſimis Vratislauienſibus Medicis, fere omnia remedia. Tum ſex rerum non naturalium obſeruatione, nil, (vt ego ſentio) à me eſt prætermiſſum ad robur mẽbrorum principalium, tamen ad corrigendas intemperies, occurſum eſt grauiſſimis ſymptomatibus deriuando & auertẽdo fluxionum impetus, verum tanta eſt mali rabies ac tyrannis, vt ne placari quidem iam poſſit. Fruſtra hiera, & alia ſana adhibentur medicamina, incaſſum & braſſica marina, & alia plæraque à veſtris excellentiis excogitata remedia. Vna ſalus fidere DEO, ſunt cætera fruſtra. Victus ratio adhibetur morbo, & cauſæ conueniens, vngitur regio epatis roborantibus & alterantibus. Coquuntur humores, verum vrinæ rubræ crudæ tenues, cum malis ſedimentis, ac diuulſis nil pollicentur melius. Pulſuum arteriarum, ac reſpirationis continua (de qua ſuperius dixi) ac deprauata inæqualitas terrent magis quã cætera omnia indicia. Epati conſentit pulmo ac ventriculus. Et niſi euacuentur leniter ſuperflua, putreſcunt facile intus. Poſtremo tentatis omnibus, ad auxilium Dei confugimus, non intermiſſis tamen ſingulis auxiliorum generibus. Hæc tibi viro amiciſſimo & eruditiſſimo ſignificare volui, vt & candorem animi mei apud omnes teſtatum relinquerem, & de omnibus bene merendi ſtudium declararem. Peto iterum mihi ignoſci. Nam cum hæc ſcriberem, eram occupatiſſimus. Datæ Poſnauiæ, 5. Iunij, Anno 1575.

EPIST. LXXI.

IDEM EIDEM.

LITERÆ tuæ vltimæ magna me affecerunt voluptate. Tu vero dabis oro veniam ſi breuius reſponſum dedero, quam fortaſſis poſtulares. Cum & occupationes meæ multiplices, & iter quod inſtituo ad thermas Hirſchbergenſes magno mihi fuerint impedimento. De mea profectione hoc tibi ſignificare volui, quia per Glogouiam veſtram menſe Auguſto mihi erit trãſeundum, vbi te, DEO auxiliante, viſam & alloquar, & vt in notitiam iſtius magnifici Domini (cuius ampliſſimo præmio inuitatus eo) tu venias. Si ita & præſentia tua, & voluntas patientur. Ad herbam Dictamni

Cretici venio, quam ſi veſter pharmacopola in horto alit, veniens, Deo dante, videbo. De famulo Latinæ ac Polonicæ linguæ perito prouidebo ſedulo. Iam enim per eaſdem rationes impedimentorum non eſt mihi factu poſſibile. *Gordonium* De Gordonio, cuius praxin mihi Wiſkouij oſtendetas, ita ſcribit vir doctiſſimus Augerius in illa præclara medendi methodo. Gordonij ac Barbarorum ineptias quis ferat? Tam ſtupidi fuerant, vt quod integrum erat omiſerint, quod ſeminatum corruperint, & in nugas commutarint. Tabula medica illa prior (in qua manum Dn. D. Theodori Zuingeri agnoui) mihi eſt cordi, quod typos contineat non ſolum vniuerſæ medicinæ, quam prius ordine reſolutiuo ac definitiuo docuit, verum & adumbrationem illius compoſitiui ordinis in Hippocratica medicina explicandi, cuius in ſuis ad me literis, & in Theatro vitæ humanæ fecit mentionem. Hanc rurſus tibi remitto, ac ſummas tibi pro officio iſto habeo gratias. *Pulſus Theoria.* Ad pulſuum Theoriam & in ægris experientiam te vir clariſſime vehementer adhortor, cum Galenus ille, & ante ipſum Eraſiſtratus nulla alia re apud ſummos Imperatores claruerint magis, quam illorum motuum arteriarum admirabili obſeruatione. *Liber de cognitione pulſuum ad Poſthumum legitimus.* Legas obſecro te librum de præcognitione ad Poſthumum (quem ego ſcio eſſe legitimum, & probare poſſum) & reliquos de pulſibus 16. libros, non te pœnitebit operæ. Sic & 4. de locis affectis cap. vlt. ſic & in libris Methodi quantum proſit Medicis egregiis hæc cõſideratio vel digito demonſtrat. Herbæ ſolis vel chryſantemi Peruuiani folium tibi mitto incluſum inter tabulas. Alia mecum, Deo volente, feram, quibus E. T. delectabitur plurimum. Iam vero ipſam optime valentem ſeruet Medicus omnipotens. Datæ Poſnaniæ celeri calamo, Anno 1573. 28. Iunij.

EPIST. LXXII.

Idem eidem.

HIc puſillus tabellarius, qui mihi tuas literas reddidit, de reſponſo me flagitabat. Etſi autem maluiſſem ipſemet te Glogouiæ alloqui, ſed cum iter illud ob mea domeſtica impedimenta intermittere coactus fuerim, paucis reſpondebo. De medica pulſuum πραγματεία non abs re toties monui, cum & neceſſitatem illud vrgere videam, & vſum in cognitione morborũ experiar ſingularem. Habeo & Galenum teſtem, præcipue in libello illo pulcerrimo ad Glauconẽ. Interea tibi de valetudine mea aduerſa, qua periculoſe laborabam, aliquid ſignificabo. Ante menſem cum redirem à conuiuio cuiuſdam magnifici Caſtellani, correptus fui δυσουρία *Dyſuria.* cum difficili ſpiratione, ſumma pulſuum paruitate, languore, raritate, & fere comitante ἀσφυξία, vrſit dolor renis dextri, coxendicis, & pubis cruciatus. Adhibui enema, balnea, vomitum cientia, tandem ℥ß. ol. vitrioli cum ℥v. aq. maluæ epotæ, magnã arenæ rubræ, grumorum, ac farinarum copiam per vrinas deieci, & ſic, Dei beneficio, ac trium medicorũ præſentium opera ſum leuatus morbo grauiſſimo, qui me fere biduum male tractabat. Herba ſolis (quam chryſanthemon Peruuianum vocat Dodonæus) in vaſibus meis hortenſibus excreuit in altum, florem nondum vidi. Herba molucca florem oſtendit, & ſpem ſeminũ pollicetur, herba omnium amantiſſima (nam & hanc inter herbas cœleſtes colloco.) Vxor mea proximo menſe paritura filiolum elegantem ſpe in Deum coniecta, & euidentibus Medicæ artis ſignis mihi obiectis promittit. Devs æternusq; Medicus nobis præſto ſit. Tu vale, & interdum aliquid te oro ſcribe. Datæ Poſnaniæ, Anno 1575. 15. Auguſti.

EPIST. LXXIII.

Idem eidem.

MIrabor clariſſime ſimul & doctiſſime vir, quod his nundinis nullas ad me per mercatores veſtrates dederis literas, quibus de ſtatu rerum, ac ſtudiorum tuorum fierem certior. Præſertim cum id mihi ante annum ſanctiſſime fueris pollicitus, cum affirmares nil tibi gratius fore noſtra amicitia, quam mutuis literis ac colloquiis te alturum recipiſti. Ego vero etſi meo deeſſe nolui officio (ne viciſſim ſilentium meum putares inurbanum) tamen argumentum vix aliud reperi, præter illud, *Vtrum febris acuta accidens perpetuum pleuritidis.* quod quidam illam nobis quæſtionem obiecerit: vtrum febris acuta (iuxta Galenum, ac reliquos) ſit accidens inſeparabile pleuritidis. Si quis affirmauerit rem ita ſe habere, obiiciam illi Hippocratem, qui in hiſtoria Anaxionis febrem die 20. deſiiſſe aſſerit, cum tamen pleuritis durauerit ad 34. diem. Regula itaque Galeni fallit, quam ſi tu poſſis conciliare, meque his exoluere curis, multum hercle tibi debebo. Hanc ego quæſtionem ad te colloquij cauſa, vtque abs te erudirer profero: cum ἐκ τῆς ἀπορίας εὐπορία γίνεται, tum ne alimentum veteris amicitiæ deficiat, quo ſublato amor ille mutuus contabeſcit. Libros Medicos hic non vidi nouos, qui poſſent ad veterum inuenta aliquid addere. Ego veteres euoluo ſedulo, &

lo; & cum datur occaſio ad vſus noſtros renoco. Si quid literarum à Theod. Zuingerolegeris, proximo etiam mercatu quadrageſimæ per mercatores veſtros mihi perſcribes te oro & obteſtor. Expecto enim tuas cupidiſſime. Interea rectiſſime vt valeas cura. Datæ Poſnaniæ, Anno 1575. 15. Decembris.

EPIST. LXXIV.

CHRISTOPHORVS SCHILLINGVS, *Med. Doctor, Magnifico Dn. Andreæ Dudithio, &c. S. D.*

Iudicium de vrina.

KOlrbiterum de Vrinis Eraſtus non reprebendit; niſi quod dum nimium inuehitur in abuſum vrinæ, tollit fere omnem vſum eius. Nam vt non omnem morbum, ita neque nullum ſignificat. Fallit interdum, ſicut & pulſus. Vt plurimum tamen certa eſt; quemadmodum alia naturalia, quæ non ſunt perpetua & neceſſaria ſicut cœleſtia; ſed fiunt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Sunt enim hęc ἀντιδιῃρημένα hoc eſt, diſparata, nec aliter, quam, vt oſtendi, definiuntur. Non igitur contemnendum eſt iudicium, quod ex vrina ſumitur; Etſi primo, ac per ſe tantum ad morbos venoſi generis reſtringatur. Præterea iudicat Eraſtus, idque non dubiis argumentis confirmat, vrinæ ſubſidentiam, Græce hypoſtaſin dictam, eſſe excrementum nutritionis vaſorum. Galenus enim & alii omnes contendunt, eſſe eam partem chyli, quæ interea, dum is in ſanguinem in epate conuertitur, ſubterfugiat concoctionem. Bene vale. Heidelbergæ 12. Ianuar. Anno 78.

EPIST. LXXV.

IDEM EIDEM.

Ruſticus per nares videt.

DOM. Mercuriali legi, quæ ſcripſeras de rocbo illo, & de Ruſtico, quem naribus vidiſſe Carolus meus affirmauit. Aderant duo Monachi; cum idem atteſtarer, nemo ſibi à riſu temperare poterat. Ruſticum ipſum nō vidi, ſed audiui cum nobiliſſimus quidam à Cnipſhauſen Friſius, Palatini Electoris conſiliarius, qui actioni interfuerat, commemoraret. Cum laboraret ille ex vlcere oculi, Chirurgus ei ſic adbibuit remedia, vt ſuprema parte oſſa narium eroſa, oculus prolongato neruo optico, in cauitatem narium inciderit. Itaque naribus ſublatis, per oculum eundem, inuerſum, vt ſcribis, atque contortum vtcunque proſpexit. Sed tandem accuſauit Chirurgum illum de iniuria ſibi illata. Hodie ad quendam Electoris Palatini Conſiliarium, amicum meum ſcripſi, vt totam hiſtoriam ad me perſcriberet. Plura non poſſum nunc addere. Nam non tantum lectionibus; ſed variis etiam anatomiis hoc tempore incumbendum eſt. Nuper ſecabamus puerum ex variolis ac febre continua extinctum, qui in venis per ſubſtantiam epatis diſtributis, habebat vermes viuos, ſimiles lumbricis. Varie diſputatum eſt, an puero viuente, an mortuo nati ſint. Qua de re ſingulorum iudicia aliquando aperiam. Nudius tertius ſecabant quidam Doctores ouem prægnantem viuam. In ventriculo agni reperiebant coagulum, ſeu quiddam lacteum, & in inteſtinis rudimentum quoddam ſtercoris. Mirifice torquebant ſe in reddenda cauſa, cum fœtus per venam vmbilicalem, non per gulam nutriatur. Sed, quia ſæpe alias vidi, quaſdam ex venis meſeraicis in fundū ventriculi pertingere, per quas qui cibi liquidiores, ideoque prius ingeſti ac cocti ſunt, præſentia indigentiæ tempore, à membris attrahuntur, antequam reliqua pars chyli ſolidior confecta, atque os ventriculi inferius reſecatum ſit exiſtimabam ventriculum ſimulatque in corpore à natura formatus eſt, agere boc, quod agere natus eſt, & quia per os nihil accipiat, (quod etiam in adultis extra vterum contingit) à vicinis partibus, hoc eſt, à venis epatis, mutuari. Cum autem hæ abundent materno ſanguine, attrahere inde quale ac quantum pro natura poſſit, quod ratione ſubſtantiæ ſuæ paulatim in chylū, aut quiddam ſimile chylo conuertat, quod poſtmodum in inteſtinis diſtribuatur. Vale. Patauii Antenoris 12. Nouemb. Anno 1578.

Vermes viui in ſubſtantia epatis.

EPIST. LXXVI.

IDEM EIDEM.

Hiſtoria ruſtici qui per nares vidit.

DE ruſtico illo, qui in curia Chirurgi amiſſo oculorum vſu per nares viderit, nuper mihi Conſiliarius Palatini Electoris reſcripſit in hanc ſententiam, Ruſticum in quendam palum incidiſſe, & cum operam barbitonſoris imploraſſet, per imperitiam huius illi radios viſionis in interiorem capitis partem conuerſos eſſe, vt per caueam, quæ ad nares tendit, miſer ille videre cœperit. Chirurgum in ius vocatum, tandem ex lege Aquilia condemnatum eſſe. Et adiecit Conſiliarius ſe hæc ſcripſiſſe, cum ex aliorum, tum ex Eraſti ſententia, cui operarius ille viſus ſit.

Vale.

EPIST. LXXVII.

IDEM EIDEM.

Ore ventriculi affectio dorſo apponēda remedia.

TRIA cadauera Anatomicus noſter iam exhibuit, vnum viri ſenis, alterũ puerperę, tertium aniculæ. Monſtrauit os ventriculi ſuperius nõ ſitum eſſe proxime ſub enſiformi cartilagine, ſed ab ea vergere ad latus ſiniſtrũ, & quidem ſic vt dorſo vicinius ſit, quam pectoris ſummo. Quare in affectibus illius, non pectori, ſed dorſo potius remedia admouenda eſſe. Memini cum Heidelbergæ Pigofetta primum oſtenderet, &

Diſtributio venæ portæ & cauæ.

Eraſtus poſtea aſſumeret, non venam portę diſtribui per imam partem epatis, & cauam per gibbam, quemadmodum Galenus & alii omnes cenſent, ſic, vt extremis capillaribus venis in medio concurrant, ita vt portæ propagines in cauæ extremitates per ἀναςόμωσιν ſanguinem tranſmittant; ſed portam diſpergi per totam ſubſtantiam epatis, cauam vero poſteriori parti epatis inſtar canalis annecti tantum, ſic, vt nullam ſui partem in epar propaget. Portam vero in primo ingreſſu diuidi in 5. vel 6. ramos inſtar digitorum manus, quorum ſinguli in alios minores diuidantur, & hi item in alios, donec ad capillares ventum ſit. Sanguinem autem in his venis confectum, non per vllas venulas cauæ, cum epar minime ingrediatur; ſed per 5. vel 6. craſſas quidem, ſed tamen breues, fiſtulas, ex vnoquoq; principio dictorum ramorum enatas, & recta ad cauam venã porrectas, quæ tamen in tranſitu nonnullas capillares venulas à ſe emittant, in quibus ſanguis vel melius elaboretur, vel ſubſtantiæ epatis nutriẽdæ aduehatur, in cauam venam tranſumi. Sed hodie Anatomicus noſter in corona plus 300. hominum lõge aliter rem ...bere ad oculum demonſtrauit. Separauit ...nem carnem epatis, ſic, vt ſeorſum haberet, diſtributionem tum cauæ, tum portæ.

...que per ſubſtantiam epatis diſperſa.

Vtraque vena ſic apparebat diductis ac diſpoſitis proceſſibus omnibus, vt non vna imam, altera gibbam partem repleret; ſed vt vtraque per totam ſubſtantiam diſſeminaretur, ita vt rami vnius ramis alterius in trãſeundo varie commiſceri quidem, ſed non per ἀναςόμωσιν illam Galenicam coniungi videantur. Chylum igitur in venis portæ concoctioni, ſeu aliquouſque immutatum per oſcula extremarum ac minimarum venularum in ſubſtantiã, ſeu carnẽ epatis effundi, vbi perfectam ſanguinis formam adeptus, & ab oſculis capillarium venularum cauæ exceptus, in ipſam cauam, atque inde in totum corpus deriuetur. Vt vt autem habeat, quod ille de carne epatis affirmat; hic oculis vidi, cauam venam non in pauciores, ſed potius in plures ſacculos, quam portam diuiſam eſſe, ſic, vt non minus illa, quam hæc totum corpus epatis perrepter. Præterea recitatis ſententiis Ariſtotelis & Galeni de origine venarum, tandem determinauit, E-

Epar principium venarum.

par eſſe principium non tantum diſpenſationis; ſed etiam generationis venarum. Et venas illas maximas, cauam videlicet, ac portam, ex epate enaſci, non aliter, quam duas plantas ex terra. Vt autem quælibet planta habeat truncum ſeu radicationem, à qua prodeant deorſum quidem radices, per quas nutrimentum attrahitur, ſurſum vero ramos; ſic in ſingulis venis illis hæc tria quoque conſpici manifeſte. Venam enim cauam, vbi denſiſſima & vnica eſt, habere truncum, radices autem, vbi per epar in varias propagines ſcinditur, per quas ſanguinem ex carne epatis exuget, ramos denique reliquas diuiſiones, quæ per totum corpus excurrant. Portam ſimiliter habere ſuam radicationem, vbi craſſiſſima & vnica eſt, radices autem venas meſeraicas, per quas chylum attrahat, ramos vero eos, qui per ſubſtantiam epatis diſpeſcantur. Radices porro eas recte dici, per quas alimentum attrahatur. Vt autem truncus vel ſtipes plantæ, terræ infixus eſt, ita etiam truncos cauæ, ac portæ in ſubſtantiam epatis inſitos eſſe, atq; ob id euinci, vtramque venam non aliunde, quam ex ſubſtantia epatis exoriri, atque adeo à ſemine ipſo dimanare. Cum autem ob-

Et vena vmbilicalis ex epate.

iiceretur, venas omnes originem ducere ex vena vmbilicali, contendit, etiam hanc ex epate pullulare. Nam vbi vena maxima ſit & vnica, ibi truncum eſſe, eumq; epati impingi; vbi vero bifurcata in χόριον innumera ſobole diſpergitur, radices eſſe, quoniam per has nutrimentum fœtui ſuggeritur, ramos autem exiſtere, qui ex trunco in epar diſtribuantur. Venam enim hanc intra vte-

Vena vmbilicalis in fœtũ officio portæ fungitur.

rum eo munere fungi, quo porta extra fungitur. Sed de his ſatis. Siquid pręterea notatu dignũ videro, alio tempore tibi exponã. Vale. Datæ Patauii die 22. Ianuarii, an. 1579.

EPIST. LXXVIII.

MICHAELI BARTH, MEDICO Lipſenſi, &c. *Chriſtophorus Pithopæus, ſummi boni veritatis ac perfectionis cultor humilis,*
S. D.

MI Barthe ex fratre Adamo intellexi te quodammodo affectare amicitiam, & familiaritatem meam propter Medicas quaſdam præparationes, quas me nouiſſe non

non dubit. tribuendo forte tibi, vt conijcio, cum reliquis Galeni aſſeclis medicinæ intellectum: Theophraſti vero ſequacibus præparandi induſtriam. Ex qua prerogatiua illi domini, hi ſerui cōſtituuntur, qui fornacem calefacientes pyra illis aſſa comedenda proponant. Digna certe ſententia quæ ad poſteros propagetur. Sed ex paucis, vt multa colligas, ſic habeto: bonis ſemper meæ patent fores, nec quenquam eorum excludo, qui vel docendi vel diſcendi, vel etiam cōferendi cauſa me conueniunt. Arrogantes, ſuperbos, inflatos, cane peius & angue odi nō ſatis apertis, aut mundi huius illecebris irretitis inuideo. Te non noui, licet in pueritia aliquoties mihi ſis viſus. Sed ex quadam Elegia tua Cyrenbergii libro de peſte præfixa, ex mera ignorantia inueheris in virum perpetua memoria digniſſimum. Id quod boni & docti non eſt. Qua igitur ratione te excuſem non inuenio. Memor tamen meæ quoq; fragilitatis errata agnoſcentibus condono, & ignoſco libenter.

Galeni impietas.

Præterea Medicinam profiteor non eam quidem quæ ex cerebro Galeni, hominis & in Moyſen, & in Chriſtū, ideoq; in Deum ipſum blaſphemi, radices egit; ſed eam quæ fundata eſt in cognitione Dei, & naturæ, hanc ego arte ſpagyrica ex terrę pulueribus extrahere didici ſumptibus magnis, laboribus & tempore longo. Quæ autem diuina mihi cōceſſit miſericordia, cui ſoli id quod ſum, habeo ac poſſum, acceptum fero, ſciens non cuiuis communicanda naturæ myſteria, ſed piis ſolummodo, humilibus & manſuetis, ad hunc lapidem ceu lydium te examina, vt ſi es, qualē te cupio, me tu quoque viciſſim qualem expertus habebis. Ex montanis Diuæ Annæ 1569.

EPIST. LXXIX.

MICHAELI BARTH, PROFESSORI *in Academia Lipſica, &c. Chriſtoph. Pithopæus S. D.*

NON poterat te Barthi melius vel ipſe depingere Apelles, atque te viuis coloribus tuæ depinxere ad me datæ literæ. O miſerum te, ac vere miſerum, qui veterum Magorum duce & via neglecta per ſomnia mendacium Græcorum atque Arabum ad veram Philoſophiæ & Medicinæ metam, terminumque contendis. Inquiſitionem & amorem ſapientiæ omnibus mortalibus ex aſtris conceſſum ſcimus, ac præuium conſtitutum veris ſapientibus, æternamque poſſeſſionem, nec intelligentiis, nec geneſi, ne educatione etiam præclariſſimæ adſcribimus. Multi enim beneficio prædictarum cauſarum eo deuenerunt, vt viam conſpexerint, & finem intellexerint, verum ideo non ſtatim eum ſunt conſecuti, propterea quod ante Pentecoſten ſunt mortui. Duce opus eſt, filo nempe Dedali, ſi labyrinthom opinionum vitare & exire laboras, ſtella nimirū, qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt. Hęc tibi ſi illuxerit eos videbis miſeros ſenſus tuos, coramq; plane tuam rationem, & intelliges me non Theophraſti aſſeclam, ſed ab eodem à quo Paracelſus, edoctum, & ea habere principia, cauſas & elementa rerum, quæ vti ſenſibilia non ſunt, ita nec ſenſibilibus trahuntur in publicum literis. Neque enim margaritæ obiiciendæ porcis, nec ſanctum dandum canibus. Quid autem pręſtiterimus iis noſtris fundamentis noſtrū non eſt gloriari. Deus nouit, & ii quibus noſtram opem non denegamus, qui ſi nondum ad vos peruenerint noſtra laude nihil plane refert. Si enim gloriari licet, gloriamur in DOMINO gloria noſtra, amen. Si multi parum feliciter Theophraſtum Magum à tempore Apoſtolorum maximum & abſolutiſſimū imitantur, quid ad me? Tu videris qua mente illum laudes ſimul & vituperes. Bonum vult laudari, malum vituperari. Placeat ergo tibi vel diſpliceat, Galeni cerebrum in medicina contemno, indignum commiſeratione quod non pænituerit. Nec mihi tecum TEPINO in poſterum quicquam erit commune, alius ni fueris. Hinc iudicium de Alexandri, deq; rebus noſtris, quas non intelligis, ſuſpende, & bene vale. Ex montanis D. Annæ 12. Cal. Apr. an. 69.

Theophraſtus magnus abſolutiſſimus.

EPIST. LXXX.

CHRISTOPHORO PITHOPÆO, *Theophraſti ſequaci, Annabergæ degenti, &c. Michael Barth Medicus S. D.*

LITTERAS tuas 16. Februar. ad me ſcriptas accepi Chriſtophore, quas vt ad me mitteres oſtendis cauſas præbuiſſe tibi Adamum fratrem meum. Non eo inficias multam ſæpe mentionem tui hactenus eſſe inter nos factam, cum per alias occaſiones tibi non ignotas, tum quod non ita dudum hac iter faciens Alexander quidam à Sichten, de te apud me quæreret, & literas etiam ad te mittendas traderet, quas ſcio te accepiſſe, & quod tua etiam nuper epiſtola ad Neuium exarata ad manus meas mitteretur, quodque, vt ſcis, coemptione quorundam medicamentorum tibi gratificari non inuitus ſtuduerim. Per hæc factum eſt, vt de profeſſione tua quærerem & Theophraſti ſequacem te cognoſcerem,

Scripſi tum ad fratrem, quem tecum multum conuerſari, & abs te amari intellexeram, meipſum ſi daretur oportunitas non faſtidire tuam conſuetudinem: ſed potius optare, vt pernoſcendæ veritatis ſtudio perſpicere poſſem præparationes quorundam medicamentorum, in quibus vobis aliquid certe tribuitur merito, vt rectius ac certius de ipſis & vobis iudicium facere poſſem: Hoc tu ita arripis, quaſi vobis adimam vſurpandi ea, quæ præparatis, ſcientiam, & coquos vos Galeni ſequacium, quem tu ſuperbe contemnis cōſtituam, quod tantum abeſt, vt ego ſenſerim, vt ſciam vos à Gale. placitis atque inuentis, iudicione an quodam impetu, vos ſcitis, deſciuiſſe, & quæ agitis; Galeno nec ſeruire, nec cognita pleraque aut vſurpata fuiſſe. Atque vtinam hac laude præclara profecto contentus, & Theophraſtus coluiſſet, & velletis eſſe, qui ei eſtis addicti, quod ſuperiorum hominum inuentis aliquid addidiſſet; qua ſane modeſtia videmus Arabes fuiſſe, homines certe ſolide doctos, & magno rerum vſu, atque inuentione inſtructos, quas nec Galenus, nec Hippocrates vnquam ſomniarunt. Non tamen illi propterea hos veritatis atque artis Medicæ parentes, & tam præclara naturæ à Deo Opt. Max. excitata atque accenſa lumina impudenter & contumelioſe abiecerunt. Aberrant ſæpe quidam Medici: quis hoc neget? maxime ob eam artis partem, quæ σημειωτικὴ eſt Græcis, hæc enim eſt στοχαστικὴ, & ex ea potiſſimum artifex præſtat artifici. Sed vos quid extruatis aut doceatis de principiis & cauſis, & in ipſa Therapeutica, & partibus cæteri ab horum doctrina diuerſum pariter & melius, peruidere ego non poſſum, qui ſane & Theophraſti ſcripta & Theophraſteorum legi non pauca, neque medicamentum, ſed etiam Theologica. Miſſæ etiam ſunt ante aliquot annos ad me propoſitiones Alexandri, amici tui, quas ſparſit in Pruſſia numero 17. quibus ſit Medicus, quid medicina demonſtrare ſe profitetur; ſed de quibus mihi deſputare non placet. quid ex illis vtilitatis cœperim nondum animaduerto. ſane ſi quid eſt in Theophraſto, quod à principio nouam ſolide artem extruere debeat, & tollere ex hominibus ratione præditis demonſtrata doctiſſimorum Græcorum atque Arabum, apertius illud oſtendatur atque probetur neceſſe eſt. Quis enim rectæ rationis inuenta, & ſenſui manifeſta ita abiiciat, niſi cum ratione inſanire velit? Vidi quaſdam præparationes, antimonii præcipue, multas legi, in quibus ſtudium & diligentiam veſtram probo, & oportune vſurpata veſtra medicamenta, …dia omnia, vtilitatem ſæpe magnam afferre poſſunt, aliter acceptos ægrotos, quod ſæpe experti ſunt aliqui, præcipitare. Prædicatur ſtudium, opera & diligentia veſtra, ea nemo vobis inuidet. In Galeno ſi minus illa, quam in vllo alio eluxiſſe quis dicit, quam eum hoc dicat viderit, quem non ignoramus ardentiſſima cupiditate, vt videret σκελετὴς oſſium humanorum Alexandriam, vt terram ſigillatam pernoſceret, in Lemnum nauigaſſe, noctes atq; dies doctiſſimis commentationibus atq; ægrotorum curationibus conſumſiſſe, cui quod tu nihil in ſua profectione tribuendū exiſtimat, ideo quod in Moyſen & Chriſtum contumelioſus, &, vt tu ais, blaſphemus fuerit: videndum tibi eſt, ne hæc ipſa ſit in DEVM blaſphemia, à quo certe illum ſingulariter excitatum ad propaganda Medicinę ſtudia, & ad alia genera ex gentilitate alios perſuaſum habemus. Quod vero gratia Chriſti in illum non fuit effuſa, commiſeratione fortaſſe dignus, quam exagitatione fuerit. Neque tamen illa mihi non ignota, quæ in Galeno de Moyſis atque Chriſti mentione inſunt probo, aut excuſo. Abſit hoc ab homine Chriſtiano. Illud tamen ad Chriſtiana aſpiraſſe affirmari fortaſſis vere poſſit. Nam & audiuiſſe illum de Chriſti ſequacium curationibus per verbum, & admirabundum, vt illas perpenderet atque cognoſceret, Iudæam verſus nauigationem inſtituiſſe accepimus, in qua ita DEO diſponente interierit. Scribis te ſummi boni veritatis ac perfectionis cultorem, ſcribis foras tuas patere bonis docendi, diſcendi, conferendi cupidis, arrogantes, ſuperbos, inflatos, non ſatis apertos, aut mundi huius illecebris irretitos tendiſſe. hæc omnia mihi tecum ſunt communia; ſed eatenus vt ſine iniuria aliorum veritatem colamus & perquiramus. Ob cuius ſtudium plurimorum nebulonum & grandium factionum aduerſitates ſæpe multumque experior. Non noui ego tuam perſonam, ac ne vidiſſe quidem vnquam me puto aut ſcio, & vbi tu me videris ignoro. Carminis Cyrembergii libro præſcripti, nihil adhuc me pœnitet. Non enim quis populo ſit, aut adhuc fuerit vſus maior libri Theophraſti de peſte editi, an eſt qui ipſum per omnia loquentem intelligat vllus? Ego valde dubito; & hos ipſos, qui eius ediderunt libros iam aperto Marte congredi videmus; diuinare, coniicere, intelligere, proficere neſcio quid. Ego ſane de ipſo Theophraſto, præclare ſentio, ſingularia quædam de eo legi atque etiam audiui. Admiranda præſtitit, ſed qui eum perfecte intel-

Arabum doctrina ſolida.

Chymicorū vtilitas & cautela.

Galenus mortuus in nauigatione verſus Iudæam.

Theophraſti encomium.

ſte intellig & qui ea, quæ ipſe fecit, faciat, nondum au ... Vtinam hoc peſtis tempore in patria multum profueris per Theophraſteam medendi rationem. Apud nos & hinc inde ſedula & diligenti Medicorum attentione & præſcriptione multos pręſeruatos, non paucos ſanitati reſtitutos, Deo fauente, ſcimus. Hæc omnia quorſum, vt animum meum aperte tibi oſtendam viciſſim perſpecto tuo non vt inimicitias, ſed vt amicitiam ineamus, moneamus nos inuicem, & oblata oportunitate coram congrediamur, & de rebus mutuo conferamus, quod rectum, quod verum eſt, quæramus ſine incitatione odii aut fauoris erga quenquam. Ego enim vel à puero diſcere, quod ignoro, quodque neceſſitatem habet, & vtilitatem cum honeſtate coniunctam non erubeſco. Tu ſi animum habes ſimilem, amicitiæ intra nos fundamenta iacta ſunt. Neque enim decet Chriſtianos propter neſcio quas diſputatiunculas, aut in medicina Monarchiam alienos inter ſe gerere animos, ſed placide conferre rationes, & omnia conferre ad ſalutem proximi, ni fallor, pium eſt atq; rectum. De me ſane omnia tibi debes promittere beneuolentiæ ſtudia & officia. Vale. Lipſiæ Idibus Martii, Anno 69.

EPIST. LXXXI.

CHRISTOPHORO PITHOPÆO SPARgyrico, &c. *Michael Barth Med. S. D.*

NOn poterat, Chriſtophore, nec potuit, nec debet, vllus pictor melius me depingere, quam meæ me præſentant literæ. Neque enim animi eſt ingenui aliud dicere, vel ſcribere, & aliud ſentire. Nulli igitur in meis litteris colores inſunt, ipſa effigies ſunt animi mei ipſiſſimus ἐικών. Quod vero Idcirco miſerum tu me eſſe exclamas, atqi ingeminas, doleo ego te eſſe multo miſerrimum, qui Magorum pentecoſtes, & ſimiliũ vocularum nemini vel leuiter literato ignotarum noua metamorphoſi cum obſeſſum animum circumferas, perſtringi etiam aliorum ſenſus atque iudica illatum obiectione illico oportere, atq; in ſtuporem ſaxeum adduci, quaſi viſo Meduſæ capite temere perſuaſum habes. Si alicui ſunt mendaces Gręci & Arabes, relinquantur, vel repudientur potius ipſorum mendacia. Imo & mendaces Germanos, vbi tales ſunt, auerſemur. Quid enim aliter faciatis, qui eſt veritatis ſtudioſus, quin apud omnes quærat, nõ quis loquatur, ſed quid dicatur? Docuit Paulus Apoſtolus non eſſe ferendum in Eccleſia, vt aliquis ſe addicat vel ipſi, vel vlli alteri.

Quod cum ita ſit, in medicina, in philoſophia quis ferat vt in alicuius iuretur verba magiſtri? Non valde abſimile eſt huic, quod de intelligentiis, geneſi, & educatione ſubiicis, de quib. quid ſentiendum ſit, tanto rectius prouidet quiſq;, quanto præditus eſt maiore, & Philoſophiæ veræ ſcientia, & rerum vſu atq; experientia. Quid de ſtella aſpergis, qua duce Magi orientis Chriſtũ natum in Bethlehẽ inuenerunt? nihil amplius efficit, quam quod Magiſter tuus in libro de vita longa de illis trib. Sabęis (quorum tamẽ numerum miror vbi in ſacris legerit) ſcripſit, quod magica non naturali vi equorum ad Bethlehemitas venerint. Et tamen Scholiaſtes illam ipſam ſtellam cometam facit & nominat. Scio & pie credo, mi Chriſtophore & diuinitus illos fuiſſe adductos, & in omnibus actionib. noſtris diuino nobis filo opus eſſe. Sed hoc ab vtriſque commemorato in ſpecie quid extruimus? ſpero vel ſcio potius, lucem Dei, quem quotidie inuoco mihi vndiq; prælucere, ſed ratione, quæ hauddubie eſt diuinæ lucis radius, & nobiliſſimũ Dei donum, & ſenſibus adminiculis ſtudiorum, quos ipſe condidit, ideo me priuabo? Abſit. Theophraſti aſſeclã miratus ſum cur nunc te eſſe quodammodo ſubpuduerit, cum antea ſis profeſſus. De margaritis non obiiciendis porcis, videre diuinis abuti prouerbiis, quib. multi multa palliãt. Quod porro videre me iubes qua mente Theophraſtum laudem ſimul & vituperem, facile me poſſem expedire, quanquam neq; effuſe laudaſſe, vel vituperaſſe me ſcio. Sed tu laudationem vocas haud dubie ea, quæ nuper ad te perſcripſi. Vituperationem intelligis, quod nugas Paracelſi nominauerim in verſibus, quos mihi obiicis. Heus tu ... putas fieri poſſe, vt bona & mala laudanda & vituperanda ſint in vno & eodem? Profecto nimis multa ſunt exempla. Homerus in odyſſea inducit Muſicum in conuiuio Alcinoi, ſi recte recordor, regis Phęnicum, cui Iupiter, vt ipſe ait, dederat bonum & malum, in quo ſeipſum hauddubie poëta adumbrauit, nam largitus ei erat, vt eſſet optimus cantor, & addiderat cæcitatem. Simili profecto modo & bona & mala, & laudatio, & vituperabilia multis modis in hac humanæ naturæ mediocritate, vel fragilitate potius auſim pene dicere, ineſſe omnibus hominibus, vel pleriſque ſaltem. Sed ad Theophraſtum quod attinet, non debeo neque volo vituperare, quod quædam præclare inuenerit, atque operatus ſit, quod ſine ratione & vario atque irrito conatu recte inuenta atque demonſtrata quampluri-ma ſubuertere friuolis verbis præſumpſe-

Stella Magorum.

rit probãte non poſſum, neque modeſtiote, quam nugarum vocabulo poſſum appellare non ſolum ea, ſed & ſpontaneam obfuſcationem, quam profitetur, atq; vſurpat in iis, ſi quæ recte eruit. Neuriquam enim hoc decet eum, qui gloriari vult, quod fecit, humano generi conſulere velle, neque hic vos tuentur ſuperius notata prouerbia. Quæ vero ſint talium involutionum conſilia non libet tibi obiicere, etſi facile eſt illa colligere. Ita video me non aliter facere, quam vt laudem bonum & vituperem malum. Galeni cerebrum quoniam cõtemnere te profiteris, ſed ſoli addictum non eſſe Theophraſto quem tu totum pene adoras, ego ſecundum mediaſtinum diſtinguens, & iuxta ea, quæ iam ſcripſi, vna parte tamquam ſanum amplector, altera ſanum eſſe affirmare non poſſum. Quod me tepidum vocas, atque ea voce, vt exaratio maiuſcula indicat, pungere voluiſti, non ſum ita feruidus, vt me hoc inflammet, neque ita frigidus, vt vrat. Scio quoſdam qui nullas in rebus diſtinctiones adhibent, & omnia confundere, gloriosum enim autumant in contentionibus iſtud, neutralium nomen & ſimilia tamquam probroſum obiicere aliis. Sed hoc quid ad me? Plerumque tamen tepidi illi & temperati quietiori animo, & iudicio omnia rectius diſpicere deprehenduntur, quam vel frigidi, qui omnem ſenſum amiſerunt, vel nimis calidi, qui feruore nimio omnia deprauant atque corrumpunt. Si tibi non placet mecum communicare, facile te, quoniam ita libet dimitto. Sed ego ita non incitor, vt ferre non poſſim, vt per omnia ſalues tuum Paracelſum, & tuum propoſitum. Laudabo te cum video. Ale[illegible]drum abſentem nolo mordere, ſed idem quod nuper ſcripſi affirmo, me ex illius poſitionibus nihil proficere, quas tamen nemo iudicabit, vt opinor, ita abſtruſa continere, vt intelligi non poſſint, conuicia ſane deceret non eſſe ita manifeſta. Igitur quod tibi videtur facito, vt vel reſcribas, vel non reſcribas. Ego de glorioſa & ſempiterna Hippocratis & Galeni & eorum, qui hos ſecuti ſunt in medicina, monarchia nihil ſum ſolicitus, non vereor ne quis illis hunc principatum eripiat, nec dubito quin temporis progreſſu ſano adhibito iudicio ea quæ Paracelſus, atque eius aſſeclæ vtiliter & recte inuenerunt, atque prodiderunt, ad horum rationes accommodata, ſint acceſſoria futura in id potius, vt Arabum & Chemicum, atque, vt ita dicam, Quinteſſentianorum alia. Inanis autem & friuola affectatio atque arrogantia euaneſcet in auras, ſicut Aſclepideorum, Eraſiſtratiorum, Diatricariorum, & Theſ[illegible]licorum, temeraria, & plane ſimilis ia[illegible]antia, quæ aliquandiu quoſdam faſcinatos tenuit, dudum prorſus euanuit. Bene vale. Lipſiæ Cal. Aprilis, Anno 1569.

EPIST. LXXXII.

ANDREÆ AVRIFABRO MEDICO, *&c. Georgius Vberus S.D.*

De ollis & vaſculis quæ effodiuntur.

De ollis Trebinzianis paucis, quæ ipſe ego vidi, quibus deniqne interfui, accipe. Eſt locus extra Trebinzium apprime arenoſus, inſtar monticuli prope villam Maſſel, noſtri vocant den Toppelberg / cuius hæres eſt Dominus Maslovvski, ab eadem villa nominatus, vt Polonorum nobiles pleriq; conſueuere: huc ſub feriis Pentecoſtes, ſi quando ciues tædium & ſatietas vrbis ceperit, animi recreandi gratia ſeſe conferunt, agricolis nummos aliqnot numerant, qui ligone & palo accincti ſcrobem in modum circuli effodiunt, ex qua tandem ollulam prope madidam, mollem & tenerrimam cum arenoſa terra, & variis inſtrumentis educunt, quæ ſi paululum in aerem ſublata & detenta fuerit indureſcit, & ex molli ſubdurior redditur. Vidi ego nonnunquam carbones, ligna, oſſa, inſtrumenta ænea, & ferrea, ærugine ſubducta, quæ ego hinc inde aurifabris & ferariis exhibui, vt ſi qui talium inſtrumentorum, vel potius fragmentorum vſum nouiſſent, referrent, atqui nemo illorum repertus, qui ſaltem diuinare recte de eiuſmodi fragmẽtis potuiſſet, adeo antiquitate & ferrugine contrita. Puto ego iſthic quandam ſepulturam gentilium fuiſſe, qui cum vrnis carerent, ollas interim cum cinere, igne, fauilla, & reliquis inſtrumentis ex rogo relictis in ſignum pietatis collegerut, condentes tumulo mediaque inhumarunt arena. Vnde longinquitate temporis factum, quod madente terra aſſiduo humore ollæ liqueſcant, & in naturam priorem, ex qua factæ, reuertuntur, & ſi parum caute exemptæ fuerint, lutum & argillam prô olla retinebis. Si cautius & diligentius rem agas in eximendis vrnis aeris ſiccitate indureſcunt, & naturam priſtinam qua à figulo formatæ, retinent. Si quippiam inde E. T. melius & rectins elicere poterit, non repugnabo, imo ſi gratum fore intellexero, operam dabo ſedulo, vt ab incolis circa Trebinzium, ſi non hac hyeme, certe vernali tempore tale quippiam collectũ & conſeruatum ex ſepultura gentilium, vel, vt noſtri vocant, *Toppelbergæ* ad T. H. mittam. His optime valere T. H.

eum

cum coniuge & tota familia cupio. Datæ Vratiſlauiæ, vltimo Ianuarii, Anno 1544.

EPIST. LXXXIII.

HIERONYMVS CAPOVACCIVS *Thomæ Eraſto, S. D.*

EGo ſane, vir excellentiſſ. tuas doctiſſimas maxima cum voluptate legi litteras, quibus nunquam mihi viſum fuit reſpondere, cum illæ rationes à te contra ſententiam meam adductæ parum concluderent. Nunc autem quia longa oratione, miro artificio & omni diligentia meam confutare ſententiam labores de contagio, & de putredine ſpiritus, & de aliis, quæ tibi lubenti animo per litteras ſignificaui, breuiter meam mentem aperiam, vt hac aperta cognoſcas, quantum Medici hac noſtra tempeſtate in diuinis abditisque artis Medicæ myſteriis debeant inſudare.

Quantum igitur attinet ad morbos contagioſos hanc pono concluſionem negatiuam: Nullus morbus formaliter eſt contagioſus. Fundamentum huius concluſionis colligitur ex Auicen. 1. Fen. l. 1. cap. de ſubiecto Medicinæ; & ex Galeno lib. de diff. morb. Qui autores vnanimes affirmant, cauſam formalem morbi eſſe malam conſtitutionem organi animati: hancque diſtribuunt in intemperiem, in malam compoſitionem, & in ſolutam vnitatem. Morbus ergo omnis formaliter non erit niſi mala conſtitutio organi animati; ac proinde vel intemperies, vel mala compoſitio, vel ſoluta vnitas. Contagium autem neque eſt intemperies, neque mala compoſitio, neque ſoluta vnitas; ſed vapor quidam fortiter commixtus à tota ſubſtantia diſſimilis humano corpori. Quamuis autem non ſit horum aliquid formaliter, aptum tamen eſt, habetque facultatem introducendi intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. Sed quomodo ſoleat hanc introducere, non volo nunc explicare, cum nullus morbus ſit formaliter contagioſus. Pono etiam hanc aliam concluſionē: Multi morbi ſunt contagioſi cauſaliter & concomitanter, id eſt, illi, qui fiunt à cōtagio, quouſque comitatur contagium: verbi gratia, ſi quis propter cōuerſationem factam cum phthiſico incidat in vlcus pulmonis, dicimus vlcus hoc contractum, eſſe vlcus contagioſum, non formaliter quidem, in quantum vlcus, propterea quod omnia vlcera eſſent contagioſa, ſed cauſaliter & concomitanter, quia hoc vlcus fuit à contagio productum, quod vlcus comitatur contagium, veritatem hanc magis exemplo naturali declaro. Dixit Ariſtot. 2. Phyſ. priuationem eſſe formam. At quis tam ineruditus, vt intelligeret hoc dictum formaliter? Nam priuatio formaliter ſumpta eſt negatio, & non forma, ſed dicitur forma concomitanter, quia ſemper priuationem vnius rei comitatur forma, vt priuationem formæ hominis in ſemine humano comitatur forma ſeminis: vnde priuatio formæ humano in ſemine nō eſt niſi forma ſeminis concomitanter. Sic Medici dicunt, multos eſſe morbos contagioſos non formaliter, ſed cauſaliter & concomitanter. Ex iis ego infero, quod in morbis contagioſis læditur functio dupliciter; Vno modo, læſa facultate. Alio, ob errorem externum. Nam morbo exiſtente læditur facultas, ſed præſente contagio à tota ſubſtantia diſſimili impeditur actio, nō læſa facultate. Tu obiiciebas facultatem nō lædi: quia cum ex Galeno, 1. de ſimpl. Med. facul. & in libro de plenit. ſit effectus, cauſa functionum non realiter differt ab anima: vnde ſicut anima nec intenditur, nec remittitur, ita nec facultas. Ego huic friuolæ obiectioni ſic reſpondeo. Anima cum ſit ſubſtantia vna, & ſimplex ex ſe indiuiſibilis, non habet plures facultates, ſed vnam tantum, quæ indifferens eſt ad omnes obeundas operationes. Hæc communis autem facultas ad hoc, vt fiant determinatæ operationes debet limitari, contrahi, & reſtringi certo quodam modo. Reſtringitur autem, limitatur & contrahitur in partibus ſimilaribus à proportione formarum elementorum, & à complexione ipſa verbi gratia, ſanguificatio eſt functio determinata, quæ fit à facultate communi animæ, ſed contracta in iecore à proportione formarum elementorum conſtituentium iecur, & ab eiuſdem complexione. Vnde facultas ſanguificatrix eſt facultas animæ certo modo contracta in iecore à determinata complexione iecoris, & ſtatuta proportione formarum elementorum, quam ſolus DEVS cognoſcit. In morbis igitur, quando Galenus & alii authores aiunt lædi facultatem, non intelligunt facultatem illam communem animæ, quæ eſt indifferens ad omnes operationes, ſed determinatam à conditionibus partium, quatenus læſio fit in his conditionibus, quæ lædi poſſunt: vt læditur facultas ſanguificatrix, quando mutatur complexio iecoris, & tunc fit, facultatem communem animæ non bene reſtringi, & limitari ad ſanguificationem. Simili rem doceo. In materia prima eſt potentia vna ſimplex, & communis, quæ eſt indifferens ad ſuſcipien-

De contagio concluſio 1. Nullus morbus formaliter contagioſus.

2. Morbi contagioſi cauſaliter.

Operatio vna & communis animæ.

Specifica facultas vnde.

Facultas in morbis vt læditur,

Simile à materia prima.

te putredine diſſoluta eſt mixtio illius rei, vel incipit fieri, ſed dicitur res putrida, quia oritur via putredinis, & quia habet vim putrefaciendi. Eſt enim contagium vapor fortiter commixtus, cum contagium ſit vapor, habet vim calefaciendi, quia ex Ariſtotele in Meteor. vapor eſt halitus ſeu exhalatio calida & humida, & ipſius eſt calefacere. Quod concedo. At nego, quod agens in corpus ſemper de facto introducat morbum calidum: idque ſic probo: ſit aliquod corpus debile, & langoens, occori atque inſpiratione attractus vapor peſtilens maxime venenoſus. Dico quod vapor hic venenoſus citius interficiet hominem illum, ratione venenoſitatis, quam introductus ſit morb. calidus in ſolido corpore cordis. Ecce quod in contagio non eſt neceſſarium, vt lædatur facultas ob intemperiem calidam: ſed conceſſo, quod contagium introducat ſemper morbum calidum, dico etiam quod ſemper lædatur actio dupliciter: vno modo, labefactata facultate ob intemperiem calidam introductam. Alio modo, ob externum erratum, ob præſentiam cõtagii, quod ratione venenoſitatis, & à tota forma impedit, quo minus pars recte operetur, ſicuti adamas qui iuxta poſitum magnetis ratione formalis antipathiæ impedit, quominus ferrum ad ſe alliciat. Quæris de morbis à tota forma, nunquid dentur: & ſi dantur, nunquid methodo poſſint curari? Ego conſtanter affirmo, hos non dari, quod probo ſic: Si datur morbus à tota forma, vel in hoc corrumpitur forma, vel intenditur, vel remittitur: ſi dicatur corrumpi, vel corrumpitur ſecundum partem vel ſecundum totum. Primum eſt abſurdum: quia ex ſe forma eſt indiuiſibilis, & tota ſimul momento temporis corrumpitur. Si ſecundum dicatur; Ergo omnes morbi à tota forma eſſent incurabiles, quia alias daretur regreſſus à priuatione ſubſtantiali ad habitum contra philoſophos: omnes enim hos eſſe incurabiles negant, qui eoſdẽ ſuſtinent. Nec poſſumus dicere formã intendi vel remitti, quia cum conſiſtit in indiuiſibili, nec intenditur nec remittitur, ſeu diminuitur Ecce ex rei natura oſtendi hos nõ dari. Aſſumo tamen dari, cauſam præter naturam agentem à tota forma propter diſſimilitudinem formalem: ſicut pleraque venena mortifera, quæ cum nobis à tota forma ſint diſſimilia, dum ingrediuntur corpus, agunt in cor, & impediunt, quominus cor generet ſpiritum vitalem, & quatenus impediunt ob formam diſſimilem, dicuntur agere à tota forma. Remotio talis cauſæ agentis à tota forma fit, inuentis auxiliis, & recta ratione adminiſtratis. Non inueniuntur auxilia methodo, & indicationibus, quia latet forma illa, ratione cuius oritur illa diſſimilitudo. Nam Galenus libro de opt. ſect. ad Thraſibul. & 2. de ratione meden. inquit, Indicationem deſumi ex rei indicantis natura, & eſſentia, intellectui perſpecta. Quare pro inueniendis auxiliis cogimur confugere, vel ad experientiam, vel ad analogiſmum. Poſtquam inuenta ſunt auxilia, vel hac, vel illa via, concedo quod recta ratione, & ex methodo poſſint adminiſtrari. Sic in contagio Gallico inuenitur illud antipharmacum, quod appellatur lignum Indicum experientia. Guaiaco per experientiam inuento, poſtea fit methodo recta adminiſtratio, quæ conſiſtit in quanto, quando, quomodo, vbi, &c. Hæc ſunt, quæ mihi viſa fuere digna reſponſione & quæ, vt tibi morem gererem, volui in medium afferre. Interim rogo te, ne prius reſpondeas, quam ſedulo à te lectum ſit caput illud Galeni, & rei natura conſiderata. Vale. Patauii. Anno 1576.

Actio læditur dupliciter.

Morbi totius ſubſtantiæ.

Cauſa præter naturam agens à tota forma.

EPIST. LXXXIV.

MAGNIFICO ET EXCELLENTISſimo *Medico & Philoſopho D. Petro Monauio, Domino obſeruandiſſ.*

EXCELLENTISSIME vir: litteras tuas libenter legi, tum quia his amorem erga me tuum facile perſpexi, tum etiam, quia nonnullas dubitationes propoſuiſti, doctas ſane, quæ te ſtudioſiſſimum eſſe oſtendunt. ſed cum ſolutiones harum cupias à me audire, opinionem meam breuiſſima oratione tibi ſcribere non grauabor, cuius breuitatis in cauſa ſunt, publicæ lectiones, & ægrotantium hominum frequentes viſitationes quibus tota fere die impedior. Dubitas primo de cauſa cõtentiua à me propoſita, quid ſit, & quid hac ſecluſa morb. ſit. Miraris valde, quod dixerim intemperiem, malam cõpoſitionem, & ſolutam vnitatem eſſe cauſas morbi contentiuas, cum omnis morbus ſit vel intemperies, vel mala compoſitio, vel ſoluta vnitas. Dicis poſtremo, cauſam contentiuam realiter non differre ab antecedente, & idem eſſe cum coniuncta. Morbus vir præſtantiſſime, eſt facultas læſa, vel, vt alia voce vtar, impotentia quædam hominis ad operandum. Hęc impotentia ad operandum cum ſit quidam effectus, habet cauſam, a qua dependet in eſſe, & in conſeruari. Hæc cauſa aliud non eſt, quam conſtitutio vitioſa organi animati, quod ſane

Cauſa contentiua.

Morbus quid.

organum eſt pars vel ſimilaris vel diſſimilaris. Hæc autem vitioſa conſtitutio eſt, vel intemperies propria organi ſimilaris, vel mala compoſitio propria organi diſſimilaris, vel ſoluta vnitas vtrique communis. Vnde ſequitur, quod hoc ordine homo egrediatur extra latitudinem ſanitatis. Cauſa primo occurrit præter naturam, quæ operatur in organum animatum: Hæc vitiat conſtitutionem, hac vitiata, ilico ſequitur læſio facultatis, & impotentia ad operandum. Quare vitioſa conſtitutio ſiue ſit intemperies, ſiue mala compoſitio, ſiue ſoluta vnitas, erit cauſa contentiua læſionis facultatis: Morbus ergo poteſt ſumi bifariam. Vel ſine cauſa contentiua, & hac ratione aliud non eſt quam impotentia ad operandum, & hoc modo ſumptus, poteſt vocari morbus logicus: Nam ope ſolius intellectus abſtrahitur læſio facultatis à vitioſa conſtitutione, cum realiter non poteſt eſſe ſine vitioſa conſtitutione organi animati. Quandu Galen. ait, omnem morbum eſſe vel intemperiem, vel malam compoſitionem, vel ſolutam vnitatem, ſumit malum vna cum cauſa contentiua, quæ eſt vitioſa conſtitutio, & vt ſumitur à morbo iuuantis indicatio: In hoc ſenſu dicebat in libro de opt. ſecta. non ſumi indicationem à morbo. In hoc ſenſu rurſus dicebat in libris methodi, ſumi indicationem à morbo. Quod hoc ſit verum duo loca oſtendunt. Vnus eſt Galeni, alter Auicennæ. Galenus In 2. libro de natura humana ait, plenitudinem non eſſe cauſam contentiuam morbi: & ita argumentatur Galenus: Morbus immediate lædit operationes. Plenitudo non lædit operationes immediate. Ergo plenitudo non eſt cauſa contentiua: Ecce quod confundit cauſam contentiuam cum morbo. Auicen. etiam in 2. Fen primi libri tractatu primo ait: Eſſe tria genera ægritudinum. Vnum dicit, ſequi intemperiem. Aliud malam complexionem. & tertium ſolutam vnitatem. Dicit etiam in prima Fen primi libri, cauſas formales morbi eſſe intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. Hinc colligo, cauſam contentiuam eſſe cauſam formalem, eſſe de eſſentia morbi, & ideo ab hac ſumi indicationes curandi. Quod contentiua cauſa non differat realiter ab antecedente, & quod ſit coniuncta, falſum eſt, quia cauſa antecedens & coniuncta ſunt efficientes, & ab his non ſumuntur, niſi indicationes præſeruatoriæ, quæ interdum communi modo loquendi dicuntur curatiuæ, quando ſcilicet corpus actu ægrotat: Cauſa contentiua eſt formalis, & ab hac ſumitur ſemper indicatio curatiua, & quia de nominib. parua eſt habenda ſollicitudo, ſynonymas puto has voces, contentiuam, & continentem. Nec vnquam legi partes continentes vocari ob id cauſas continentes morbi, ſed materiales potius & ſubiectiuas: & hæc ſatis dicta ſint de cauſa contentiua, &c.

Morbum bifariam ſumi poſſe.

Conciliatio contra dictionis Galeni

Contentiua differt à coniuncta.

Cauſa contentiua formalis.

Cauſa contentiua & continens ſynonyma.

Dubitas ſecundo, cur à me fuerint omiſſæ in curatione doloris capitis indicationes curatiuæ alias propoſitæ. Nam dolor eſt ſymptoma, ſymptoma morbum neceſſario ſequitur, & a morbo ſumuntur indicationes curatiuæ. quare in curatione doloris capitis erunt hauriendæ indicationes curatiuæ. 2.

Indicatio curatoria doloris.

Dolor poteſt ſumi bifariam. Vno modo formaliter, vt dolor eſt, alio modo cauſaliter. Indicationes, quæ ſumuntur à dolore, vt dolor eſt, duæ ſunt, ſenſus tactus obtuſio, & eiuſdem remotio: & ambæ ſunt præſeruatoriæ, quia non concurrit dolor ad indicandum, niſi vt habet rationem cauſæ vrgentis vnde ſequitur ex hoc, quod in curatione doloris, vt dolor eſt, non habeant locum niſi indicationes præſeruatoriæ Si conſideretur dolor cauſaliter, cauſa doloris, vel eſt morbus vel eſt cauſa ſolum, & non morbus. A morbo ſumitur indicatio curatiua, à cauſa præſeruatoria. Sed iſtæ indicationes, 4 quæ præſente dolore ſumuntur vel à morbo vel cauſa, non ſint indicationes à dolore, vt dolor eſt, vt ſcilicet eſt ſenſus obiecti cõtriſtantis. Quare nullam adhuc video eſſe in meis dictis diſcordiam. Moneo te tamen, ne credas hanc propoſitionem, quæ dicit, ſymptoma neceſſario morbum ſequi, eſſe vniuerſalem affirmatiuam, vt pleriqne arbitrantur. Nam eſt propoſitio affirmatiua indefinita, quę particulari æquipollet. Nam falſum eſt, & ridiculum, quod omne ſymptoma neceſſario morbum conſequatur, quamuis aliquod ſymptoma neceſſario morbum conſequatur, & hoc ſymptoma eſt actio læſa facultate. Nam actiones omnes lęſæ hæſione facultatis morbum conſequuntur, vt vmbra corpus. Et ego exiſtimo, dolorem eſſe actionem læſam, non læſa facultate tactoria, ſed ob externum errorem, &, quamuis morbus aliquando ſit cauſa doloris, non ob id tamen ille morbus eſt morbus reſpectu doloris, ſed reſpectu aliarum operationum. Quæris, cur dixerim putrefactionem materiæ eſſe vitium ratione formæ, & venenationem eſſe vitium merito organi formæ principalis: 5. Vir præſtantiſſime: Mixta ſimilaria habent in ſe formam, proprietatem, & complexionem: Forma eſt agens principale.

Dolor.

Symptoma non ſemper neceſſario morbum ſequitur.

Putrefactio venenatio.

Proprietas

2. Proprietas & complexio ſunt inſtrumenta.
3. Proprietas relata complexioni magis principaliter concurrit, & hoc colligi poteſt ex 1.cap. 3. de ſympt.cauſis. Putredo, autore Ariſtotele, eſt corruptio. Corruptio autem eſt mutatio ab eſſe ſimpliciter ad non eſſe ſimpliciter. Eſſe ſimpliciter habet materia à forma. Non eſſe ſimpliciter contingit ex abſentia & interitu formæ, quæ forma corrumpitur à putredine per diſſolutionem mixtionis. Venenatio conſiſtit in occulta quadam proprietate aduerſante cordi: Recte igitur putrefactio erit vitium merito formæ, & venenatio merito organi formæ principalis. Quantum attinet ad indicationem illam, an ſit agendum, a quo ſcilicet deſumatur. Hæc alia non eſt indicatio, quam agendorum indicatio, inuentionis iuuantium, & quid agendum. Nam quærere an ſanguis euacuandus ſit necne, eſt quærere, quid agendum. Et hæc indicatio ſumitur ab eſſentia indicantis.

Prohibentia vt cognoſcenda. Quantum attinet ad viam cognoſcendi prohibentia. Ego ſane puto nos arte aliqua venire poſſe in cognitionem prohibentium. Hæc autem eſt methodus reſolutiua, & demonſtratio ſigni, quæ non ſpectant ad artem curandi, ſed ad partem medicinæ ſimioticen. Sit vena ſecanda, virtus vitalis prohibeat, pulſu cognoſcitur virtutis vitalis infirmitas. Hæc ſunt quæ pro anguſtia potui breuiter ſcribere, vt tibi viro doctiſſimo, & mei amãtiſſimo ſatisfacerem. Interim fac, vt me diligas, & ſi quid aliud animum tuum perplexum reddit, protinus me certiorem facias, cum nihil mihi gratius poſſit in hac vita contingere, quam ſtudioſiſſimis viris & mei amantiſſimis morem gerere. Vale. Datum Patauii. Prid. Non. Nouemb. Anno. 1579.

Hieronymus Capouaccius

EPIST. LXXXV.

IDEM EIDEM

VIR Magnifice & chariſſime. Tardius ad te reſcripſi, quam ſtatueram occupationibus impeditus. Nunc vero vt tuæ morem geram voluntati, illud inprimis ſcias velim, nihil mihi moleſtius futurum, quam vt methodus curatiua nobis in ſcientib. imprimatur, præſertim cum nondum extrema manus impoſita fuerit, & ſi quis adeo eſſet audax, vt imprimenda curaret, nequaquam permitteremus, vt publice venderetur. Curabimus tamen, ſi DEVS dabit, vt breui publice vel legendo vel ſcribendo in communem vtilitatem prodeat atque cum ea fortaſſe doctrina de venenis erit coniuncta, in quibus vtriſq; multa deſiderari poſſunt. Sed accedamus ad dubitationes, quibus vt ordine reſpondeamus, illud inprimis ſtatuendum eſt veriſſimum, eſſe in omnibus morbis cauſam contentiuam, & habere locum, ſi tamen morb. capiatur pro vitio proprietatis. *Cauſa contētiua quomodo in omnibus morbis.* Tum enim morbus eſt in fieri. Quod ſi capiatur pro conſtitutione præter naturam, proculdubio ab eo ſeiungitur cauſa contentiua, cum ſit in facto eſſe. & quamuis eiuſmodi morbus reuera ſit cauſa efficiens, habet tamen apud medicos rationem formæ: Cum vero dicimus morbum fieri læſa facultate, non eſt credendum nos excludere morbos in mala compoſitione & ſoluta vnitate, quandoquidem & ipſi fiunt læſa facultate non labefactata, ſed impedita. Nec duo tantum genera morborum conſtituere debemus, ſi partes ſimilares à diſſimilaribus per ſimplicitatem, & compoſitionem diſtinguantur: A dolore vero, vt dolor, non curatiuam, ſed præſeruatiuam indicationem deſumi poſſe exiſtimamus, vt anodyna quandoque ſunt frigida, quandoque humida, quandoque calida in primo. Neque ſymptomata perpetuo conſequitur morbũ, cum actio lædi poſſit non læſa, ſed fruſtrata facultate ob errorem externum. Etſi Galenus quandoque dicat partes noſtri corporis ab humiditate alterari, & corrumpi, *Dolor non fit ab humiditate.* non tamen debemus ſtatim inferre, ergo ab humiditate fit dolor, & ſi dicas, ſententiam eſſe Hippocratis, dolorem fieri ex alteratione & corruptione, nos fateri debemus, dolores non fieri ſine permutatione. Sed propoſitio Hippocratis intelligatur ſecundum ſubiectam materiam, hoc eſt, ſi fiat cum violentia, quod de humiditate nequaquam eſt dicendum. Quare ſi Galenus videtur quandoque dolores referre in humiditatem, non eſt, vt exiſtimemus, in ſolam humiditatem eſſe referendos, ſed quæ coniuncta ſit, vel cum altera ex actiuis qualitatibus, vel cum materia. *[G]aleni & [...] de do[lo]re ſenten[tiæ] conciliat[io].* At fames fit ex priuatione ſicci. Ergo & redundantia humidi: Non valet conſequentia. Quod autem non agnoſcis diſcrimẽ inter proprietatem & temperiem, mirum non eſt, quoniam & multi alii non agnoſcunt, nihilominus ſi ſtatueris temperaturam in ſimilarib. facere proprietatem, compoſitionem in diſſimilaribus, vt voluit Galenus, non amplius admiraberis, cum ſine huiuſmodi proprietatib. actio nulla poſſit fieri. *Diſcrimen inter temperiem & proprietatem.* Nec miramur, ſi non intelligis, quomodo mixti forma ſemiputreſcat, quoniam id veritati repugnet: *Semiputredo* At nos cum dicimus materiam ſemiputreſcere, imitamur illos, qui appellant homines ſemiui- *Quomodo mixti forma putreſcat.*

uos, & ſemimortuos, quorum tamen forma incorrupta manet. De permittentium vero & prohibentium natura, quod ſcribis, te in ſententia noſtra acqoieſcere non poſſe, non eſt mirandum, ſi plura permittentia, plura probibentia, quam tria quæris. Quod ſi ſtatueris tria tantum eſſe permittentia & prohibentia, quemadmodum etiam tria iodicantia tantum cætera tria hęc circumſcribere, & definire, & ſpecifica, imo ſingularia reddere, proculdubio non amplius dubitabis, nec opus erit methodo ad inueniendum id quod permittit vel prohibet, cum ſemper hæc tria ſint ſpectanda & ab his declinare nequaquam valeamus.

Permittentia & prohibentia, tria.

Poſtremo, quod quæris, quæ natura fuerit illius morbi epidemici, qui ſuperioribus diebus per vniuerſam fere Europam graſſatus eſt: ſi licet dicere quod ſentimus, arbitramur merito cauſæ externam originem duxiſſe ab aeris conſtitutione: Sin internam, à materia catarrhali, quæ dum putreſcebat nunc febrem ephemeram, nunc putridam excitabat: quemadmodum in febribus quæ ex bubonibus fiunt, nec putamus, morbum fuiſſe contagioſum, præſertim apud nos, quoniam nec fuit perniciosus, imo breui aut nullo etiam auxilio reſtituebantur. Hæc ſunt quæ horis ſucciſiuis reſcribenda duximus. Interim vale, & nos, quod facis ama.

Morbus epidemicus Anno 80.

EPIST. LXXXVI.

HIERON. MERCVRIALIS IOH. *Cratoni à Krafftheim, &c. S. D.*

ACTIONEM lædi ab intemperie, à mala compoſitione impediri, ſi proprie loquendum eſt, etiam ipſe exiſtimo. Nam inuenio Galen. 2. de facult. natural. 8. & 5. cap. lib. de diff. ſympt. dicentem: actiones ab intemperie impediri. Verum hæc diſceptatio quid hominum ſaluti prodeſt? In vniuerſa fere Europa morbus quidam vehementiſſimus, ſed ſalutaris vagatur, à quo num veſtræ quoque regiones tententur, lubenter ex te cognoſcerem. Eius huiuſmodi eſt natura. præcedit quædam faucium aſperitas, tuſſicula, mox magno impetu ingruit febris cũ dolore capitis, dorſi, crurum, nonnullis veluti pectus ſtringitur & ſtomachus grauatur. Triduum ad ſummum omnia durant, tandem deſinit febris vel cum ſudore, compluribus cum ſanguinis narium, profuſione, aliquibus, ſed rariſſimis, malum vertitur aut in pleuritides, aut in exitiales peripneumonias, vbi febris & dolor capitis finiri ſunt. Omnes de ſumma virium imbecillitate atq; de tuſſi quæruntur, aliqui de corrupto vel ablato tam cibi, quam potus deſiderio quæ interdum ad octiduum perdurant. Illud mirum eſt, totas ciuitates repente occupari, & vbi vnos corripitur aliqua domo, ſtatim in ſingulis eius familiæ malum communicari. Ita vt ſæpe domus omnibus auxiliis & ſeruitiis deſertæ videantur. Febrem ſynocham eſſe abſque putredine ex decreſcentium genere non dubito, ſicut certus ſum à cœli viribus iam communem morbum neceſſario oriri. Vtrum contagioſus ſit, libenter ſententiam tuam intelligerem. Etſi Deus benedictus prauitatem non ademiſſet, falua non fa ctaeſſet omnis caro. Vale, meque ama. Pataui, Anno 1580.

Actio ab intemperie læditur, à mala compoſitione impeditur.

Morbus Epidemicus.

EPIST. LXXXVII.

IDEM EIDEM.

CLARISSIME Domine, quæ tua ſit de præterita morborum epidemica conſtitutione ſententia, ex literis copioſe ea de re ad me ſcriptis percepi. Omnia mihi perplacuiſſe ſi dixero, non mentiar. At forſan tibi nimis placere voluiſſe videbor, quare vt etiam me non aſſentari cognoſcas, id non admodum me probare ſcito, quod cum cõtagioſos morbos fuiſſe velis, in putredine contagii vim poſitam putas. Ego enim omnes febres quæ deſtillationes comitabantur, ſynochas ſine putredine extitiſſe comperi, quanquam interdum in putridas, ſiue corporum diſpoſitione, ſiue erroribus mutatas eſſe non diffiteor. Iam vero licet plerumque ſciam, ſemina contagii lenta viſcidaq; eſſe, & propterea à putredine non ſeiungi, non video tamen cur etiam vapores aridi, & acres ore ægrotantium manantes non poſſint à proximis halitu attrahi, atque vbi ſemel faucib. adhæſerint, humeſcere quodammodo atque lenteſcere abſque vlla putredine, ſimulque cerebrum & corpus vniuerſum contaminare. Fracaſtorius forſan & alii quidam mallent *συμπάθειαν*, quam contagium appellare: ſed vnde hanc ſibi autoritatem *τῷ ὁμιλητικῷ* vendicet ignoro. Vulgus, quem linguæ magiſtrum vocauit interdum Plato, ſic loqui conſueuit. At de his ſatis. Vale. Patauii 22. Septemb. Anno 1580.

Vide epiſt. Reſponſ. Cratonis numero 109.

Mercurialis Epidemiall catarrhum anni 1580. cenſet fuiſſe contagioſum ſine putredine & ideo eſt febris ſaltem ſynocha non putrida.

Contagium in putredine.

Vulgus linguæ Magiſter.

EPIST. LXXXVIII.

REMBERTO DODONÆO MEDICO *Cæſareo, Hieronymus Mercurialis Med. S. D.*

INTELLEXERANT, Chariſſime Dodonæe, à Cratone viro ſummo tuam de ſacchari lapidifica in renibus facultate ſententiam

Saccharum producere calculum.

tentiam, quam veluti nullis tunc rationibus confirmatam, an refutauerim non recordor. Cæterum illam à me non eſſe admodum probatam fateor. Nunc vero cum argumenta, quibus illud dogma adſtruis, mihi copioſe ac eleganter ſcripſeris, ſimulque quid ſentiam, vt libere ſignificem petas, non potui & amici & viri doctiſſimi voluntatem defraudare, etſi me non eum eſſe cognoſcam, qui tibi conceptas iamdudum & obſeruatione inſtructas opiniones diiudicare queam.

Cauſa renum duplices. Rerum cauſæ, vt noſti, apud veteres Philoſophiæ & Medicinæ ſcriptores in duas potiſſimum claſſes partitæ inueniuntur, quarum alias internas, alias externas vocarunt. Internam cauſam lapidis renum atq; arenæ minime eſſe poſſe ſaccharum quiuis facile conſentiet. Cum vero externæ idcirco ad effectus edendos conferant, quod internis introducendis occaſionē aliquam præſtent, propterea & ſaccharum ſi externa cauſa nephritidis cenſenda eſt, id erit, vel quia materialem, vel effectricem cauſam producat: *Materia calculi.* Materiam calculi, cum ea debeat eſſe craſſa atq; tenax, vt omnium Medicorum eſt opinio, ipſaq; atteſtatur ratio: ſaccharum quomodo tenui, friabili, minimeque tenaci ſubſtantia conſtans efficiat, ſane non video; neque moueor quod experientia quotidiana *Saccharum.* compertum ſit, ſaccharum vbi magis excoquitur lentorem acquirere, ac refrigeratum deinde concreſcere, quandoquidem nec vſque adeo poteſt intus percoqui aliis rebus permixtum, ſicuti ad ignem nunquam torretur, ſi ipſi ſit aliquis humor immixtus. nec etiamſi excoqueretur, poſſet frigido ſicco concreſcere, & materia lapidis fieri; nimirum quod frigus in nullo viuente, tanto minus in calculoſis, qui alioqui ſunt toto fere corporis habitu calidiores, vnquam reperiatur.

Efficiens. Cauſam porro effectricem, nempe immoderatum renum calorem a ſaccharo, cuius calor apud me temperatus eſt, induci nequaquam poſſe, nemo non videt. Sane vel ea ratione cum calidius ſit atque tenacius, æquum eſſet ad lapidem & arenas gignendas magis conducere, quod tamen nec à te, nec à quoquam alio fide digno au- *Experimentum fallax.* thore mandatum memoriæ obſeruaui. Experientiis quas proponis, fidem omnino adhiberem, ſi quæ ad inquirendam ipſis authoritatem exigantur, à te obſeruata ac ſignificata animaduertiſſem. Nam in quibus tu putas nephritidem ex ſacchari vſu obortam eſſe, quomodo quæſo demonſtrabis, r.. ab alia potuiſſe occaſione oriri; ſi me ..amante monuit, quæ eſt conſequentia, ronitru à Mercuriali eſſe factum. Imo vero, quando ſola experientia inter nos decertandum ſit, proferam tibi populos, regiones, regna, in quibus menſæ quotidianę nil ſaccharo frequentius habent, ac vix renum calculorum nomen ſcitur, Neapolitanos, Siculos, Turcas, totumq; fere Orientalis plagæ tractum ſaccharo magnopere delectari, ac copioſiſſimo vſu, accepimus. Eos tamen omnium gentium minime hoc malo vexari teſtātur, qui apud ipſos vixerunt, & medicinam factitarunt.

Quod ſi huiuſmodi cibus ſuapte natura in lapillos converteretur intra corpus, deberent illi homines paſſim lapidicinas in viſceribus geſtare. Quamobrem vt à te alioquin eruditiſſimo & conſummato penitus Medico hac in re diſſentiam tot rationes & exempla hortantur. *Dulcia noxia.* Haudquaquam tamen inficior, ſicut cætera dulcia à iecore auidiſſime attracta crudorum ſuccorum cōgeſtioni magnam occaſionem, dum ſecum incocti cibi rapiuntur, præbere, ſic & ſaccharum facere, ac proinde materiæ arenarum cumulandæ aliquo pacto inſeruire, at id agit, quia dulce, non autem quia ſaccharum. Hæc inter æſtus, & plurimas quibus obruor occupationes quæ reſponderem habui. Ea etiam à te probari nō quæro, modo hac meæ ſententiæ ſignificatione voluntati ſaltem, ſi non intellectui tuo ſatisfactum ſciam.

Coruſius tibi ſalutem plurimam dicit, ac mecum ſæpe de filio tuo locutus eſt: qui vbi Patauium venerit, ego quoq; operam dabo, vt in filio cognoſcas à me plurimum diligi atque coli Dodonæum. Vale, & tarditatem meam boni conſule. Patauij 21. Iunij. Anno 1575.

EPIST. LXXXIX.

HIERON. MERCVRIALIS D.
Petro Monauio S.P.

EXCELLENTISSIME Domine: Vt tarditatem tuam in reſpondendo meis literis adeo eloquenter excuſares, nulla certe aut animi mei erga te ſuſpicio, aut tui ertor exigebant: Sed quod id peraccurate facere libuerit, inſigni tuæ humanitati atque ſingulari erga me propenſioni tribuo, eoque nomine, quas poſſum, ago gratias. Etenim de equis illis iam Cratonis prudentiſſimi ſenis conſilium ſecutus ſum, atque in eo nunc multo magis lætor, cum video te quoque ſummis rationibus eiuſcemodi deliberationem commendare. Itaque ſilentio illorum tractationi impoſito, ad ea quæ ex me quæris venio: Verum contagium pu-

Verum contagium ſemper à putredine.

tredinis ſobolem eſſe ſemper agnoui. Verum alterius non veri contagij, quod recentiores aliqui συμπάθειαν vocare maluerunt, cauſam haud putredinem eſſe, nulla ſcriptorum autoritas, nullave ratio vetat: Sic enim, qui oſcitantes vel ſternuentes aſpiciunt, eos pariter & oſcitare & ſternuere aduertimus, cui non admodum diſſimilem exiſtimo fuiſſe eam contagionem, quam in præterita epidemica ſynochorum imputridorum conſtitutione affuiſſe non dubito. Scis enim putredinem febrilem nunquam contagioſam euadere, niſi ingens admodum ſit, alioqui febres quælibet ex putreſcentibus humoribus ortæ, cur non omnes eſſent contagioſæ? Iam vero nemo eſt, qui non fateatur anteactas febres aut omnis putredinis expertes extitiſſe, aut perexiguam habuiſſe. Quomodo vero ſympathian aut contagij genus id exiſtimauerim, potes in meis ad Cratonem literis facile cognoſcere.

Plumbum aëreum & grauiſſimũ Galeno falſo.

Si Galenum nunquam errare potuiſſe, vt aliqui male conſcij prædicant, exiſtimas, iure quæris, quo pacto plumbum aëreum ſimul & grauiſſimum ſit: Sed ſi & Ariſtotelem & ſenſum, ac rationem, vt debes, ſequi malueris, eum inſigniter in plumbi natura indicanda lapſum eſſe fateberis.

Metalla omnia ex vaporibus aqueis & terreis.

Nam metalla ex vaporibus tum aqueis, tum terreis vi caloris, ac frigoris conflari tam aperte demonſtrant Peripatetici, vt nihil certius ſit, quam aurum, plumbũ, hydrargyrum idcirco eſſe corpora grauiſſima, quod conſtent ex aqua, & terra optime percoctis, congelatis, & mixtis, ſique hydrargyro motus ille perennis, &

Hydrargyri motus ab aere.

eximia tenuitas ineſt, non ob aliud eſſe, quam ob aërem, qui non multos ob egregregiam mixtionem aquæ congelatæ incluſus exitum quærens tantiſper totum corpus ciet, donec vel igne, vel quapiam alia externa cauſa diſſoluto illo corpore aqueo & terreo abitq; ſimulque & terram & aquam diſſolutam abire facit.

Galeni de plumbo ſententia refutatur.

Hæc ignoraſſe grauiſſimum ſcriptorem Galenum valde miror, aut ſaltem diſſimulare, cum ſcripſit, eſſe in plumbo multam ſubſtantiam humidam cõgelatam aëream, & paucam terream. Sed multo magis ipſius ſimplicitatem admiror, qui dixit, cauernoſum eſſe plumbum, ac

Pondus non augeri tempore.

propterea pondus eius, vt ſtatuarum vincula probant, diuturnitate augeri, quod aëreũ ſit. Etenim ſane neſcio an Grammaticorum liberi eum in modum philoſopharentur: primum, valde dubito, falſum eſſe plumbi pondus, aut molem vlla ratione augeri, cum pene contrarium exploretur in iis tegulis quibus culmina templorum cooperiuntur: ſed etiam ſi illud conceſſero, non quia aëreum augetur, ſed quia ſuperficie ipſius corrupta, terraque & aqua diſſolutis, vtrarumque pondus magis atque magis ſeſe exerit, corrumpi autẽ vitio aëris & temporis plumbi ſuperficiem ex eo facile conuincitur, quod ſi vetuſtum & vſu conſumtum eliquetur, multo maior recrementorum, quam ſolidæ plumbi ſubſtantiæ copia extabit. Habes, mi Monaui, quæ inter varias viſitationum & publicarum lectionum occupationes tuis grauiſſimis dubiis hoc tempore duxi reſpondenda. In iis, ſi quid tibi à me ſatis factum erit, pro lucro non exiguo putabo. Sin minus, ſpero, quæ tua eſt cunctis ſpectata probitas à te meas vires excuſatum iri. Vale meque, vt facis, ama. Patauij 17. Febr. Anno 1581.

EPIST. XC.

IDEM EIDEM.

OPTASSEM Monaui mi, aut plus otij mihi ſupereſſe, aut curarum minus habere, quo præclare tuæ pro Galeni circa plumbi naturam ſuſcepta diſſenſione diſceptationi reſponderem: ſed quia ea eſt omni tempore, & præſertim hæc noſtri ordinis hominum conditio, vt vix tundendis vnguibus præ infirmorum viſitationibus, publicis lectionibus, atque ſtudiis facultas concedatur, me excuſatum iri apud te ſpero, ſi ea diſputatione iam meis literis inchoata, tuis autẽ pene confecta, nunc dimiſſa ad ea, quæ propoſuiſti problemata explicanda conuertar. Vbi prius tamen illud addidero, quod non recte in aliis meis percepiſſe videris, plumbi laminas ſub dio, quemadmodum etiam peritiſſimus fatetur Agricola, idcirco auctas videri, quoniam ipſarum pondus creſcit: atqui creſcit, non ob aliud, niſi

Vnde error auctionis in plumbo.

quia corrupta ab ambiente modo calido, modo frigido, ſuperficie, partes aqueæ, & ſubtiliores in cinerem vertuntur, vnde vis illa terreſtris, & ponderoſa plumbi, quæ prius ab aqueis partibus veluti ſubleuata quodammodo occultabatur, magis ſeſe exerit, ſicq; iure pondus augeri videtur. Nam idem plumbum, ſi comburatur, decima atq; etiam amplius parte, quam antea ponderare conſpicitur, non ob aliud, quam quod partes aqueæ in cinerem, & terram conuerſæ pondus addunt, ſicut aqueæ velut ſuſtollentes corpus plumbi leuius reddebant.

Plumbum combuſtum grauius.

Nunc ad quæſita: Scribis enim videri tibi, non leuem in Ariſtotelis commentariis cõtradictionem, quod 4. Problema. 1[?] tradat, rem nullam in aqua liqueſcere poſſe, quæ igni liquefieri apta ſit, ceu plumbum, ac

ceram.

ceram; de quo poſtremo etiam dubitas. In commentaiuolo vero de admirandis auſcultationibus ſcribat, ſtannum Celticum multo citius plumbo liqueſcere, quia in aqua etiam liquefieri ſoleat. Ego autem nullam ἀντιλογίαν ineſſe, ſi vt par eſt, intelligatur vterq; locus, puto. Nam ſuapte natura, & vt dicunt per ſe, nil poteſt in aqua liquefieri, quod igne liqueſcat; quemadmodum locutus eſt in problematis. Atqui nil prohibet, id per accidens poſſe contingere, eo nimirum pacto, quod ipſemet Philoſophus in admirandis explicuit. Vbi ab extremo aquæ frigore inteſtinum ſtanni Celtici calorem puſillum cogi, coactum augeri, auctum liquefacere docet, haud ſecus atque grauiſſimus autor Theophraſtus in lib. de igne metalla in Ponto intra terrã liquefieri indicauit calore ſcilicet terræ ob aëris frigus intro collecto & aucto.

Quod igne non Aqua liqueſcit.

Quod ſecundo loco poſtulas, vt cauſam reddam, ob quam in Germaniæ metallis ſales conficiantur in caldariis plumbeis, neque eiuſmodi vaſa etiam vehementiſſimo igne incandeſcentia diſſoluantur, haud ſane explicatu facile eſt. Tentabo tamen in re admodum dubia & obſcura, & à nullis forte propoſita, aut ſaltem exacte explicita ſententiam meam aperire. Quæ enim ſummo frigido, ſiue humiditati ſiue ſiccitati coniuncto ſunt concreta, tunc diſſoluuntur, cum humor congelatus ſoluitur, abſumiturve, cumque illa compages, & partium terreſtrium vnio corrumpitur. Quas res ignem ſua vi & calidiſſimum & tenuiſſimum efficere apud omnes exploratiſſimum eſt. Itaque ſi aliquod reperitur, cuius facultate corporum hunc in modum concretorum humor congelatus ſeruetur, ſimulque vnio partium ab ignis violentia protegatur, plane indiſſolubile etiam igne tentarum euadere, rationi conſentaneum erit. Huiuſmodi autẽ eſt ſal, nempe, qui ſua pingui humiditate plumbi humidum à conſumptione & diſſolutione tueri, facultate vero inſigni, qua pollet, aſtrictoria compagem, & vnionẽ partium eius in medio flammarum conſeruare, egregie valet, perinde ac experientia compertum eſt, ſi quis patellam chartaceam efficiat, eamq; oleo ſemiplenam ſupra prunas componat, minime chartam vi ignis conſumi. Salem vero magnopere aſtringere, ita apud omnes cõpertum eſt, vt neminem ſanum id negare poſſe exiſtimem, quod etiam humiditate pingui, & oleoſa polleat, præter Ariſtotelis id in meteorologicis, & Problematis aſſere[...]s auctoritatem, extat locupletiſſimum Plutarchi teſtimonium in primo quæſt. na-

Caldaria plumbea vehementiſſimo igne non diſſolui.

Sal aſtringens.

turał. nec non 1. conuiual. problem. 9. tibi & ſalem marinamque aquam oleoſam eſſe, & propterea minus dulci pannis maculas eluere, minimeq; plantas nutrire: imo vero eas necare diſputat.

Cur autem dubites, cera ne liqueſcat in aqua? Occaſionem certe nullam video, cũ quotidiana experientia doceat, ceram pannis adhærentem nulla aqua, ſed ſolo ignis calore tolli: Habes nunc quæ pro tuis dubiis enodandis reſpondenda ſum arbitratus. in iis ſi ſatisfecero, operam me non penitus perdidiſſe putabo. Sin minus, id & ingenii mei infirmitati, & rerum naturalium obſcuritati, non autem voluntati, quæ ſemper in te propenſa erit, tributum iri ſpero. Vale, meque vt facis, ama. Dab. Patauij, 20. Decemb. Anno 83.

Ceram non aqua liquefieri.

EPIST. XCI.

IDEM EIDEM.

BINAS vno die à te accepi epiſtolas, in quibus cum antiquis nouas iunxeris diſputationes eo libentius inter multas quibus aſſidue premor occupationes; iis reſpondere aggrediar, quod præclara illa ingenii vis quæ in cunctis tuis valde elucet, nec non ſingularis eruditio, atque eloquentia me ita acriter incendunt, vt tibi reſpondere in maximis ſtudiorum atque negotiorum meorum partibus eſſe putem. Illud autem inprimis te haud neſcire opto, quas nuperrime vidiſti de venenis, & puerorum morbis editas meditationes, ex iis eſſe, quæ è cathedra nobis velut œſtro quodam percitis emiſſa celeri, ac non ita prudenti auditorum manu excipiũtur, vt ſi quandoq; aliqua minus elaborata & firma eructeniut, candido & ingenuo lectori, nec ἀκριβείαν illam mathematicã expectandi, neq; protinus obtrectandi, aut acerbius contradicendi occaſionem præbere debeant, cum plerunque minime elimata, imo vero non reuiſa ab ipſis profitentibus, exeant. Scribis in tractatione puerilium ægritudinum, me eam nõ exigui momenti diſputationem omiſiſſe, vtrum ipſiſmet pueris, an nutricibus poſtulante neceſſitate purgantia ſint exhibenda medicamenta, tibiq; videri potius, pueros ea ſumere debere, ſecuſq; à me conſtitutum, vel ſuppoſitum videri. Ego vero impulſus eo Hippocratis oraculo, quo in vi. de mor. vulg. tex. 35. dixit, Mulier, capra, elaterium, aut cucumerem ſylueſtrem edentes, pueris purgatio. Semper exiſtimaui, multo tutius per nutrices puellulos purgari, quam ſi ipſis quomodocunque parata exhibeantur medicamenta: Nam præterquam quod

Meditatio de venenis & puerorũ morbis Mercurialis intemperanter.

Purgatio infantium.

Mediens ab Hippocrate doceri ſcribit eo loci Galenus, vt ſic medcantur pueris, illa etiam ratio perſuadere poteſt, quod etiamſi nutrices corpora ſana habentes vſu purgantium offendi queant, attamen multo melius reſiſtere iniuriis pharmacorum poſſint quã infantes, nempe qui ob corporum inualiditatem multo minus medicamentorum naturæ humanæ aduerſantium vim ſuſtinere poſſunt, ſucco vel ſubſtantia tota ſumptorum, quam ſi eorundem vis ſola caſtigata, atque vt ita dicam dulcorata, lacti alimento familiariſſimo, & iucundiſſimo indita præbeatur.

Vermis dorſi Dracunculus.

Velles quoque in tractatione lumbricorum à me commemoratum eſſe id genus vermium, quod in iumentis plerunque, in veſtratibus autem pueris non raro fieri conſpicitur, quodque ab Auenzoate, & à Nicolao Florentino inter alia vermium genera fuiſſe propoſitum non ignoramus, cum ſcilicet in dorſo vermis oritur, qui huc atque illuc perreptus carnesque excedens bruta & pueros macie conſumit. Ego vero ſicut eiuſcemodi ægritudinem à dracunculo veteribus nuncupato, noſtriſque in variis lectionibus tractato, non parum differre puto, ſic de ipſis. cum rariſſime, vel nunquam in homine videantur, vel ſi vnquam in homine apparent, inter lumbricorum genera non recenſeantur, ad eum, qui ipſos docet, haud ita pertinere tractatio videtur, quin poſſit iure aliquo præteriri, quanquam nec ego profitear, me cuncta eſſe adeo complexum, vt aliis etiam eruditioribus aliquid addendi, aut magis excolendi locum non reliquerim.

Venenum in qu[illegible] radica[illegible]

Tranſis poſt hæc ad librum de venenis, in quo te primum offendi ſcribis, quod conſtituerim venenum eſſe in ſubſtantiæ, non autem, vt complures credunt, in qualitatis prædicamento: addisq; me interdum vim veneficam in corpore poſitam, eſſe venenum aſſerere, interdum definire eſſe miſtum, ac propterea pugnantia dicere, quaſi non idem ſit, hominem eſſe animam in corpore poſitam, vel eſſe compoſitum ex animo & corpore. Sed quia hoc poſtremum luxuriantis ingenii argumentum eſt, ipſo dimiſſo, ad id quod magis vrges conuertar, nimirum vt probem rationes quibus vteris ad probandum eſſe in prædicamento relationis venenum collocandum, aduerſus meam ſententiam non tantum habere momenti, quin facile dilui queant:

Num in Relatione.

Num vt hinc primum exordiar. ea dicuntur ad aliquid ex Ariſtot. quorum eſſe aliorum eſt, aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo plane ad aliquid, nec alimentum nec venenum dicitur, ſed ſecundo modo, prout ſcilicet aliquid ſeu reſpectu alicuius, nempe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto vere ad aliquid ſunt, ſiquidem maior pars venenorum æque alia bruta atq; hominem interemit, & multa etiam alimenta ſunt, non minus beluarum, quam hominis. Sed concedamus eſſe ad aliquid venenum, quid prohibet vnam & eandem rem diuerſimode acceptã ſub diuerſis prædicamentis collocari? Magnum & paruum in quantitatis & relationis.

Morbus & ſanitas in prædicamento Relationis.

Morbus & ſanitas in qualitatis & relationis prædicamentis ponuntur: haud ſecus etiam forma ſubſtantialis in duobus prædicamentis eſt, cum forma qualibet ſit alicuius forma. Quare de veneno quoq; dicere poſſumus, vt refertur ad hominem eſſe ad aliquid. Vt vero miſtũ quoddam eſt eſſe propria forma, quæ eſt vis venefica. & ſubiecto, eſſe in prædicamento ſubſtantiæ. quemadmodum compoſitum ex materia & forma, neque ipſe vnquam dicerem totum ſcorpionem aut totam viperam eſſe venenum, ſed illius ſpirituoſum corpus vi venefica formatum, quod totum communicatur:

Veneni corpus.

Huius autem corpus ſaliuoſum ſimiliter conflatum & morſu communicabile.

An venena contagioſa.

Nunc deinceps, quod quarto loco quæris. an venena ſint contagioſa, mea ſententia eſt, corpora quę veneno interempta ſint, minime alia inficere poſſe, quod vis illa non modo proptio ſubiecto iam exuta ſit, verum etiam in cadauere extincta, ita vt ſi venenum integrum è corpore iam ab ipſo necato extrahatur, atque alteri cuidam præbeatur penitus ineſſicax, vlliq; alteri lædendo ſit factum ineptum, neque ab hac opinione me deflectit, quod in hiſtoriis Indicis habetur relatum, Cambaiæ prouinciæ regem veneno nutritum ita euaſiſſe venenoſum, vt etiam muſcæ ipſius cutem exugentes veneno tactæ perierint, ſiquidem proprie id contagium, quod ſit per eibi ſumptionem, minime appellandum puto, & venenum id regis in corpore viuente, nec dum ſua potentia perfunctum erat.

Peſtis venenum.

Porro venenum peſtiferæ tabis cur proprie & ipſum venenum, cum cor petat, & ſtatim perimat, non ſit vocandum, rationem nullam video, etſi inter hoc & alia, illud diſcrimen conſpiciatur, quod peſtilentia vbi aëre infecto communicatur, vere contagioſa ſit. Alia vero contagii veri ſint expertia, etiamſi interdum medio aëris vitam eximant.

[illegible] non [illegible]

Quod autem de Hippomane nugantur, iam dudum, qui raro fallitur, eſſe fabulam docuit Ariſtoteles, ſique phil[illegible] [illegible]lam nocendi humanis corporibus ſuapte

natura

natura, non à cacodæmone communicatam habeant, eam minime veneficum dicerem. quoniam cerebrum potius, quam cor laceſſire, neque præſentaneam necem afferre, ſed vt cæteri praui humores, atque ægritudines paulatim videntur conſumere. Redis poſthæc ad plumbi naturam iampridem tractatam, in qua vix tibi perſuadere potes, quomodo plumbi aqueis & ſubtilioribus partibus ſub dio in cinerem conuerſis, vis terreſtris, & ponderoſa magis ſeſe (quod ego dixi) exerat, quaſi aqueæ partes magis debeant in halitus conſumi, quam vllo pacto in terreſtrem ſubſtantiam cõuerti. Hoc autem facilius, niſi fallor, diſcere poteris, ſi partes illas non prorſus aqueas, ſed etiam aliquius, vt ſic loquar, terreſtreitatis participes eſſe cogites, vt quemadmodum humiditas viridium lignorum combuſta multo plures cineres, quam ſicca ligna deuſta facit, quod illa terreſtris humiditas in cinerem vertatur. Sic humiditas plumbi tenuior aliarum partium reſpectu ſub dio cinis euadat, ac propterea diſcluſo aëre, qui leuitatem addebat, pondus paulo maius appareat.

Plumbi natura.

Viridium lignorum cinis copioſior quam ſiccorum ſi comburatur.

De plumbeis caldariis, quoniam meam ad problema tuum reſponſionem minime improbas: imo potius eam auctiorem, illuſtriorem, ornarioremque facis, & ingenii tui candorem & eloquentiæ vbertatem, & eruditionis copiam etiam atque etiam laudo & amplector, nec vbi tanta claritas adſit, philoſophicum puto, alia verba inutiliter adiungere. Itaque iis, quæ docte ſcripſiſti, omiſſis, ad poſteriorem libenter tranſeo, in qua quoniam primum de liene diſputas, quaſi & ipſe αἰτιςρεφ☉ in ſanguine fabricando iecinori ſit, meamq; ea in re ſententiam audire opt[illegible]s libere dicam, vbi eſt tantus ſapientum virorum ac tantorum ſeculorum conſenſus, me non facile moueri, quod vnus vel alter ingenii laſciuia quadam diſſentire videtur.

Victus lienis vſus ſanguificatio.

Nam & ipſe Galli cuiuſdam atque alterius ſcripta vidi, meaque in bibliotheca habeo, quibus & à te propoſitis argumentis, & pleriſque aliis docere nituntur hactenus & veteres & recentiores feſelliſſe, qui dixerint, lienis actionem eſſe ſanguinem, & iecur à feculenta ac terreſtri, melancholicaq; ſubſtantia deputare, imo vero & ipſum non minus iecinore ſanguinis perfectionem abſoluere, præſertimq; pro ſiniſtro cordis ventriculo eum parare. Sed ſpecioſæ quidem ſunt eorum rationes, quæ tamen paulo atte[illegible] examinatæ debita firmitate carere conſpiciuntur. Vt enim verum eſt frequenter naturam communes corporis miniſtros vel geminos facere, vel in medio aliquo loco collocare, ſic non ita ſeſe huic neceſſitati adſtrinxit natura, quin aliquando ab huiuſcemodi cõſuetudine diſceſſerit, tunc præſertim, cum melioris alicuius rei gratia id feciſſe viſa eſt. Quomodo enim natura potuiſſet duo ita vaſta & toti corpori famulantia viſcera in medio ſubtus cor diſponere? Quomodo rurſus non ſuperuacanea fuiſſet, ſi plura ſanguini efficiundo inſtrumenta condidiſſet? cui vnum ſufficere poterat, & debebat: Quam rem cognoſcens Ariſtoteles, atque cordi cuncta præcipua tribuens, ſatius duxit illud ſolum veram ſanguinis officinam ſtatuere, quam id muneris pluribus impartiri: ſimilitudinem aliquam genericam, aut etiam ſpecificam habere poſſe ſtructuram lienis cum iecinore non diffiteor, quoniam vero vnaquæque peculiaris actio à proprietate partis efficientis nulli alteri communi proficiſcitur, vt millies dixit Galenus, tantum abeſt, eiuſcemodi proprietatem ſanguificam eandem in vtroque viſcere eſſe, vt non minus terra a cœlo diſtet. Quæ, mi Monaui quæſo eſt ratio ea, læſam ſanguificationem atque vitia inde orta æque a liene, ac iecinore oriri & propterea debere lienem eſſe partem ſanguinis effectricem? Nam vt de hydrope loquar, quem ſcribit Galenus neceſſario produci refrigerato iecore, qui ignorat à liene tumente, & refrigerato inſigniter quoque refrigerari iecur, & ſubinde cachexias, hydropes, aliaque huiuſmodi vitia ſuccedere? De venenis, medicamentis, & cibis præclare vt cuncta ſoles, diſſeruiſti. Veruntamen, quod proponis venena variis partibus inſidiari nec propterea vnum cor omnia petere, iam puto me explicaſſe lib. 1. cap. 11. vbi eadem argumenta, atque eandem difficultatem, quam tu, propoſui, ſimulque ni fallor, econdaui. Quare iam tibi me aliqua saltem ex parte ſatisfeciſſe ſpero: ſin minus, voluntatem ſaltem meam probarum tibi iri confido. Vale. Patauij, die vltimo Martij, Anno 1584.

Specifica actio cuiuslibet viſceris.

Venenum non cordi ſolum aut plurium partium

EPIST. XCII.

HIERON. MERCVRIALIS, &c.
Wenceslao Raphano Med.
S. D.

SED iam ad id deueniendum eſt, quod a me poſtulare obnixe videris: vt tres illas dubitationes, quæ animum tuum ancipitem reddunt, ex mea ſententia explicem diſſoluamque. In qua re dabo operam, vt potius in me ſatisfaciendi tibi

An hepatis ipſum παρέγχυμα poſſit fruſtillatim aluo reddi.

facultatem, quam deſiderium aut voluntatem defuiſſe perſpicias. Primum itaque dubium, quod proponis eſt: An iecoris ſubſtantia in cruentis dyſſenteriis excerni poſſit. Cum tibi παραδοξότατον videatur, vt dicit vulgus medicorum, fruſta interdum excreta conſpici. Mihi certe res creditu dura eſt; ſed quæ tamen & veterum & recentiorum medicorum clariſſimis teſtimoniis confirmatur: Quod natura res miras & nobis ignotas interdum operetur, facile qui medicinam faciunt, quotidie explorant. Ego ſane

Obliquatio.

à iecore non ſemel vidi per aluum magnam ſanguinis eductam copiam. Sic fieri poteſt, vt corroſa iecoris ſubſtantia, atque in furfurum formam redacta vna cum ſanguine excludatur. Fruſta vero maiora nonnunquam videri, quam vaſorum per quæ tranſeunt amplitudo ferat, eſt ſane præter naturam atque ἀδυνατώτατον, perinde ac ſi camelum per acus foramen pertranſire quis dicat. De

Philtrorum opinionem & formam Mercurialis eleuat.

philtris, quæ ad cōciliandum amorem mirifice conferre antiquitas credidit, mea ſententia eſt, neq; illa exiſtere, nec medicorum prudentium contemplatione ſubiici. Amor amore conciliatur. Sit procul omne nefas, (ait Ouidius) vt ameris amabilis eſto. Et quod docet Plato in Lyſia: Similitudo morum, ſtudiorum, ætatis eſt potiſſimum amoris philtrum, vt etiam actiones & vita honeſte compoſita, de quib. loquens Lucretius in quarto ſcripſit:

Nec diuinitus interdum Venerisq; ſagittis,
Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis
Morigerisq; modis, & mundo corporis cultu,
Vt facile inſueſcat ſecum vir degere vitam.
Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem.

Et quanquam ab Ariſtotele 8. de hiſtor. animalium relatum ſit, Hippomanem putatum fuiſſe ad amorem comparādum pertinere, id tamen ex inſani vulgi ſententia, non ſua protulit. Verba alterius, hoc vel illo modo prolata, ſcio grauiſſimos medicos, quod morbis tollendis proſint exiſtimaſſe. Eadem quoque autoritate alios permotos, quod odium tollere & amorem conciliare queant putaſſe, verum nugas & ſuperſtitiones eas omnes Galenus opinatus eſt, cum

Pharmacis amorem poſſe forte conciliari.

nulla ratione nitātur. Pocula vero aut pharmaca eſſe quæ ſimiliter vt morbos, odium auferant, ac amorem perinde atq; ſanitatem

Sed difficultas duplex

concilient aſſerere fortaſſe poſſemus, cum perſpectum ſit homines hilariores atque ad amandum propenſiores euadere quando calent, eſſeq; medicamina nō pauca, & corpus & animum calefacientia. At duo ſunt, quæ ipſorum vanitatem & vitium produnt? Vnum quod nequaquam erga hunc magis, quam erga illum amorem inducere queát, vt in amatoriis philtris ante alia requiritur, alterum, quod plerunque pro amore inſaniam, atq; etiam mortem, inferunt, quando in hiſtoriis legitur, multos ex epotis pharmacis amatoriis dementatos atque extinctos. Veluti Lucretium, Lucullum, & Caligulam, eo quod pocula eiuſcemodi caliditate eximia cerebri temperiem deſtruxerunt.

Philtris dementati.

Quod poſtremo loco maxime omniū cupere videris, vt quam putem ægritudinē illam apud vos vagantem, literis explicem; & in iſto tibi morem gerere tentabo. Arbitror te non latere caſum Critonis illius relatum ab Hippoc. 1. Epid. comm. 3. tex. 26. quem memoratu dignum ob interitus celeritatem iudicauit Galenus. Is cum phlyctænis nigris & alui fluxu correptus fuiſſet præter februm, & alia ſæua accidentia, tandem ſecunda die occubuit. Galen. vero & magnam in ipſo, & malignam excrementorum copiam abundaſſe collegit. τεκμαιρόμενος δὲ [ait] τῆς κακοηθείας ἐκ τοῦ πεπλῆσθαι τὸ τῆς γαστρὸς χρῆμα φλυκταινώδη μέλανα γενέσθαι περὶ τὸ σῶμα. Sic mihi ex ſymptomatibus abs te relatis colligendum videtur, nimirum à magno excrementorum peſtiferorum copia gigni, quæ tum proluuie illa alui atra, atque picea, tum ſudoribus proditur.

Peſtilens diaria Hippocratica: etiam viſa ...

Quomodo vero ea excrementa in corporibus incolarum cumulentur, tu qui & ipſorum vitæ genus, & aëris plagam noniſti, melius ſcire potes. Ad quam autem febris ſpeciem ſit ægritudo referenda, neque definire admodum arduum eſt. Quod enim ex peſtilentium genere ſit, neminem dubitare opinor. Cum vero neque humores neque ſolida cordis extreme putreſcere ita cito poſſe conſtet, vt vna die iugulent: magis conſentaneum eſt, in ſpiritibus eam febrim locari, in quibus ſi non putreſcant, quemadmodum igneus calor vna die finitur, pariter iidem extreme putrefacti vna die, atque etiam celerius necem inferunt. Scio dubitatum eſſe, an ſpiritus putreſcere queant. Sed anno elapſo in lectione, quam de peſte habuimus, à nobis demonſtratum fuit, & ipſos putreſcere, tam ſuapte natura, cum ſint calidi & humidi ex ſententia Ariſtotelis, quam ex mixtione putridorum μιασμάτων; & peſtiferam febrem facere quæ ſaltem per ſimilitudinem, ſiue ſubiecti communicationem diaria vocari mereatur.

Spiritus poſſe putreſcere.

Modum generationis huiuſcemodi febris hunc arbitror, quod facta in putridis humoribus ſumma prauitate, natura à copia & vitio illi... ſtimulata, omni conatu atque per quaslibet vias expellere ſatagit, & ipſa expulſione vapores

pores multi atque putridi in cor mittuntur, qui ſpiritus tanquam ſibi magis proportionatos nec non diſpoſitos venenantes atque corrumpentes ſubinde calorem natiuum ſtatim extingunt. Hæc ſunt, quæ vt tibi obtemperarem, ad diſſoluenda tua illa problemata mihi dicenda ſtatui. Id modo à te vehementer peto, omnia æquo animo ſuſcipias, Mercurialiſq́; tui nullo tempore obliuiſci ſtudeas. Vale; Patauij nonis Ianuar. Anno 1571.

EPIST. XCIII.

WENCESLAO RAPHANO MED. &c. *Hieron. Mercurialis, S. D.*

DE philtris amatoriis poſtquam adeo acriter rem tueris, ac illuſtribus teſtimoniis confirmare eniteris, & fide erga te mea, & tua omnibus ſpectata probitate rem indignam me facturum exiſtimaui, ſi omnino inficiari rurſus tentarem. Ea propter ſuppoſita hiſtoriæ tuæ veritate ſuſpicor: Cuncta huiuſmodi pharmaca naturæ humanæ omnino aduerſaria eſſe, hominesq́; dementare, & furoribus quibuſdam exercere, non ob aliud, quam ob peculiarem ac mirificam quandam ipſorum facultatem. Perinde ac de vino ſcriptum reliquit Ariſtoteles 30. probl. ſect. 1. quod animos hominum confundere ac perturbare dicebat propria ſua facultate, nō autem quod calidum ſit, quandoquidem piper, vt eſt maiori, quam vinū, vi caleficiendi donatum, ſic magis ſtatum mentis deſtruere deberet, cui tamen rei experientia plane refragatur. Ventriculum vero inprimis uffendi, rationi valde conſentaneum videtur. Quia venena toto genere naturæ inimica, quamprimum incaleſcunt, virus proprium diffundere incipiūt. Cumque primo ipſis in corpore ſtomachus incurrat, in quo moram trahentia caleſiunt, non eſt mirum, ſi ipſum valde lædant. Maleficiorum ligaturas & ſolutiones ex phantaſia agente proficiſci diceret Auicenna, qui hominis animam non modo in proprium verum etiam in aliena corpora vehementer agere vbiq́; profeſſus eſt: ſed hæc omnia probabili, non firma & certa demonſtratiune traduntur. Ex meis lucubrationibus variarum lectionum libri 4. cum Alexandri Tralliani Græca & Latina de lumbricis Epiſtola, nuperrime editi ſunt. Tu vale, & me, vt facis, amare, vt ameris, perge, Patauij, 17. Cal. Iunij. Anno 1571.

Philtrorum natura.

Vinum perturbat ſpecifica proprietate.

Maleficia.

EPIST. XCIV.

HIERON. HEROLDT, MED. D. *Ioachimo Camerario, Profeſſ. Lipſenſi S. D.*

SCRIPSERAM furtiuis horis priores literas, cum mihi tuæ in vigiliis natalitiis redderentur, neque eam ſententiam muto. Remitto iam ad vos Generum Schluſſeckfeldij, quem ſic in quartana curaui intra ſeſquimenſem. Curaui ſic filium Domini Barnabis, Beuer, qui quartana laborans ex Gallia, vbi cum Dn. Baumgertneri filio ſtuduit, reuocatus fuit. Habeo adhuc alios etiam, qui ſi obtemperabunt, etiam breui liberabuntur. Quod ad mumiam attinet, pro communibus viis euacuandis adhiberi quidem poteſt; ſed non ſine aliis. Nam materiam morbi non educit; ſed bilem euacuat leniter, & aliquo modo nutrit. Eſt apud nos fere nimium vſitata, nec chare venditur. Ego in debilitate virium, vbi propter imbecillitatem pituita in ventriculo, & primis venis colligitur, in hunc modum vti ſoleo;

Quartanæ cura.

℞. Semen. Carthami ℥ß. aut vj.
Vrticæ ʒß.
Zinzib.
Galangæ an. ʒß.

Potio purgans.

Contuſa & inciſa ligentur in ſindone, & infundatur per noctem in vini, aut iuſculo gallinæ ℥ iiij. ß. Mane fiat ebullitio vna atque altera, & cum expreſſione colatura, in qua diſſolue; Mannæ Calbr. ʒvj. Bulliant parum. colentur, & addito vitello oui, croco pauco, & ſi lubet, pipere, fiat iuſculum, cui ſi pluſculum ſacchari adiicere volueris, nihil nocebit. Hoc medicamine ſi communes viæ eſſent euacnatæ, medietatem, vel tertiam partem pararem, & de quarta die in quartam, vel de tertia in tertiam, prout vires concederent, adhibitis prius fomentis circa hypochōdria, darem ℥ ij. aut ℥ ij. ß. per ſex aut octo horas ante paroxyſmum, & ita febrem expugnarem, donec aliqua concoctio appareret. Poſt facta aliquali euacuatione, exploratis hypochondriis, ne aliqua tenſio aut durities adeſſet, infunderem vel Theriacæ antiquæ vel pulueris Caryophyllor. ʒj. in aquæ vitæ ℥ j. & per duas horas ante paroxyſmum his aquæ vitæ fecibus inungerem ſpinam & ſtomachum, & darem Theriacæ illius recentioris ℈ ij. ß. cum duplo conſeruæ borraginis ſuperbibendo hauſtum vini, ſicut ſcripſi, & niſi omnino calor febrilis eſſet magnus, admiſcerem ʒ ij. aquæ vitæ in qua vel Theriaca, vel caryophylli fuerint infuſi. Hoc medicamento ſtatim rigor ſiſtitur proximoque impulſu hoſti ſu-

git. Sic ego procedo, poſt lauo, prius aſſumpta Theriaca. Hæc diligenter, & diligentius Galeno tractat Trallianus, quem cum ratione ſecutus, non fui falſus. Vellem ne rem tam diu differretis. Meticuloſa eunctatio in morbis plurimum nocet. Cum bene conſulueris maturato opus eſt. In ſenibus hæc febris difficilis eſt, niſi mature occurratur. Eſt morbus chronicus, qui ſi tantum diæta oppugnatur, & ſoli naturæ actio tota committitur, durat per annum, vt ait Hippocrates. Si vero natura medicamentis adiuuetur, cedit citius. Ego aliquoties quartanam, Dei auxilio, quarto menſe, interdum ſexto, interdum etiam octauo curaui, hocque factum fuit ante annum, cum haberē Ægrotum, intemperantem valde, qui erat ſenex, & veniebat in periculum hydropis, ſed tamen octauo menſe euadebat. Illi ego plus quam decies Theriacam porrexi ſenſim purgando & fomentando, corpus ſed abſenti nihil certi præſcribere licet. Præſtantiſſimi medici præſentes ſua prudentia omnia gubernabunt & mihi, vt amici, ignoſcent, qui ſine dubio meeum quotidie acriter cogitant, & ſe defatigant, in curanda vxore, ad quod Devs pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſucceſſum tribuat. Optamus autem ex animo, vt hic annus felicior tibi euaniat & exeat, quam prior. Vale. Norinbergæ die natali, Anno 1559.

Post Scriptvm.

Fiat. quod debet, ſi vires conſtant, tamen ſucceſſiue, cum fomentis & aliis, alioqui vires concidunt, nec poſtea locus eſt medicamentis, præſertim ſi adſunt ſymptomata, quæ vires debilitant. Quamprimum aliquo modo corpus videbitur euacuatum, occurrite vigori & calori febrili, quod fiet per Theriacam nouam. Lege quæ Trallianus in fine de febre quartana dicit. Quid effecerim, aliis prædicandum relinquo. Res ipſa declarat, ſequor rationem, & methodum, & vtor expertis. Si à reliquis medicamentis abhorret, habeo medicamentum lene & delectabile, de quo dantur ℥ ij. Eſt decoctio de myrobal. de Helleb. ipſius Montani. Sed loco ieri vtor aqua borragin. & bugloſſæ. Poſt facio quinquies infuſionem violatum recentium, & ita paraui ſyrupum, quo vſus fui centies cum laude. Loco violarum recentium poſſunt accipi cōſeruæ. Doctor Meurerus nouit ſine dubio illam deſcriptionem, eſt in conſiliis de morbis melancholicis. Iterum vale.

Decoctum [illegible] Monta[illegible]

EPIST. XCVI.

Idem Eidem

QVæ de valetudine vxoris, & filiæ ſcribis, non ſine dolore legi. Hac in re ſi conſilium meum quid prodeſſe poterit impertiam. Quod ad vxorem attinet, velim vt ſemel, aut bis vteretur Electuario vitæ, cuius deſcriptionem mitto. Et cum ſciam cauſam morbi præcipue eſſe ab obſtructione meſaraicarum, propter ſtomachum frigidum, & epar calidiuſculum, & propter venarum anguſtiam; velim vt poſt euacuationem ſumeret ʒ j. aut ℈ ij. Terebinthinæ opt. bis aut ſemel in ſeptimana, vel cum oblata, vel cum medulla pomi aſſati. Ego plane non dubito malum, ſi non plane tolli at multo melius fieri poſſe. Deſcriptio autem ſit talis:

Terebinthina & Chalybis vſus in obſtructionibus meſaraicarum venarum ſingularis.

℞. Terebinth. Cypriæ ℥ ß.
Lauetur aqua abſinthii, & rutę ana per vices quatuor, deinde add.
Pulu. Cinnamom.
Nucis Moſchatæ an. ʒ ß.
Ol. amygd. dulc. recent. ʒ ij.
Miſce.

Non reperi melius remedium. In difficilibus, & antiquis, tum meſaraicarum venarum; tum epatis atq; renum obſtructionibus. Interdum ſolemus addere puluerem chalybis præparati; quem an Medici Lipſenſes in vſu habeāt neſcio. Hoc ſcio qood Epar & ſplenem egregie aperiat, ſi Terebinthinæ additur. Quod ad filiam attinet, ſcio ipſam laborare obſtructionibus, & menſes deficere, in hac recta ſoleo procedere. Primum omnium euacuo latas & communes vias, tali medicamento;

Chalybs præparatus.

Obſtructio menſium.

Potio purgans.

℞. Radic. Rhabarb ʒ ß.
Turpeth. veri. ℈ iiij.
Agaric. Troch. ℈ j.
Zinziber.
Galangæ.
Calam. aromatic. an. ℈ j.

Contuſa infunde per noctem in aqua betonic. artomiſ. vino an. ſ. q. Colaturæ.

℞. ʒ ij. ß. cui add.
Syrupi roſat. ſolu. ℥ ij.
Diagryd. g̃. ij.
Aq. cinnamom. ʒ j.

Miſce pro hauſtu. Sumatur bis vel ter, prout opus fuerit, iudicatum à Medico præſente. Primis venis euacuatis per nouem dies vtatur iſta infuſione;

Vinum medicatum.

℞. Herb. artemiſiæ m. j.
Saluiæ ℥ j.
Radic. rubiæ tinctor. ℥ ß.

Contvsa omnia ligentur in Sindone, & infundantur in vini abſinthii, ℔. ij. per noctem. Quod ſi vino abſinthii addantur radices Helenij, & roſæ, eo efficacius

ćius erit medicamentum. De tali vino bibat mane ʒ ij. aut iij. Deinde ſi vrinæ incipiunt craſſeſcere rurſus purgetur. Sequentibus diebus, cum tempus menſium appropinquat, ad fortiora aperitiua deueniatur, inter quæ eſt illud, quo ego liberaui duas virgines hoc anno, quarum altera Dn. vicini mei filia erat in via ad hydropem. Neq; enim habuerat menſes intra annum cum quadrante. Hoc autem eſt tale.

℞. Herbæ Sabinæ M. ß.

Bulliant in vini ſ. q. & coletur diligenter per filtrum, deinde:

℞. Terebinth. opt. Cypr. ℥ j.

Lauetur ter decocto ſupraſcripto. deinde ſemel lauetur aceto ſcilliitico, poſtea admiſce:

Puluer. Rubiæ tinctor.
Caryophyllor.
Macis. an. ʒ j.
Ol. amygd. amar ℥ ß.

Miſce cum ſaccharo ad pixidem. De hoc medicamine ſeptem diebus ante tempus menſium, ſumat quotidie ʒ j. ſiue in oblata, ſiue in medulla pomi aſſati, & ſuperhauriat hauſtum cicerum rubeor. cum pauco croci. Aduenrantibus menſibus, veſperi & mane lauentur & fricentur pedes cum decocto artemiſiæ, pulegij, & huiuſmodi, & ſi opus eſt fiat phlebotomia in ſaphenis. Ab hac cura non erit deſiſtendũ donec fluant. Poſſunt quidẽ aliquot dies interponi, quibus quieſcat; ſed illa erit vera ratio, & melius habebit. Subiicio tamen omnia etiam cenſuræ D. Meureri, quem ſcio à mea ſententia non diſceſſurum. Vale Norinb. 20. Decemb. Anno 1557.

EPIST. XCVI.

IDEM EIDEM.

Cura cæcitatis ex obſtructione neruorum opticorum.

IN proximis tuis literis incluſa erat ſchedula, qua petebas rationem curandi ſuffuſionem Rallæ abſque Chirurgia. Quia vero abſenti conſulere difficile eſt, cum neſciam, an ſit illa cæcitas ex ſuffuſione, an ex neruorum opticorum obſtructione, nihil conſulam, ſed præſenti medico relinquam. ſed rationem dicam, qua curaui ſeptuagenarium ſenem cæcum ex obſtructionibus neruorum, & puerum decem annorum. Septuagenarius recuperauit viſum duobus menſibus; Puer vero poſt quartum menſem. Primo ordinaui diætam, prohibui lacticinia, piſces, cæpas, raphanos, ſinapi & omnia ec[illegible] oramia, Pro potu ſeni vinum lymphatum cum aqua feniculi & Euphraſiæ conceſſi. Puero vero feci hydromel cum paſſulis, ſemine feniculi & Euphraſiæ. Poſtea acceſſi ad curam, Primo totum corpus euacuaui Caſſia, atque poſt exbibui ſyrup. de ſtœchade, & de betonica, cum aq. feniculi & Euphraſiæ, & tandem feci infuſionem Agarici. Corpore enacuato acceſſi ad vſum pillularum lucis, quarum exhibui ℈ ij. formando ex his pillulas num. iij. cum aq. feniculi & oleo feniculi. Exhibui ter à cœna per quatuor horas. Hoc facto acceſſi ad particularem euacuationem capitis. Mane iuſſi per horam maſticare quinq; grana Maſtichis cum Zinzibere. ſeni, qui maſticatione vti non poterat, ordinaui gargariſmum, ex radice pyrethri, Agarico, Zinzibere, ſem. ſtaphyſagoræ. Hoc facto per dies aliquot, cum oculi viderentur humidiores ob effluxum, reuulſione ſum vſus, applicans ceruici prope occiput ſem. ſinapi & naſturcii cum fermento. Caput ieiuno laui lixiuio mixto cum vino, in quo bullire feci betonicam, euphraſiam, rutam, maioranam, folia ſenæ, & agaricum. Agarico ſum loco ſmegmatis vſus. Hac lotione ſum vſus alternis diebus. Et cum lotionem capitis incepi, ordinaui etiam fomentationem pro oculis à leuioribus incipiens primum feci hoc decoctum;

Fomentatio.

℞. Herb. Melilot.
Verbaſci.
Altheæ.
Flor. chamomel.
Roſar. an. M. j.
Semin. Fœnugr. ℥ j.
Fenicul. ℥ ß.

Decoq. in aq. lib. v. ad tertias. colaturæ adde

Mellis ℔. ß. Miſce.

Hanc fomentationem decumbenti in lecto adhibui cum ſpongia noua, mane poſt maſticationem, non nimis calidam, per vnam horam. Poſt ſeq. Collytio iuſſi vti.

Collyrium.

Aq. fenicul.
Roſar.
Euphrat. an. ℥ j.
Ol. myrrhæ ℈ j.
Tutiæ præparat. ʒ j.
Camphoræ ℈ ß.

Miſce pro Collyrio. Hoc ſæpius in die iuſſi vti, non tamen ſtatim à cibo.

Poſt ſeptem aut nouem dies ad fortiora acceſſi. Pro fomentatione ſumpſi herbas fortiores, nempe marrubium, centaureum minus, rutam, feniculum, & huiuſcemodi. Collyrium etiam fortius feci, addendo aliquot guttas ol. feniculi deſtill. & parum de ſucco anagallidis. Tandem poſt menſem adhuc ad fortiora aſcendi,

adiiciendo prioribus berbis in fomento, cyclamen, Helleborum album. Et collyrium etiam fortius feci, addendo ad aquas ſuccum cæparum cum melle. Nec veritus ſum etiam cæpas ipſas ſub cinere coctas cum optima Theriaca mixtas, pro emplaſtro per integram noctem apponere. Hæc fuit mea methodus, qua multum profeci. Sed tamen ſingulis ſeptimanis ſemel ʒ ß. pillul. Lucis exhibui. Poros capitis apertos tenui, poſt pectinationem adhibui ſuturis iſtam aquam;

Emplaſtr.

℞. Aq. vitæ ſimpl. opt. ℥ iiij.
In qua infund.
Pulu. Cinamom.
Caryophyllor.
Anacard. an. ʒ j.
Fiat colatura, ſeruetur in vitro.

Et quia magna eſt ſympathia pedum cum capite, ſemper cum herbis calidis exiccantibus, veſperi & ante cibum lotionem pedum inſtitui. Habes meam curam, quæ nihil habet ſingulare, forte præſens Medicus meliora habere poterit, Sed ordinem hunc tamen ſeruabis. DEVS gubernet omnia ad gloriam nominis ſui. ſalutato Rallam. Vale.

EPIST. XCVII.

D. MELCHIORI FENDIO MEDICO *Wittebergenſi, Hieronymus Schaller Phyſicus Noribergenſis.*
S. D.

QVOD nuper literis tuis, Vir ornatiſſime, non reſpondi, in cauſa fuit, quod tum multis negotiis, iiſque moleſtiſſimis occupatus eram. Quare ſi inique tuliſti meum ſilentium rogo vt ignoſcas. Iudicaui enim ea, de quibus inter nos conferendum eſt, ſine rerum vtriuſque noſtrum diſcrimine moram poſſe pati. Petiiſti à me prioribus tuis literis, vt te certiorem reddam, quid in vniuerſum de Theriaca quam ſuperiori anno compoſuiſti ſentiam. Sed ne videar tibi rem ignotam commendare, ecce ſubſcribam obiter totam eius Theriaces meæ deſcriptionem, vt tu quoque inde certo conſtituere poſſis, quid boni ex eius vſu ſperandum ſit: tum etiam quam prope ad veterem illam Galeni accedat. Eſt autem deſcriptio hæc:

Trochiſci Hedychroi.

℞. Ligni aloes loco radicis Aſpalathi. ʒ j. ß.
Flor. ſchœnanthi ʒ j.
Calam. aromatic.
Coſti amari quem ſi non licuiſſet habuiſſe, accepiſſem Enulam campanam.
Phu. Romani.
Aſari an. ℈ ij. g̃. v.
Canellæ el. ʒ vj.
Tantum pondus canellæ loco & cinam. & caſſiæ poſitum eſt.
Rad. acori aromatici loco amomi teſte Auic. ʒ iij.
Amarici, id eſt, maioranæ tenuifoliæ ʒ ij. ß.
Rad. ſpicæ nardi ʒ ij.
Macis loco Malobatri teſte Auicena ℈ ij. g̃ v.
Galenus loco folii ponit nardum.
Myrrhæ elect. ʒ iij.
Maſtich. ℈ ij g̃. v.
Rhabarbari loco pontici,
Croci an. ʒ j. ß.
Cum vino albo fiant trochiſci.

Sic quoque trochiſci ſcillini iuxta Galeni mentem magna cum diligentia ſunt præparati.

Trochiſci viperini omiſſi ſunt, in quorum locum non ſuaſerim, vt accipiantur abſurdi illi paſtilli dicti Trochiſci loco trochiſcorum de Tiro, à Venetianis Medicis olim ſubſtituti. Præterea mihi penitus perſuaſi neq; id ſine ratione, imo cum autoritate Galeni, Antidotum hanc ſi ex rebus efficacibus debita præparetur, etiam abſque carne viperæ omnia poſſe, quæ ab antiquis ei attribuuntur, hoc ſolum dempto, quod in morſibus viperarum non tãtum auxilii præbeat. Sequitur tota compoſitio, ſicut à me eſt cõfecta.

℞. Troch. ſcillinorum ʒ xxiiij. Theriaca Schalleri.
Hedichroi, quos Arabes Alindaracoron vocant.
Piperis nigri.
Lacrymæ papa. Thebaici an. ʒ xij.
Canellæ loco & caſſiæ & cinna. ʒ xv.
Roſar. ſiccar.
Scordii, non Cretici, ſed quod hortus meus profert haud pœnitendæ qualitatis.
Sem. Napor.
Irid. Illyricæ.
Agaric. elect.
Succi liquiritiæ.
Olei caryophyll. quod locum Balſami ad ſummum obtinet, in caliditatis tamen temperamento longe excedit balſamum. an. ʒ vj.
Myrrhæ.
Croci.
Zinziber.
Rhabarbari, loco pontici.
Rad. pentaphyll.

Nepe-

Nepetæ.

Praſſij.

Petroſelinum ſylueſtre.

Sem.petroſilini, non Macedonici, ſed apud nos in locis ſylueſtribus prouenit, ſemen eſt exiguum, ſed inſignibus prædìtum qualitatibus,ſicut mihi ex diſſolutione partium eius patet.

Stœchad.

Coſti amari.

Piper.albi,immaturi ſcilicet. longi.

Dictamni Cretici veri, folium habentis acre,lanugine prorſus obductum.

Schœnanthi.

Thuris.

Reſinæ laricis, loco terebinthi. Nam tametſi reſina terebinthina in ptomptu fuerit: ita tamen vetuſtate exoluerat, quod iam quodammodo ſicca apparebat, reſolutis ſcilicet aqueis & aereis partibus.

Nardi indicæ an. ℥ iij.

Polii.

Seſeleos.

Stotae.calamit.

Sem. Naſturtij loco Thlaſpios. Nam hactenus non vidi herbam quæ Thlaſpi per omnia reſponderet.

Ammi.

Chamædr. floſculo purpureo.

Chamepith. ſiue aiugæ.

Hypocyſtidis ſuccus.

Succi hypocyſtid. In hoc ſucco vt verum fatear, ſatis & dubij & difficultatis eſt.

Macis,loco Malobathi.

Nardi Celticæ.

Rad. gentianæ.

Sem. aniſi.

Feniculi.

Terra ſigillata falſa.

Boli armenæ, ſummo ingenio ablutæ & præparatæ, loco terræ illius ſigilatæ & albæ, & ſubcitrinæ, quæ hodie mera impoſtura ſunt. Nam cum bolus Armena à Galeno ita extollatur, & nos eius vires inſignes indies experiamur, cur ergo illam non ſumerem potius, quam incertum illud lutum?

Chalanti torrefacti, iuxta Gal. mentem, ſic vt colotare antidotum poſſit. Accepi autem chalcantum loco chalcitheos illius foſſilis, cuius venæ, quod mihi conſtet, nulli hodie extant, ipſis tamen viribus non differt chalchanthum à chalcide, niſi maioris & minoris diſcrimine, tum etiam ratione puritatis, & impuritatis.

Chalcanthi & Chalcitidis differentia.

Phu Romani.

Hyperici.

Acaciæ. Hic coactus ſum ſumere ſuccum illum agreſtium prunorum.

Gummi Arabici.

Cardamom. an. ℥ ij.

Rad. acori aromatici ℥ iiij,

Obamomum, & ſemen balſami, quibus ſemper carere cogimur, adanxi pondus acori aromatici.

Sem. Dauci, non cretici, ſed noſtratis.

Galbani.

Sagapeni.

Succi panacis Herculei.

Aſphalti.

Caſtorei.

Centaur.min.

Ariſtoloch. longæ vetæ a. ℥ j.

Mellis deſpumati pot. ℔. iij.

Vini Cretici q. ſ. ſcilicet circiter ℔. xv. ſ. ſecundum doctrinam Galeni commixtio.

Opium.

Veteres ratione carnis viperinæ & opii in theriaca ætates maxime obſeruarunt. Nos ſolummodo opium obſeruare conuenit, quod vbi crudum, vt ita loquar, & grauem odorem remiſerit, ſtatim incipio vti hac mea theriaca. Accelerat enim fermentationem ipſum oleum garyophillorum, ac ſtupefacientem opii qualitatem propediem reprimit ſua intenſa calìditate, & aſtrictione, & vi aromatica. Quare ab eius vſu non abſtineas, hoc tamen inprimis obſeruato, ne quis ipſam bene purgato corpore ſumat. Potenter enim diſſoluit humores. Sic enim cum laude indies illa apud meos vtor, quod iam cogar nouam moliri compoſitionem, quæ in multos annos ſufficiat. Porro non abs re me feciſſe æſtimes, quod oleum caryophyllorum loco balſami antidoto impoſuerim. Video enim in theriacis Arabum baſin obtinere garyophyllos, vt quibus procul dubio proſpecta fuit vehemens, inſignis, & nobilis ipſorum natura, quæ ſuperare, excepto cinnamomo, omnia teliqua aromata facile videntur. Hoc oleum etiam præſtat vulneribus, vt illorum dolorem, ſi mox indatur, ſtatim ſedet, & abſque inflammatione ad cicatricem perducat. ſordida mundat vlcera, fluxiones, & virus ſiſtit adeo, quod nihil ſupra. Soleo quoque eo vti feliciter in quartana febri, in chronica debilitate ventriculi, in Diatrhœa, & eiuſmodi morbis, in quibus calefacere, aſtringere, & robotare conuenit. Vltra guttulas duas aut tres raro exhibeo in vino. Non innatat, ſicut reliqua olea ſolent, liquoribus modo concutiatur, ſed fundum petit, in modum lachrymæ balſami, ac ſubſidit. Tu eius ſpecimen à me accipito beneuolo animo, & vtitor cum diſcretione. De Mucch aro roſarum, vtet melius confecturus ſit certabimus ad futurum ſemeſtre, Deo concedente. Interim feliciſſime cum coniuge honeſtiſſi-

Ol. Caryoph. accelerat fermentationem.

Oleum Caryophillorum loco balſami.

ma vale, & omnes amicos diligentiſſime ſaluta. Norinbergæ. Martij die 24. Anno Chriſti 1538.

EPIST. XCVIII.

HIERONYMVS DONZELINVS *Medicinæ Doctor, Iohanni Cratoni Medico Cæſareo,* *S. D.*

Chymicorum in chronicis vſus.

DE chymicis tecum ſentio, nec ego illis vtor, niſi in chronicis quibuſdam, de quibus meam ſententiam intelliges breui, cum leges libellum quendam à me nuper editum contra quendam Empiricum chymicum, qui librum edidit, cui titulum fecit. Il flagello di Medici rationali, Italica iſta ſunt. Ego alieno nomine ita illum tractaui, vt illum ſuæ audaciæ pœnituerit. Accipies cum Trincauellicis. Illic chymica exagito, ac mirum quantus inter nos ſit conſenſus de his rebus, de quibus tamen nihil vnquam contulimus. Ego mira parari ſcio à ſpargiricis, at vſum eorum minime tutum puto. Tu vero non credis chalcanti oleum ſine igne parari poſſe; ſed accipe rationem, qua ego paratũ vidi; Teratur vitriolum ſubtiliſſime, illi ſuperfundatur acetum aliquoties deſtillatum & exiccetur, tum ſiccum in loco ſubterraneo ponatur in vaſe decliui, prodibit oleum. Hoc ſpargiricus à me doctus parauit, & ego vidi. Non eſt quidem res tam valida, atq; illud quod igne elicitur; ſed tamen chalcanti oleum eſt, & vires aliquas habet, alterius tamen comparatione tenues. Sed accipe aliud ſpargiricum miraculum; Teratur ſulphur ſubtiliter, ſuperfundatur illi oleum Tartari, decoquatur donec albeſcat, tum coletur ſuper aquam frigidam, in fundo reſidebit ſulphur, quod extractum ſoli exponatur, & ſiccetur. Hoc tuto intra corpus exhiberi poteſt ad multa vtiliſſimum; in hydrope: Idem ſi ponatur in loco humido ſubterraneo, oleum ſulphuris reddet. Ego aliquãdo libros omnes Paracelſi apud me habui; ſed cum ex eorum lectione nihil proficerem, pro aliis permutaui, nec in mea Bibliotheca tales libros hærere volui, qui nihil docerent. Ac puto, ſi quid dignum vnquam ab eo dictum aut ſcriptum eſt, id ab Aodernaco in ſuos libros fuiſſe translatum cum cenſura, licet ſæpe ipſe etiam cenſendus ſit. Cum his literis accipies tres vocias optimi ladani. Siquid aliud cupis, mone, ac ſtatim me habebis paratiſſimum. Marinellus dicit, ſe vti ladano per os ſumpto, exigua quantitate ad ventriculi robur. Nam plane Melancholicus eſt, ac nemini cedit τέτωτῷ ...ῦθη. Theriaca autem ſe tuetur, qua vtitur, tamquam pane, iste amanter ſalutat. Scribit Zuingerus ſe triginta tomos ſui Theatri emiſſurum. Interim de Hippocrate nihil. Sed Sylburgius affirmat Pariſiis quendam bene doctum totum Hippocratem elaborare, cui ego meas emendationes græci exemplaris communicaui. Interim etiam Mediolani alter Medicus eruditiſſimus idem molitur. Vale. Venetiis 10. Martij, Anno Milleſimo, quingenteſimo, octogeſimoquinto.

Oleum Chalcanthi abſque igne.

Sulphur preparatũ.

Andernacus Chymiæ ſtudioſus.

Ladanum.

Theriaca.

EPIST. XCIX.

IOHANNES CRATO A *Kraftheim, &c.* N. N. S. D.

SVPERIORIBVS proximis diebus mentionem feciſti de quatuor elementis ex chelidonia arte chimiſtica extrahendis. Reſpondi tunc me neſcire in quam partem chelidoniæ vocabulum ſit accipiendum. Nam & de herba, & metallica operatione chimiſtas vſurpare. De herba cum dictum intelligerem, non potui in temporis anguſtia meas cogitationes explicare. Eas igitur nunc hoc ſcripto expono. Dum menſe Maio chelidonia flores, ſub pleniiunium in locis aridis tota herba nouem librarum pondo colligitur, & huic libra vna ſalis torrefacti apponitur, atque in vitrum diſtillatorium capax coniicitur, & per quindecim dies in fimo ſepelitur dum putreſcat. Deinceps vitro alembicus imponitur, atque luto communitur, & primo in balneo deſtillatur herba cum radicibus. Quod per hanc deſtillationem extrahitur à Chimiſtis aqua appellatur. Idem deinceps vitrum cum herba cineribus imponitur & liquor, qui deſtillando exprimitur, aër dicitur. Tertio idem vitrum arenæ, aucto tamen igne, imponitur, & liquor crocei coloris, qui exit, ignis nominatur. Quod in fundo vitri vel ampullæ remanet, terram eſſe nemo ignorat. Hæc de quatuor elementis chimiſtæ glorioſi, & tanquam de ſecreto loquuntur multis ignoto. Aſſeruant autem quemlibet liquorem ſeorſim, &, ne quid expiret, cauent. Primi liquoris ſeu elementi aquei vſus exiſtimatur, quod intra corpus ſumptus omnes humores corruptos & pernicioſos corrigat & educat. Præcordia autem maxime adiuuet, & pulmones ab humorũ infarctu liberet. Ac ſi pulmo in aliqua parte ſit læſus, ſubſtantiam pulmonis ſanet. 2. Vulnera ab omni corruptione conſeruet. 3. In omnibus ægritudinibus, ſi per no[illegible]em dies ex aqua bugloſſæ matutine bibatur,

Quæ ſint ea quatuor ita appellata & decantata à Chemicis chelidoniæ elementa.

Aqua.

Aer.

Ignis.

Terra.

Et quas vires primum celebrant.

vas

eas vires natura addat, vt morbum ſuperet. 4. Quotidianum vſum ſanum validumque corpus conſeruare. Atque hæc de primo elemento iſti homines, qui ex fumo aurum captant, & fumos vendunt, prædicant. Pulmonibus hanc aquam conferre fateor. Alterum liquorum aerem dicunt. Enm vſque adeo ſanguinem augere cenſent, vt niſi quis vel maritus ſit, vel crebro ſanguinem mittat, ex plenitudine periculum ſentiat. Nunquam feci periculum, neque facere velim. Experiatur qui volet. Addunt hæc, ne debilitari quidem eos, qui iſto liquore vtuntur. 3. Expurgare melancholiam, & omnem humorem ſuperfluum. In perpetua iuuentute & vigore homines conſeruare, atque formæ bonum ſtabile reddere. O rem pretio dignam. 5. Neruis robur addere, & venarum ſanguinem ab omni vitio liberare. 6. Suffuſiones & oculorum vitia non modo corrigere, verum plane tollere, ſi per vnum menſem liquor ille ſingulis dieb. oculo imponatur. Itaque & cæcis viſum reſtituere, ſi ſe in loco ab omni ventorum flatu & aeris iniuria libero, contineant.

Vires elementi ſecundi.

Prodeſſe viſui hanc herbam omnes, qui de re herbaria ſcripſerunt, docent, & hirundines viſum ex hac herba recipere teſtantur. Itaque recte hunc liquorem oculis inſtillari poſſe exiſtimo. Tertius liquor, ſeu elementum ignis, vt iſti loquuntur, ad iſta omnia, de quibus iam antea dictum eſt, cōferre exiſtimant. Adducunt autem hoc in paralyſi linguæ, & vſu ſermonis amiſſo conferre, ac iam anima deficientes ſpiritum recipere, ſi cum aliqua cordiali aqua, vel cinnamomi aqua ori iniiciatur. Spiritus exhauſtos reſtituere. Senectutis incommoda, ſi ex vino quotidie ſumatur, non modo tollere, verum è ſenibus iuuenes reddere. Simili modo exhibitum peſte infectis præſtāntiſſimum remedium eſſe. Habes arcana chimiſtica, & his plura ſi ſcire deſideras, libenter & liberaliter ea communicaturus ſum. Vale. Anno 1580. die 26. Februarii.

Vires tertii.

EPIST. C.

Io. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

N. N. S. D.

Pro præſeruatione, ſenes in primis non purgandos eſſe: ſed lenitiua [illegible] ſumendum.

QVÆSITVM fuit, Rectum ne eſſe videatur, hominem in declinante ætate conſtitutum, ſanum vt nunc, occupationibus grauibus diſtentum, in coniugio atque victum non ſatis temperantem, quotannis præcautionis cauſa medicamentis ſcammoneatis & electiue, vt loquuntur, ducentibus purgare. Ad hanc quæſtionem reſponſum, primum cacochymiam indicare vacuationem per medicamenta, atque eam quæ cum plenitudine coniuncta ſit, vt morbum factum, certis indiciis videatur. Certa indicia imminentis morbi non indicari in hoc corpore. Ergo me in iſta ætate electiue purgantium medicamentorum, videlicet quæ ex ſcammonea, turbith, colocynthide componuntur, vſum non poſſe probare. Secundo in declinante ętate abſumi per ſe humidum radicale, & calorem innatum debilitari. Vtrumque vero adhibitis fortiſſimis medicamentis non fruſtra metui. Medicamenta enim iſta valide ſiccare, & cum humores malo[s] educunt, ſimul natiuum, cui calor inſid[et] [a]ffligere. Deinde cum ſint calida, ſuo ca[lo]re, qui minime eſt temperatus (ſolo enim temperato calore innatus calor fouetur) natiuo calori vim afferre. Tertio, in cruditatibus & vſu veneris, nulla ratione indicari purgantia medicamenta. De crudis enim nullum eſſe dubium quin coctionem indicent: venus vero cum ſpiritus exhauriat, & caput ac ventriculum inprimis afficiat, quo pacto ſimile nocens ſimiliter nocenti, iuxta regulā adhibemus? Quarto, Regula generali nos vti, in præcautione adhibenda medicamēta κατὰ τὸ μικρόν. Quid autem in catapotiis aureis & eochiis non maximum, ſi purgandi intentionem reſpicias? Quinto, Medicamenta electiue (vt loquuntur Medici) ducentia, non ſolum noxia eſſe ventriculo, quod calorem præter naturam excitent, verum etiam malignam qualitatem, qua vitioſi humores attrahantur, inducant. Itaque paulo poſt tales purgationes ventriculum prauis humoribus repleri. Sexto, rectam victus rationem, ſecundum Hippocratis ſententiam tutiſſimam eſſe medicinam. Ad hæc quid reſpondeatur. Primum ait, ſe non ex euentu, qui opinione proſperior fuit, neq; ex authoritate, quæ Achillis ſit, ſed natura rei & methodo contrarium velle oſtendere. Neque initio de temperamento corporis vult conſtituere, cum ante annos prope triginta ego luculenter de eo ſcripſerim. Promittit deinceps ſibi victoriam, ſi modo adhuc medicinam Hippocratis & Galeni profiteatur. Deinde de curatione febris ephemeræ agit, & plenitudine, cuius index fuerit catarrhus, ſe adductum, vt catapotia aurea atque cochia exhiberet. Reprehendit cunctationem medicorum, & de ſua animoſitate loquitur, atque de curatione methodica catarrhi agit. Hæc nobis conſideranda. Nihil propemodum

Febris ephemera.

ad rem Medicum illum dicere apparet, & me nimis inclementer tractat, cum in illius facta nunquam inquiſiuerim, nec inquirere voluerim. Mitificam autem ſuæ artis medicæ ſcientiam prodit. Totis viginti octo annis (tot enim ſunt, cum ego Heinzelio conſilium illud ſcripſi) temperamentum non mutari, cui obſecro veriſimile videtur? Itaque cum ex rei natura & methodo voluerit ſua demonſtrare, certe fundamentum quaſi hoc ponendum erat. Egregia vero illa conſideratio naturæ rei materiam biliosam in vniuerſo corpore commotam ex animi quadam perturbatione iſto modo cauſam febris ephemeræ ſtatuere, vt expurganda etiam videatur. Nunquam ab Hippocratis & Galeni doctrina diſceſſi, nec diſceſſurus ſum, ephemer vero febrium ab ira & commotione animi ortarum, ſpirituum immodicam calefactionem, non humorum eſſe ab illis didici. Hoc etiam noui, cum vacuatio humorum, non fiat abſq; motu, (non enim nunc dico quod Galenus affirmat, medicamenta omnia purgantia calida) & motus humores ac ſpiritus calefaciat, in ephemera febri purgationem non indicari. Methodicā ne igitur & rationalem curationem, an euentum proſperiorem ſua opinione hic Medicus cōmemoret, doctorum Medicorum eſto iudicium. Ad catarrhi curam quod attinet, videamus ipſius analyſin. Catarrhus eſt ſymptoma, recte. Morbi ſymptomatum cauſæ. eſt autem morbus intemperies frigida atque humida cerebri cum materia. Materia ob multitudinem non poteſt concoqui, ergo euacuanda. Nemo qui prima rationalis Medicinæ principia didicit, hæc negabit, ſed Medico illud probandum fuerat, fuiſſe & multam materiam, vt non potuerit à natura euinci, & ne grauius malum afferret, periculi indicia proferre. Nam non niſi hoc probet, ſtat etiam nunc, materiam fuiſſe concoquendam, & eo ducendam, quo natura vergeret. Non enim vere turget pituita, cum ſit humor frigidus. Peccatum igitur eſſe in methodum reſolutiuam apparet. videat autem quam ex natura rei agat, cum validam naturam & locum affectum validius medicamentū requirere affirmat. Valida enim natura & virtus expulſiua fortis etiam debiliori medicamento adiuuari poteſt, & naturæ morborum Medici. Deinde locus affectus purgationem non indicat. Niſi forte medicamenta ad partem affectā proficiſci hic Medicus opinatur. Eſt autem hæc purgatio reuulſionis ſpecies, qua materia catarrhi à capite trahitur, & reuellere nos poſſe, (reſpicientes πρὸς τὸ κατεπεῖγον) non expectare coctione ſcimus, & beneficio Dei, priuſquam Medicus ille Medicum libellum attigit, didicimus. Nihil igitur de ſua audacia commemorabile narrat. Neque regulam, concocta medicari oportet, &c. euertit. Nec de ſua confidentia tam glorioſe loqui debebat, cum peruulgatum ſit, magnæ Medicinæ partem audacia conſtare, ſiue cunctādum ſit, ſiue accelerandum, ſemper naturam & rationem ducem ſequor, & tam mihi potentia medicamenta, & eorum vſus rectus, quam huic Medico nota ſunt. In acutis morbis nullus vnquam me cunctari vidit, nec in chronicis ceſſator fui, plures fortaſſe ægros, quam hic Medicus aſpexit, beneficio Dei ſanitati reſtitui. Cum D. Achille non eſt mihi negotium. Ne hunc igitur admiſceat. Nunquam hic Medicus curationes meas, (quod ſciam) inſpexit. D. Achilles ante triginta annos apud ęgros mihi additus fuit, ſi quid is habet, quod reprehendat, proferat. Multa vſu artis interea didici. Neque tamen (vt falſo ille putat) ad empiricos plane me contuli. De coctione materiæ biliosæ & tenuis nimis longum eſſet agere, neque inſtituto noſtro conueniens. Quod ad ſtimulum medicamentorum, vt vocant, attinet, non videndum quid quis dicat, ſed qua ratione dicat, exiſtimo. Agimus de vacuatione quæ præcautionis cauſa adhibetur. De ea ego hoc affirmo, cum eam requirimus neceſſe eſſe, vt de morbo quem formidamus, & eius cauſis conſtituamus, deinde poſſe de medicamento recte agi, cū indicatio, quæ collatio nocentis & conferentis eſt, methodice actioni prælucere debeat. Cæterum quod huic Medico, exhibito purgante medicamento perinde eſt, ſiue per ſuperiora, ſiue per inferiora purget, in Aſclepiadis vel Eriſiſtrati ſchola didicit, & nouum ſe Hippocratis interpretem facit, cum, FACILE ferunt, illi hoc videtur, ſi tribus horis poſt aſſumptum medicamentum æger vomat & in deliquium animi incidat. In Analyſi etiam ſua oſtendit materiam pituitoſam, deinde huius oblitus biliosa vomitu reiecta ſcribit. Accedit deinceps ad ſecundam rationem, & me non primum obſeruaſſe ait, medicamēta purgantia ſenibus obeſſe. Nunquam hoc mihi cogitare in mētem venit. Colligi etiam plura excrementa in ſenibus calore debilitato, quam in iuuenibus ſcimus. De eo antem quæritur, ſint ne id προφυλακτικῇ conuenientiora, recta victus ratio & exercitia tempeſtiua, quam medicamenta electiue, vt loquimur, & cochiis atque aureis pillulis, quæ ſcammonio colocyn-

Catarrhus.

Nam in ſenibus potior præſeruatio in diæta & exercitiis quam medicamentis electio.

colocynthidem, turbith accipiunt, purgantia, cum beneficio DEI nobis meliora & tutiora ſint oſtenſa. In iſto totius negotii cardo vertitur, concedere quidem nobis Medicus videtur, verum ne erraſſe videatur, ſtatim ad ingenium redit, & illud affert, in hoc caſu, vt loquitur, excrementa vltra tempus (ſua illa verba propono) retenta, plus victus rationem incommodaſſe, quam profuiſſe. Sunt iſta protſus paradoxa. Nam ex victus ratione recta vllum eſſe incommodum inſania eſſe dicere. Naturam autem (id quod & conſtitutum) validam, & viis (vt loquitur Medicus) aptis vltra tempus excrementa coaceruata retinere, & permittere vt calorem ſtrangulent, quam recte dicatur, Medici docti iudicent. Pueriliter autem ineptit, cum medicamenta πρός τι dici, me docet. Sciui hoc fortaſſe prius, quam ille literas didicit. Et hoc ago, hoc vrgeo, vt eam corporis conſtitutionem, quæ poſtulet, vt quotannis talibus electiue purgantibus medicamentis, qualia ſunt colocynthis, turbith, ſcammonea, vti D. Heinzelius debeat, demonſtret, & hoc recte atque cum vera ratione fieri oſtendat. Hic illi ad primam, ſecundam, tertiam, & quartam rationem à me allatam reſpondendum erit. Ad quintam meam rationem hoc adfert. A purgantibus plures congeri humores: abſolute verum non eſt, ſed cum ſex rebus non naturalibus magis delinquitur, qua ratione, qua humanitate iſta dicantur, æqui & iniqui iudicent. Non ago ſimpliciter de purgatione, ſed de purgatione per ea medicamenta, quæ commemorata ſunt, loquor. Ea dico ventriculum qualitate quadam trahendi humores imbuere, ita vt paulo poſt non minus humorum ad ſe attrahat, quam medicamento ipſo præſente attractum fuit. Hoc vt affirmem, tam Græcorum, quam Arabum authoritate adducor. Veras & firmas rationes, quas & Galenus & Montanus euidenter monſtrant, habeo, & experientia hoc edoctus ſum. Neque tamen ἁπλῶς & ſimpliciter hæc medicamenta reiicio, ſed in loco, & cum meliora ad manum non habemus, laudo. Commendare vero glandes frugibus repertis inſcitia eſt. Non iam agimus de neglectu ſex rerum non naturalium, de quo à Galeno noſtro ita monemur: Qui rectam victus rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præſcribere ſuperuacaneum eſſe. Quod vero addit Medicus de refrigeratione caloris, ſi ex accidente hoc intelligit, largior illi: ſi ſimpliciter, phyſica principia eum ignorare exiſtimo. Ac impropric dicitur, cruditatum prouentum augeri à medicamento. Neque declaratur quid ſit illud, vrgens malum quo poſthabito ſit purgandum. Profecto ſi doctrinæ Hippocraticæ & Galeni ſtudioſus eſſet, & ex fontibus potius, quam lacunis Medicinam hauſiſſet, aliter ſentiret, & de re Medica ſcriberet. Poſtremam rationem Hippocraticam inuictam ἐν τῆς τροφῇ φάρμακον τὸ ἄριστον probat. Meum vero exemplum quod amico propoſueram, qui in iſta hæreſi iuuenis fuerim, vt non putarem me a morbis tutum, niſi crebris medicamentis purgantibus vterer, improbat. Quam ignarus vero ſi aulicorum morum apparet. Totis iam quatuordecim annis alieno modo mihi viuendum fuit, edendum, laborandum, ſomnus capiendus, non quando natura & voluntas hoc poſtulauit, ſed cum dominis viſum fuerit, vbi igitur exacta illa mea diæta? Ait me non catarrhis laboraſſe, cum nihil non mali ab illis ſim paſſus. Viribus corporis denique D. Heinzelium ſuperare. Quid? vel malis oculis vſus eſt, vel me Medicus nunquam vidit. Roborantia deinceps medicamenta quæ ſuo calore paulatim materiam abſumere poſſint, vel calorem natiuum fouere, velit, nolit, admittit. iis vero vti quid negotia, quid vita ciuilis impedit? Concludit ad extremum, non in controuerſiam ſe illud vocare, quod in controuerſia maxime eſt, videlicet, an in iſta vita, in tali ætate. πρὸς τὴν προφυλακὴν recte quotannis medicamenta ita, quæ nominata ſunt, & D. Achilles (id quod nunc primo reſciſco) ſæpe vſurpauit, D. Heinzelius ad annuas purgationes adhibere debeat, an vero mitiora & benigniora illis præferenda. Nam de epicraſi hic agere ineptum eſſet, cum de præcautione ſani vt nunc agatur. Neque catarrhi (de quo nihil prius ſciui) materiam nunc reuellimus, neque temperiem cerebri curamus. Nihil etiam de medicamentoſa victus ratione (quod ſciam) actum eſt. Niſi ...te (quod non memini) potum medicamentoſum, id eſt, vinum cum carduo benedicto vel betonica præſcripſi. Exquiſitam vero victus rationem, quæ omni reprehenſione vacatet, plane non attigi. Quid igitur de lana caprina? Si medicus me hoc mihi ſumere putat, vt ex præſcripto meo præſentes Medici ægrum curent, & poſthabitis ſuis medicamentis, quæ recta ac conuenientia videntur, noſtris vti debeant, magna me iniuria afficit, & de me nimis inconſiderate iudicat. Non addam plura. Moram tibi vir præſtantiſſime geſſi. Cum medico vero, qui tam doctum ſe putat, vt Cratonem contemnere poſſit, ne verbulum quidem com-

mutaturum me amplius profiteor. Subiicio autem iſta non tuo, ſed omnium Medicorum rationalem medicinam amantium & intelligentium iudicio,& me tua cauſa,non Medici,hæc ſcripſiſſe affirmo. Sic igitur cócludo, hominem temperamentum iſta ætate, iſta conſtitutione corporis, qua tu es, ex medicamentis quæ cruditates in corporib. collectas paulatim abſumunt, calorem innatum roborant, recte victus ratione & exercitiis conuenientibus adhibitis, plus adiumenti, quam ex purgantib. medicamentis capere. Qui vero rectam victus rationem tenere nolunt, iis optimam medicinam (vt Galenus noſter ait) præſcribere ſuperuacaneum eſſe. Bene vale,& me ama.

EPIST. CI.

IO. HENRICO HERVVART Patritio Auguſtano, Io. Crato à Kraftheim, &c. S. D.

APVD Xenophontem eſt, Hippiam quendam Eleum, poſt longi temporis obſeruationes, Athenas eſſe reuerſum vt doctrinam Socratis iterum cognoſceret. Qui cum animaduerteret, eadem Socratem ducere, quæ multos iam annos ex eo audiuerat, admiratus primum virum, de cuius doctrina & ſapientia tanta eſſet omnium opinio, veterem cantilenam canere. Eo deinde proceſſit audaciæ, vt Socratem, qui Apollinis etiam oraculo ſapientiæ laude excellebat, contemneret, neque hoc clam ferret, ſed dictis quoque laceſſeret. Huic vero reſpondit Socrates: O Hippia inquiens: οὐ μόνον ἀεὶ τὰ αὐτὰ λέγω, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν. id eſt, imo non tantum eadem dico, atque eadem forma ſermonis vtor, ſed eadem etiam perpetuo meis auditoribus inculco: Siquidem non nocet bis atque ter id dicere quod recte dicitur & diſcentib. vtile eſt: ac potius laudi ducendum de rebus veris & vtilibus eadem ſæpe multumque ſermonem vſurpare,& certa explicandi ratione perſpicua planaque facere. Tales vero Hippias etiam nunc reperiri vbique non eſt dubium, qui cum incidunt in hæc ſcripta.& præſertim in

Montani de ſenſu. conſultationibus à Montano dicta ἀπλότητα illam, & quaſi vniformem docendi rationem reſpuunt,& nos qui iſta edimus & tanquam vtilia cum ſtudioſis rei Medicæ communicamus, ſuauiter derident. Hos autem vt ὑπερόπτας τῶν εἰωθότων, καὶ δούλους τῶν ἀτόπων, id eſt, contemptores ſolitarum,& abſurdarum opinionum ſeruos miſſos faciamus, & interim mirificis ſcriptis, quibus veterum doctrina cóuellitur,& neſcio quę nouæ ſubſtructiones ab eis fiunt, quæ rixis & gladiatoriis libellis, in quibus non multum firmitatis eſt, fulciunt: eos delectari patiamur, præſertim cum iſti Hippiæ ſoli ſibi ſapere, & medicinæ artem tenere videantur. Præter hos vero duo ſunt eorum quibus Montanica non placent, medicorum genera: quorum vnum quod videtur ſibi Attica eloquétia præditum, nec tamen eſt, iſta ridet quaſi barbara verba. Alterum in maxima rerum omnium inſcitia contemnit atque reſpuit, & fortunam atque experientiam ſuam iactitat. His animi mei ſenſus eſt explicandus, vt optimi quique pietatem meam atque obſeruantiam erga præceptorem meum Io. B. Montanum perſpiciant,& tyrones in ſtudio Medico aduerſus peruerſa iudicia præmuniantur. Ac ipſe quidem in ea ſum ſententia, vt cum cogitationes mentis oratione explicandæ ſint, atque rerum animu perceptarum verba ſint indices orationis, genus perſpicuum, elegans & proprium magnopere probem,& magnum ornamentum ac adiumentum in docendo ſtatuam. Sed cum ius conſuetudinis præualeat, cum temporib. iniquis hoc ſæpe excludatur,& quaſi auditorio ſeruiendum ſit, ac τὰ κοινὰ κοινῶς dicenda, non puto merito in reprehenſionem eos cadere, qui potius ita dicere malunt, vt intelligantur, quam vel elegantia affectata res obſcurare, vel in verborum ſollicita conquiſitione eas amittere. Fuiſſe autem ſummam vim ingenii in Montano, & ſingularem eloquentiam, ſciunt omnes, qui *Montani laus.* eum nouerunt,& erat in vtraque lingua, elegantioribusque litteris ita verſatus, vt ſi quid vellet, ſplendide & ornate dicere poſſet: id quod ex ſcriptis eius, quæ iuuenis compoſuit, manifeſtum eſt: ſed cum ad docendam artem medicam ſtipendio Illuſtriſſimi Senatus Veneti ampliſſimo conductus eſſet, more ſcholæ dicere, quam eloquentiam oſtentare maluit. Vtebatur autem oratione perſpicua, plana, ac auditoribus accommodata, & vere Socraticum tenebat, vt τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν diceret, id quod in methodica & vera doctrina fieri oportet, & plane neceſſe eſt. Nam non ludendum opinionibus, neque conquiſitas & male detortas authorum ſententias auditoribus obtudendas eſſe putabat: ſed id quod Gale- *Requiſita præcepta Medici.* lenus monet oſtendendum illis præcipue cenſebat, omne præceptum medicum debere eſſe ἀληθὲς, χρήσιμον καὶ ἀκόλουθον. Ac cum interdum cogitationes ſuas, vel propter temporis anguſtiam, vel ſtrepitu auditorum commotus, ſatis perſpicue explicare non poſſet, expoliuit eas altera lectione, & tandem ter-

dem tertia: ſæpe ἀνακεφαλαιώσιν propoſuit, & quid tenendum eſſet, monuit. Id ſi quidam animaduertiſſent, qui Montanica edunt, vel lectiones integras & diſtinctas (id quod nuper in 2. Fen 1. Canonis Auicennæ fecit Franc. Degallottus Regienſ.) dediſſent, atque ita Montanus, vt oſtendi, ſuam defenſionem afferret ipſe, vel omiſſis tot ſuperuacaneis repetitionibus iuſtam συμμετρίαν Montanicorum edidiſſent, in quib. ſi quid eſſet vitii, authori editionis non excellentiſſimo Montano adſcribendum fuiſſet. Vt enim de me dicam, ſi quis iſta, quæ de methodo therapeutica à me ſunt edita, in qua hoc vnum ſtudui oſtendere, primum eſſe debere in actione, quod in inuentione vltimum eſt, reprehendat, fateor, ſi quis forte reſponſionem requirat, eam illi a me deberi. Cumque ſint quidam qui μικρὰ iſta vocent, & quaſi ingenioli noſtri ἔκτρωμα putent, iis hoc reſpondeo, nunquam mihi fuiſſe propoſitum commentarios de iis, quæ à Galeno & Montano copioſiſſime ſunt explicata, edere: ſed ſaltem indicationes quaſdam, meque ſic exiſtimare, methodicos libellos ne debere quidem vagari longius, nec quæ ab aliis ſcripta ſunt, fuſe repetere. Verum, vt Galenus noſter monet, ſignificatione quadam parua oſtendere ea, & in memoriam reuocare. Sed mittamus nunc iſta, & ad inſtitutum reuertamur. Mihi quidem nullum eſt dubium, quin Excellentiſſ. Montanus, ſi videret libellos pleroſque, qui eius nomine circumferuntur, in quibus ἀνακόλουθα plurima cõſpiciuntur pro ſuis non eſſet habiturus, id quod de collatione iſtorum librorum, cum iis quæ ſciente & approbante Excellentiſſ. Montano à Luca Stenglin Medico Auguſtino, primum quidem Patauii, deinde in Germania, opera & ſtudio Caſparis Peuceri viri doctiſſimi, mihique amiciſſimi edita ſunt, facile intelligi poterit. Verum non nunc cenſoris iudicium de aliorum laboribus mihi ſumam, nec vllius voluntatem improbabo, aut operam reprehendam, vel præconium aliquod iſtarum conſultationum, quas nunc in publicum damus, faciam. Illud rei medicæ ſtudioſos moneo, vt Montanum tanquam optimum & præſtantiſſimum methodi artificem & doctorem ament & magnifaciãt, nec eorum clamoribus qui fortunam & experientiam iactitant, ſe commoueri patiantur, quo minus artem methodice diſcant, & omnino alia via atq; ratione ſe artifices fieri non poſſe arbitrentur. Ars enim ſola curat, ſiue ſciens hac, ſiue inſciens vtatur: & ſæpe quemadmodum Hippocrates inquit, euenit, vt qui medicis etiam non ſunt vſi, dum ægrotauerunt, facientes aliquid vel non facientes, conualuerunt: nec tamen alia re quam arte ſeruati ſunt. Quæ enim profuerunt illis, ſiue inedia, ſiue quies, ob rectum vſum profuerunt; quæ nocuerunt, propterea nocuerunt, quod male adhibita ſunt. Hæc artis eſſe non caſus manifeſtum eſt: ſi quis autem furte accepta fortunæ referat, cum illo nequaquam odioſe pugnabo, ſiquidem, vt Hippocrates ait, qui male curantur, incidunt in infortunium, qui bene, bona fortuna vtuntur. Frequenter namque hoc euenire imperitis & audacibus videmus, vt præter opinionem arte vtantur, & natura adiuuante feliciter curent, Deo (vt in Teutonico prouerbio eſt) tutante humanam ſtultitiam. Etſi vero non ſolum credulitate imperitæ multitudinis abutuntur; verum etiam apud magnos viros opinio veritati vim affert: tamen doctorum alia eſt ſententia, quæ dum libere profertur, Dii boni, quam non tantum medici iſti, qui cum Theſſalo atque Olympico εἰς ἄκρον σοφίας, vt Galenus inquit, euecti videntur, verum etiam horum patroni offenduntur, qui quiduis potius quam eruditorum recta & libera iudicia ferre poſſunt. Hoc autem ſiue ſeculi miſeriis ſit annumerandum, ſiue moribus hominum, & quod vt prouerbio dicitur (ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον) homines imperiti facilius imperitos beneuolentia complectantur; ſiue medicis ipſis, qui contra veterum præſcriptum mancipiorum potius modo, quam medicorum, qui vt Galenus monet ægris, ὡς στρατηγοὶ στρατηγουμένων καὶ βασιλεῖς ὑπηκόων eſſe debebant, artem exercere malunt, ſit imputandum non libet inquirere. Illud explicemus, ſit ne arti fortuna anteferenda, ac potius an ſine arte aliquis fortunæ locus in medicina tribuendus, & quid de experientia tyronibus tenendum, vt & contra impoſtores ſint m , & non ſequantur eorum temerariam audaciam, qui præmatura oſtentatione ſcientiæ tument, & quicquid collibuit, vel exiguo tempore ſeſe futuros ſomniant.

Artem fortuna anteferenda?

Fortunam dominari in rebus multi omnibus ætatibus ſenſerunt; & etiamnum quidã Græci ſenarii votum vſurpant; θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον. Sed quid ſit illud, quo hominum actiones fortunantur, & à qua cauſa procedat, varie eſt controuerſum. Alii enim ſtatuerunt eſſe ἀόριστον quiddam plane incommode: alii fortunam ad Deum monſtrantem felices occaſiones, gubernantem actiones & exitus, recte atque præclare retulerunt. Nihil enim fortunatum ſine Deo, vt in tragœdia dicitur:

Fortuna quid.

Digitized by Google

ἄνευ θεοῦ οὐδὲν ἐπιτυχεῖ βροτός. eſtque hoc certiſſimum, ſanationem, & naturæ conſeruationem diuinæ benignitatis munus eſſe, & à Deo gubernari. Id cum ita ſit, proculdubio ii ſoli, qui Devm recte inuocant, fortunati erunt, cum iis tantum adſit Devs. Verum his & manus admouenda eſt, ac diſcenda ſunt neceſſaria recto ordine, & illud quod pietati & iuſtitiæ conuenit, ſequendum. Quam quisquis didicit artem eam exerceat. Qui enim ſibi vel ſumunt, vel ſomniant fortunam, ſine arte vſuque rerum & vel inanes titulos, vel applauſum vulgi ſatis eſſe putant, hos profecto & conſcientia recta, & Devs ipſe deſeret. Sunt & qui inclinationibus fortunatos effectus aſſcribunt, & quandam vim intemperamentis è conſtitutione cœleſti ortam effectricem felicium medicationum arbitrentur. Etſi autem illi non prorſus incommode ſentiant, & cœli vis, in qua ſingulari Dei prouidentia quiddam admirandum & humanæ intelligentiæ inexplicabile eſt, multum felicitati ingeniorum & actionum cōferat: tamen doctrina vim promouet inſitam, & verum eſt illud Græcorum τέχνη τύχην ἔτεξε, καὶ τέχνην τύχη. Ac qui ſine arte freti cœli clementia medicationes exercent, & ſe non modo paucis annis, verum menſibus ſommos factos eſſe ſomniant, horum audaciam infeliciter cadere neceſſe eſt: ſunt vero iſti malis gubernatoribus, vt Hippocr. ait, ſimiles, quorum errores in tranquilitate non facile deprehenduntur, ſed cum tempeſtates inſurgunt eorum inſcitia atque temeritas manifeſte conſpicitur, ſiquidem eiuſmodi medici cum homines curant, nihil graue patientes, aut morbos, qui hominibus familiares ſunt, facile ſuos errores tegunt. Vbi vero magnus, grauis & periculoſus morbus fuerit, tum & illorum delicta & artes manifeſte demonſtrant πηρώσεις atque ipſa exitia hominum. Quare etiamſi magna pars hominum ferantur opinionibus; tamen præſtantiſſimæ artis ſtudioſis illud Hippoc. vtraque manu tenendum:

Artifici non curanda fortuna.

Qui medicam artem recte nouit, minime fortunam reſpicit, & cum hac & ſine hac recte facit. Conſtans enim & firma eſt medicina, & doctrinæ optime conſtitutæ minime fortuna egere videntur. Sic & medicamenta non expectant ſane fortunæ motum in medendo. Ita enim magis ea quæ non ſunt medicamenta, cum fortuna adhibita prodeſſent. Sed patiamur ſane cum Hippocr. rem ſic ſe habere, vt hi ſoli fortunate facere videantur, qui ſciunt, & contra infortunate, qui ignorant.

Fortuna uti eſt recte facere.

Fortuna enim vti eſt recte facere. Hoc vero hi, qui ſciunt, faciunt, non vti fortuna, neque aſſequi hoc, quod velis, eſt id facere, minimeque recte, quod neſcis. Inſcius vero atque indoctus, quomodo quæſo fortunate aliquid ad finē perducet? ſiquidem etiamſi aliquo progrediatur, laudabili tamen ſucceſſu carebit. Qui enim recta ratione in agendo non vtitur, nec fortunate quidem aliquid conſequi poterit, cum multa recte facienda, minime faciat. Atque ex his, quæ de ſententia Hippocr. cuius authoritas tamquam parentis apud ſtudioſos rei medicæ ſumma eſſe debet, retuli, conſtare arbitror, nec fortunam arti anteferendam eſſe, nec in medicatione locum, niſi arti coniuncta ſit habere & ſolos artifices fortunatos eſſe.

Soli artifices fortunati.

Qui igitur curationes ſuas felices eſſe volunt, ii artem ſequantur neceſſe eſt, & ſucceſſus à Deo petant, ſecundum ſapientiſſimi Siracidæ præceptum, qui in curatione valetudinis precationem cum medicatione coniungendam monet.

Medici vero ſolum.

Quid experientiæ tribuendum.

Sed iam nunc quid experientiæ tribuendum, & quem locum in medicina habere debeat cōſideremus. Tres ſectas fuiſſe medicorum Galenus tradit, & oſtendit firmis ac perſpicuis rationibus, cur neglectis methodicis atque empiricis rationalis ſit ſequenda.

Methodici.

Methodici breui temporis ſpacio ſe ſummos in arte eſſe, & alios quoq; efficere poſſe ſex adeo menſibus iactitabant: eratque horum perſuaſio imprudens ſimilis noſtrorum quorundam, qui cū vix diſcipuli facti ſunt, doctrinæ artem inuadunt (Non enim res atque opiniones hominum, ſed tempus atque homines mutantur.) Habebant autem quædam præcepta communia, quæ κοινότητας, id eſt, communitates, appellabant, de fluxu atque aſtricto, iis in omnium affectionum curatione locū eſſe arbitrabantur. Docebant enim relaxata corpora aſtringenda, id eſt σύγκρισιν appellabant: aut relaxandum, fluidumque redendum, quod denſum, nimiumq; obſtrictum eſſet, idque ῥύσιν vocabant. Denique interdum his coniunctim vtendum, & aſtrictionem & relaxationem commiſcendam. Haſque tres vias in omni curatione compendioſas recta cauſarum notitia tanquam inutili ad curationem (more peruerſo & inepto) reiecta ſequebantur. Atque cum nimis compendioſam artem ſuperbe & inſolenter facere vellent, totam deſtruebant. Hos vero refutat Galenus copioſe quem cognoſcere artis medicæ ſtudioſos decet.

Empirici.

Empirici ab experientia dicti ideo ſunt, quia hac ſola artem niti & conſtare arbitrabantur. Eſt autem experientia eorum, quæ ſæpe

ſæpe & eodem modo viſa ſunt, obſeruatio, atque memoria, atq; hinc & τηρητικοὶ & μνημονευτικοὶ empirici dicti ſunt. Noua vero empiricorum ſecta à veterum laude multũ diſceſſit, & ii qui nunc empirici nominantur, atque ſe dici volunt, tantum hinc abſunt, vt ne hoc nomine quidem digni, ſed impoſtorum & nebulonum videantur. Etſi enim illi non minus quam methodici impudenter ſe iactitabant, & vt Galenus inquit, duriores lapidibus erant, ita vt ab illis omnes bonæ rationes ſubiectæ, reſilirent: tamen eorum, qui nunc ſe experientię titulis in Rebuſpub. venditant, quique in rerum omnium inſcitia, ſecreta atq; perpaucis explorata ſe ſcire prædicant, audacia atque temeritas, præſertim ſi ætas & vulgi imperitia eis patrociniũ atque ſuffragium ferat, longe intolerabilior eſt, vt nihil de profligatis hominibus Iudæis & ſimilibus, quos magiſtratus haud ſcio quã recte ferat, dicam. Porro veteres empirici nõ iſtis impoſturis & populari aura ſibi ſuam experientiam conflabant. Verum tres vias, vt Galenus de ſententia Teutæ refert, perueniendi ad ἐμπειρίαν eſſe tradebant, videlicet αὐτοψίαν, id eſt, propriam inſpectionem ſeu obſeruationem: Hiſtoriam, id eſt, rerum circa eadem ſæpius probatarum & obſeruatarum narrationem, & τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, id eſt, de re ſimili ad ſimilem cõuenientem tranſitum. Sed recitare ac refutare ſectarum opiniones non eſt noſtri inſtituti. Cæterum cum ipſe Galenus experientiam alterum crus eſſe dicat, quo ſit inſiſtendum, ſi quis recto pede medicam artem ingredi velit, eoſque hallucinari dicat, qui vel ſola experientia, vel ratione tantum nituntur, cumque non ſolum non reprehendat experientiam, ſed ſe empiricę doctrinę ita ſtudioſum fuiſſe fateatur, vt eam profiteri non dubitet: magnum decus & ornamentum coniunctã doctrinæ atq; rationi experientiam adferre ſtatuo, & eos approbatione dignos iudico qui maximarum rerum vſu & experientia præditi ſunt, quiq; non vmbras rerum, verum ipſas res penitus cognoſcere, & periculum in aliis facere ſtudeant, quod corporib. humanis ex vſu ſit. Ea vero, quæ ſine arte & doctrina eſt, cum Hippocrate σφαλερὴν & pernicioſam, ac cum Galeno nihil a vulgi imperitia diſtare, & periculoſam eſſe, niſi recte tractetur, ſtatuo. Nullo autem alio modo recte tractari poteſt, quam arte adhibita, quæ non tantum ſenſui manifeſta, ſiquidem vt experientia: verum rerum cauſas, ſine quarum cognitione nihil ſcimus, inueſtigat. Cauſæ vero cum ἀφανεῖς dicantur, ſola ratione cognoſcuntur, nihilque eſt aliud medicatio quam remediorum, quæ cauſis ſymptomatum aduerſantur, præeunte viamque monſtrante indicatione, appplicatio. Hicq; nequaquam ſatis eſt ſcire, quid iuuet, ſed cur & quando, quiſq; ſit rectus & tempeſtiuus vſus, idque ſola indicatio præſtat. Eſt enim indicatio, vt Galenus definit, ἡ συμπαρυφισταμένη κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος ἅμα τῇ τοῦ βλάπτοντος καταλήψει ἄνευ τηρήσεως, ἐκ λογισμοῦ. Id eſt comprehenſio aduniens cum re indicante iuuans, vna cum nocente ſimul comprehẽdens, ſine obſeruatione aut ratione. Præcepta enim eius natura per cauſas quod nos mouet ad agendum, ſimul etiam in mentem venit, ſine obſeruatione & ratiocinatione quid ſit agendum, quidve fugiẽdum. Atque hæc mentis comprehenſio, quæ totam actionem medici gubernat ἔνδειξις dicitur. Hanc ſolam tenent artifices, qui res cognoſcunt, vt ſunt; non qui compendia medicorum, aut experientiam imperitorum ſequuntur. Hanc qui non tenet, neque hac tanquam duce vtitur, vel ſe non eſſe medicum, vel magno ſuo & ægrotantium malo artem, quã ignorat, exercere fateatur. Cum vero hac via perueniendum ad artem, à quibuſdam prolixis diſputationib. obruta, multa etiam barbarie obſcurata ſit, atque excellentiſſimus. Montanus eam oſtendere, ac planam & perſpicuam doctrina ſua reddere, & in curationibus ac conſultationibus quaſi manu ad eam ducere diſcipulos ſuos ſtuduerit, volui ego diutinos conatus Viri excellentiſſimi, & ad docendam & illuſtrandam medicinam nati, ſtudioſis hæc quoque exempla proponere, non quod ſciam, ea, quæ ipſe ſæpe non præmeditatus interdum animo ab aliis curis parum vacuo dixit, quæque alii aliter ſcripſerunt, magnopere nominis & exiſtimationis laudem præſtantiſſimi Viri & Præceptoris mihi chariſſimi augere atq; amplificare poſſe, verum quod exiſtimem recte edi, quæ aliquibus, vel potius multis, futura ſunt vtilia. Ea autem qualiacunque ſint, cum iis etiam aliquis noſter extiterit labor, nonnulla etiam noſtra non modica diligentia, Ampliſſime D. Ioan. Henric. Hervvarte, volui tibi dedicata, & inſcripta à me publice apparere, vt tuæ erga me beneficentiæ, & meritorum ſummorum, & grati mei animi, ac obſeruantiæ & ſtudii extaret teſtimonium perpetuum. Bene vale. Vratiſlauiæ 25. Octobr. Anno 1557.

Noua empirica ſecta.

Indicatio quid.

Experientia rationalis.

EPIST. CII.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO *Quirino Schlaher, Nimcæ Domino, Iohan. Crato à Krafiheim, &c.*

S. D.

Votum Platonicũ pax & ſomnus.

PLATONEM duo à DEO Op. Max. precatum fuiſſe legimus, εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, ὕπνον δ' ἐν κήδεσι: pacem inter homines, & laboribus ac curis confecto ſomnũ. Quid enim in rebus humanis pace & tranquillitate melius? Quid in aduerſis ad mentis & corporis virium recreationem optabilibus & ſuauius ſomno? in meis vero infinitis moleſtiis quas hoc biennio ἐπαχθεὶς ſuſtineo, ſępe mihi ſalutare hoc votum in mentem venit, ſemperque cordi fuit, & nunc quoq; eſt Homeri illud εἰς ὅρος ἐκτὶ θεῶν ἐκτ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. Sed vicit fatum, & ſeculi miſeria, ac vtrinq; res cecidit, & cognouerunt tamen optimi quoque, me quantumuis non ſim ἀναμάρτητος, habere, & ad accipiendum & ad deponendas offenſiones animum mollem, & hanc naturæ mollitiem ſecundum Cicer. bonitatis eſſe. Verum οὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ πτεράγαθος, καὶ ἅπαντα σοφὸς ἀλλὰ μόνος ὁ θεὸς τοῦτο τὸ γέρας ἔχει. vt refertur apud Plat. de Simonidis ſententia: etiamſi quidam ſe tales eſſe inepte fingant, atq; ſomniant & mirifice atq; iniurioſe de aliorum ingeniis & factis iudicent. Hæc autem viderit DEVS, qui profecto videt, atq; placidos euentus concedet. Tu quidem opt. Dn. Quirine de meo animo & volũtate optimus potes eſſe teſtis, qui curam & angorem mei animi ſermone tuo leuaſti & dolorem es amantiſſime conſolatus, tuumq; veriſſimum teſtimonium atq; animi mei conſcientia mihi plures ſunt quam μυριοκάκων καὶ μωρολόγων ſermones. Ac notus quoque eſt optime animi mei ſenſus Viro opt. & doct. & mihi multis veris de cauſis amiciſſ. Ioac. Camerario, qui ſapiẽtiſſimis ſubiectionibus & monitis me iuuit, & ſtudiorũ meorum ſocium Ioachimum Filium hac ſuperiori æſtate eſſe voluit, vt facilius animũ abducerẽ à moleſtiis & in noſtris libris rectaq; conſcientia acquieſcere poſſem. Is vero cũ de noſtris chartis ſibi ea collegiſſet, quæ ἰατρομαθητιῶντι ſcire æquum eſt, petebat à me, vt curationes quaſdam Montani præceptoris mei in ordinem certum redigerẽ & perpolirem, ſeque libenter deſcripturum affirmabat. Quod cum facere inſtituiſſem, ſcripſit magna aſſiduitate, & non valde multis dieb. Centuriam Curationum Montanicarum confecimus. Ego vero & Ioachimũ ſæpe admonui, vt valetudinis ſuæ non ſatis firmæ rationem haberet, & interdum tibi cum ſolicitudine quadam ſtudium & diligentiã eius prædicani. Ea re, quę tua eſt humanitas, non ſolum propter parentem, cuius ingeniũ excellens, eruditio & ſapientia præcipuum eſt ætatis noſtrę ornamentum, verum etiam propter ingenium & modeſtiam Ioach. F. amantiſſ. es complexus, tuęq; beneuolentię ea dediſti indicia quæ nos perpetuo grati animi & beneficæ ac prolixæ naturæ tuæ admonere poterunt. Apud me quidem quoad vixero nulla vnquam obliuio tuorum erga me meritorũ memoriam extinguet, & pro Ioachimo ſpondere poſſum. Nam is nuper diſcedens diligẽter à me petiit vt poſtremæ ſuarum deſcriptionum parti προσφώνησιν ad tuã humanitatem proponerem, quod facile homini amiciſſimo potui promittere, ac te quidem hoc officiũ in optimam partem accepturũ, pro certo ſtatuo, etſi quaſi de alieno largiri videar. Sunt.n. hæc magna ex parte collecta ab opt. iuuene Hier. Schreibero Norico, & mihi partim à Io. Pontano medico eximio communicata, partim opera Hulderici Waiblingeri Auguſta. quã cum ſumma fide mihi tum in hac re, tum aliis multis dedit, quaq; me ad perpetuæ gratię debitionem viro integerrimo obſtrictũ eſſe fateor, cõſecutus ſum ab iis, qui inuide tenebãt, & etiamnum quantũ poſſunt, Montanica premunt. Perpolitionem autem noſtram eſſe ſi non glorioſe, vere certe dicere poſſumus. Nam primum cũ ab aliis, quę mihi ad manũ erant, deinde cum iis, quę eximius artis medicę D. Io. Sprenbergius collega meus dicẽte iſta in xenodochio excellentiſſ. Montano excepit, cõtuli, ac dictiones quaſdam incõmodas ita immutaui, vt ſenſus maneret integer. Sæpe cum Montanus ſignificare vellet, caput curationis hoc eſſe, vel illud pręcipue in curatione ſpectandũ, vtebatur ſacræ ſcripturæ ſentẽtia, Ex hoc, inquiens, pendet Lex & Prophetæ. Ac poſſem talia multa recitare, quib. quidam mirifice Montanica deformant. Vnũ hoc retuli, vt calumniãdi anſam præciderẽ. Si quis vero me forte roget, qua fronte ſententiam Montani de febre peſtilentiali proferam, cum ea aduerſetur meæ, quam in libello Teutonico poſui, huic reſpondebo, protuliſſe me optimo & ſimplici animo meam, nec vllum me iudicium interpoſuiſſe, Nec Montani, à qua mea, vt oſtendam, non admodum abhorret, vnquam improbaſſe. Sed libellum quidem meum Germanicum nõ tueor, neque moleſte laturus ſum, ſi quis eum mecum conſentiente iudicio non valde probet. Nam in hac egeſtate patrii ſermonis interdum vocula LVIS vtor in mentione cauſæ & morbi, vnde quidam exiſtimarunt me res ipſas miſcere & poëtas imitari, qui fingunt è pixide Pandoræ omnis generis morbos euolaſſe, & nunc

Centuria curationũ Montanicarum.

Prouerbia Montani.

Crat. de peſte liber Germanicus.

quoque

quoque in aere circumferti ac hominibus malam valetudinem ; & mortem adferre. Scio ego peſtis appellationem non eſſe certi morbi nomen, vt Galenus 3. Epid. com. 3. indicat, & multis morbis, qui cõtagioſi ſunt, & plurimos interimunt, conuenire. Ac nota mihi eſt morborum communium diſtinctio, quæ eſt apud Galen. com. 1. De victus ratione in acutis: cum in ἐνδήμους, id eſt, vernaculos, ἐπιδήμους, quos Paulus πανδήμους & κοινὰς vocat, & λοιμώδεις diſtinguit: & λοιμὸν quidem definit epidemiam contagioſam & pernicioſam ; ac diſcrimen ponit inter febres peſtilentes σποράδας, id eſt, ſparſim priuatimque homines inuadentes, quas & priuatas vocat, & vere peſtilentes. Id & videre eſt apud Hippocrat. 3. lib. de præcog. expulſ. 4. vbi Galenus de peſtilenti febre agens inquit: εἰδέναι μὲν τὸ χρὴ καὶ ἄλλως γινομένους ἄνευ λοιμῶν τοὺς αὐτοὺς τούτους πυρετούς, ὥσπερ καὶ γέγραπται περὶ αὐτῶν ἅπασι τοῖς ἀξιολόγοις ἰατροῖς, καὶ καλοῦσιν λοιμώδεις αὐτούς. id eſt, ſciendum quidem eſt, fieri interdum has ipſas febres ſine peſte, quemadmodum hæc de eis ſcripſerunt omnes præſtantiores medici & eas peſtilentes vocant. Et Galenus ſubiicit: iſtarum naturã expoſui latius in differentiis febrium. Facit autem hoc in 1. lib. cap. 4. pro virili, oſtenditque in harum febrium curatione κεφάλαιον fuiſſe putredinem, ſeu vt interpretes reddiderunt, fuiſſe earum ſummam, putrefactionem. Vnde quidam patrocinium ſibi ſui gradus putredinis ſumpſerunt. Verũ illud quod bis in vna pagina δυναστευούσης αἰτίας, id eſt, præpotentis cauſę meminit, & ibidem inquit, τὸ περιέχον ἐκφέρεσθαί τινα λοιμοῦ σπέρματα. id eſt, In aere contineri peſtilentiæ ſemina, non explicant.

Quin Galenus ipſe hanc diſputationem ſic concludit, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἤδη πῶς ἔχοντι θεραπευτικῆς μεθόδου καὶ δῆλον, ὅτι δι᾽ ἐκείνης τῆς πραγματείας ἐπὶ πλεῖστον εἰρήσεται id eſt, ſed hæc quodammodo proprie ſpectant ad methodum curatiuam, in qua non dubitandum, quin plenius de his ſimus dicturi. Ego vero illud in therapeutica methodo non reperio. Ad finem quidem libri decimi, cum συντηκτικῶν πυρετῶν, id eſt, colliquantium febrium (σύντηξιν autem, id eſt, colliquationem proprium ſymptoma febris peſtilentis 3. Epid. ſtatuit) mentionem facit, affirmare video, ſe de peſtilentibus febribus alio loco dicturum. Id vero vbi fiat, haud ſcio. Nam quæ exponit in commen. Epid. in quibus Hippocratem nullum librum de febribus peſtilentialibus ſcripſiſſe ait; nec contagionis naturam, nec venenatæ qualitatis, cuius ille meminit, ſatis explicant. Quid multis? poſſem plurima loca adducere ex Galeno, è quibus manifeſtum eſt, eum diſputationem de febri peſtilentiali in medio reliquiſſe, niſi & de his hoc ſatis eſſet perſpicuum, & ab aliis declaratum ſcirem. Itaque ante decem annos cœpi ſolicite cogitare, quid in tanta opinionum varietate tenendum eſſet, & cum mediocri ſtudio adoleſcens in rerum cœleſtiũ ſtudio verſatus eſſem, & animaduertiſſem præſtantes artifices cauſam peſtilentis conſtitutionis ad cauſas cœleſtes referre, attente quædam de his in Galeno & aliis obſeruabam, & videbam veteres etiam ad venenatam qualitatem aeream, quam Græci δύναμιν ἀσώματον, Latini occultam vocant, confugiſſe. Ego vero toto animo manifeſte requirebam ; ac primum quidem de præceptoris mei Montani ſententia accurate cogitabam. Hæc erat eiuſmodi. Putredinem eo vſque procedere in peſtilentialibus, vt ad venenatam qualitatem perueniat, & proprium characteriſmum peſtilentialis eſſe putredinem in cordis ſubſtantia vel contentis. Hancque putredinis formam ſeu gradũ diſſeminari contagione, & alia magis, alia minus, prout corpora hominum diſpoſita eſſent affici. Porro putredinem illam cauſam eſſe contagionis, quia contraria formæ hominis & plane venenata eſſet, ita vt materiam quoque immutet ; & contraria ſit tota ſubſtantia hominis vitæ eiuſque fonti.

Contagium autem definiebat affectum tranſeuntem de ſubſtantia in ſubſtantiam, eamque deſtruentem mediate per conuenientiam materiæ, & contrarietatem formæ interueniente alteratione caloris indebite concoquentis humidum : ſtatuebat putredinem cauſam contagionis, & hunc modum corruptionis eſſe dicebat, vt in febre peſtilenti cum materia putreſcerent humores cordis. In febre ſine materia vel incaleſceret ſubſtantia cordis , tredinem & quaſi peſtilentem hecticam fieri, vel putreſceret ipſum cor, & tum quidem ſtatim homines extingui , vt docet Galenus, inquiens : Quod medicamentum excogitabis ad putredinem quæ cor occupauit ? Atque hanc eſſe Montani ſententiam teſtantur eius lectiones in artem curatiuam ad Glauconem de febre peſtilentiali & de contagione in 2. 1. Auicen. à qua quantum mea diſcrepet , videamus. Primum hoc tenebam , Ariſtotelem putredinem dicere corruptionem in ſubſtantia eam quæ primæ generationi op-

Colliquatio propriũ ſymptoma febris peſtilentis.

Nullibi Galenus febrem peſtilentem tractat.

Montani opinio de feb. peſt.

Contagium Montani.

Diſcrepãtia Cratonis à Montano in peſte & contagio.

ponatur. Galenum vero non illam extremam corruptionem,ſed eam quæ morbum inferre poteſt, ponere. Cum igitur Montanus gradum putredinis ſeu formam putredinalem, vt illius verbis vtar, cauſam febris peſtilentialis conſtitueret, ſcirémque naturam rei,adeoque nomen in poſitione atque cognitione cauſæ conſiſtere, ſane multum de ea cogitaui.

Videbam in qualibet putredine humidi abundantiam poni tamquam materiale, & calidum non proportionatum tamquam agens & efficiens, nec quomodo hæc morbum peſtiferum inducere atque contagionis vim afferre poſſent, perſpiciebam. *Fracaſtorius* Fracaſtorius quidem vir ſummi ingenii, contagionis principium agens (vt illius verbis vtar) in ſeminaria putredinis referebat, ac inde profundam ac largam putredinem fieri affirmabat. Etſi vero, vt ante oſtendi, ſententiæ de ſeminatiis, autborem habeat Galen.1.de differ. febrium 4. tamen Montanus hæc occulta & quaſi inexplicabilia reiiciebat, & oſtendebat ſe non de qualibet putredine, verum de ea, quæ ſit talis & tanta, vt deueniat ad qualitatem venenoſam;qualem Galenus deſcripſit 6. de loc.affect. quæ vt ipſe Montanus lectione 33. in 2. Auicen. inquit, tota ſubſtantia & eſſentia homini contrariatur, in hac diſputione loqui. *Fernelius.* Hæc vero cum mihi dextre atque diſtincte explicaret Fernelius vir diuini ingenii & excellentiſſ. eruditionis, eius ſententiam tamquam veram, rectam & explicantem doctrinam veterum & Montani illuſtrantem,ſum ſecutus: & ſic poſt varias cogitationes, ſtatuebam, peſtilentiales febres alias eſſe cum lue,alias ſine lue. *Publica feb.* Quæ cum lue ſunt, quaſdam eſſe vniuerſales, hoc eſt, quæ ſerpant contagione in omnes mundi partes, habere cauſas cœleſtes vniuerſales, quæ efficiunt, vt aer qualitatem venenatam recipiat, & turſus hanc multi [illegible] ...uriant. Pr..ſertim autem illi, quibus propter eaſdem cauſas cœleſtes ineſt ſymbolum. *Priuata.* Quaſdam particulares, quæ certa loca affligant, atque eaſdem habere alias cœleſtes cauſas, vt Saturni vel Martis diametrum in illis ſignis,quæ familiari quadam συνοικειώντες locis dominantur, aut ſolius Saturni poſitum in Dodecatemorio, cui loca ſubiecta ſunt,quas augent deliquia Solis & Lunæ,& σχηματισμοὶ κομητῶν: alias venenatam aeri qualitatem communicari propter halitus, qui vel ex terra vt ex cadauerum putrefactione inſigni, vel ſordium atque excrementorum halitu maligno, aut aquarum ſtagnantium putredine venenata oriuntur. Ab hoc autem veneno aereo, ſeu aeri miſto, vel à celeſtibus cauſis ſimpliciter orto, vel à putrido & venenoſo halitu affici corpora tam pura quam impura, ſicut à ſcabie & lippitudine, vt Galenus inquit, & hanc luem tamquam beſtiam ciuitates deuaſtare, vt idem Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem affirmat, verum non eodem modo. Nam pura corpora niſi propter cœleſtes cauſas ad ſuſcipiendum ſint diſpoſita maxime lui ſeu veneno, quod diſſeminatur contagione, reſiſtunt, impura minus. Denique in corporibus puris febrem peſtilentem inducant, quæ propter cauſam, id eſt, venenatam qualitatem morbus totius ſubſtantiæ dicitur. In impuris, hoc eſt, cacochymia vel plethora laborantibus ad febrem peſtilentem ortam à venenata qualitate propter eundem accendere putridam febrem,& in curatione tam ad luem, quæ venenum,quam ad putredinem reſpiciendum eſt, vt oſtendam: licet vero certorum locorum ſint hę febres, tamen diſſeminari contagione,cum vel venenum aereum ventorum vi propellitur, vel per veſtes aut merces etiam animalia quædam locis nulla infectione laborantib. importatur. Febres vero peſtilentiales ſine lue,neque cœleſtes cauſas habere, neque valde contagioſas, neque venenatæ qualitatis, ſed tantum inſignis putredinis cor ferentis participes eſſe ſtatuimus.

Cauſas autem horum putredinem ortam in corpore vel ob prauitatem humorum, vel propter cibos corruptos, vel acris conſtitutionem putridam affirmamus. Quo vero hæc propius ad eam formam putredinis, quæ ex venenati aeris inſpiratione eſt, accedit, eo etiam iſtæ febres contagioſæ magis magiſque pernicioſæ efficiuntur: & vehementius ſeſe efferunt, atque mortalitatis publicæ cauſa ſunt. Ac ego quidem hoc ſexennio, quo hic Vratiſlauiæ fui, ſine peſte huiuſmodi febres priuatas quotannis fere ſub autumnum vidi & curaui; ac ſæpe cum plurimi eſſent in vnis ædibus, vnum tantum laborantem, teliquis ſaluis animaduerti, nec contagione malum ſerpere longius, imo ſana & mediocriter pura corpora plane non affici, ac pro cauſarum & diſpoſitionum corporum varietate,illorum vim frangi & attolli. Hanc ſententiam de febre peſtilente eſſe veram ex rei natura, ſignis euidentibus & ipſa curatione perſpicua demonſtrabimus, & vt confido æquis iudiciis, & animis non præoccupatis opinionibus probabimus. Nam

quid hic vel ille ſentiat non refert: ſiquidem vt Montanus dicebat. Nec Hippocr. nec Galeno in arte credendum eſt, quia dixerunt, ſed qnia bonas ac firmas rationes dictorum habent, & turpiſſimum eſt, vt à Grę cis dicitur ἀδιανοήτως προσδέχεσθαι τὴν ποῦ τῆς ἀληθείας, id eſt, opinionibus ſeruire, & ex authoritate rerum veritatem metiri. Natura rei ex cauſis dependet. Oſtendimus autem cauſam febris peſtilentis cum lue, venenatam qualitatem aerem cœlo ortam eſſe, quæ non qnia calida, frigida, humida vel ſicca eſt, ſed tota ſubſtantia cor lædit, & ſpiritus deuaſtat alias, alias humores corrōpit, alias totam eius ſubſtantiam inficit & depaſcit. Corruptio autem ea, quæ fit, hauſto veneno iſto aereo longe vulgatis putredinis conditionem ſuperat, id qnod accidentia propria & eutatio indicat: & propterea formalia & materialia huius febris, quæ ipſam conſtituunt, multo plus quam reliquarum febrium tam putridarum quam hecticarum malitiæ habent. Ac vt hæc plana & perſpicua fiant; primum de remota cauſa nullam litem meam faciam, pręſertim cum, vt Ariſtot. inquit, de cœleſtibus paucas habeamus πίστεις. Illud autem patiantur me, qui mediocriter in his ſtudiis ſum verſatus, ſic ſentire. Cum nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poſſit, vt Galen. inquit, τὴν ἐπιτηδειότητα, id eſt, aptitudinem corporum cauſas cœleſtes habere, etſi non omnibus obuiæ atque conſpicuæ ſint, & ſidera in aere aliud etiam, quam calorem & frigus lumine motuque ſuo inducere, nec parum σχηματισμοὺς cœleſtes ad conſtitutionem corporum conferre. Ac res & hiſtoriæ teſtantur, fuiſſe peſtilentias graues, quas nulla admodum temporum mutatio, & manifeſta aeris qualitas præ[c]eſſit: imo interdum hyeme eas incepiſſe, quæ æſtate deſinerent; & contra immaniter ſæuiiſſe, etiamſi in calida & humida conſtitutione grauiorem eſſe, & calida atque humida corpora, quæ laxiores meatus habent ad ſuſcipiendum venenum, & putredinem potiora, libenter fateamur. Eam vero putredinē, quæ in corporibus prædiſpoſitis hauſto veneno aereo inducitur, vt longe pernicioſiorem vulgari eſſe, & aeris qualitatem non putridam ſimpliciter ſed venenoſam ſtatuamus, contagionis ratio requirit. Eſt enim contagium affectus deſtructiuus ſubſtantiæ, vt Montanus ait, cui putredo non poſſit ſubuenire, niſi ſit talis & tanta, vt perueniat ad venenatam qualitatem certę formæ. Dico certę formæ, quia alioqni aer ſimpliciter venenatus omnibus viuentibus noxius

Cauſa cœleſtes ſyderum vires.

eſſet. Ratione autem formæ fit, vt alias homines, alias boues, alias hæc vel illa loca afficiat, eaque ſine vlla dubitatione cœleſtes cauſas habet, etſi nobis ſint inexploratæ. Porro dicere venenum aereum, tota ſubſtantia vitæ, eiuſque fonti infeſtum, & morbum ipſum totius ſubſtantiæ morbum appellare, ac diſcrimen ponere inter peſtilentes veras & παραλόγους, id eſt, quæ tantum ſunt à veneno aereo, & putridas, etſi fere perpetuo coniungantur, propter corporum purorum paucitatem, quid obſecro incommodi habet? An quæſo id contra Galenum, vel alterum Galenum Montanum eſt? Imo hoc modo ſentire, eſt illuſtrare totam diſputationem de contagione, quam ſi veteres perſpicue propoſuiſſent, minus fortaſſe nūc eſſet aberrationis. Affirmare autem ſolam putredinem cauſam febris peſtilentialis, profecto non eſt declarare, cur & quomodo ſint contagioſæ. Fateamur igitur ſuam veterum, ſuam poſteriorum eſſe gloriam: atq; illos fuiſſe itidem, vt nos, homines, nec ſupra captum humanum eſſe, quædam ignorare. Quin Galeni hæc eſt ſententia à proprietate ſubſtantiæ non qualitatum intemperie fieri febres peſtilentes cum lib. 2. de natura h. 4. inquit, de peſtilenti exhalatione ἰδιότητι μᾶλλον ὅλης τῆς οὐσίας οὐχ ἁπλῇ ποιότητι λοιμαινομένων τοῖς σώμασιν. id eſt, quæ proprietate magis totius ſubſtantiæ quam qualitate aliqua corpora lue inficit. Atq; eodem in loco manifeſte dicit, communium morborū imperfectam curationem ſcriptam ab Hippoc. & diſtinguit inter febres peſtilentes, quæ à cauſa, proprietate ſubſtantiæ agente, quam nos venenatam dicimus lædunt, & à cauſa qualitate ſola afficiente excitantur. Atque hæc eo recenſeo, ne quis rem nouam nos amplecti, aut quæ κατ' ὄναρ in mentem veniſſet, putet. Nec ego de nominib. pugno, quin Platonis ſententiam, quam refert Galenus, teneo, non eſſe habendam de nominibus curam, quibus tantarum reru[m ra]tio proponitur. Rem igitur ipſam propius aſpiciamus. Cum vis veneni, quam δηλητήριον appellant, corpus ingreſſa eſt, totum id momento temporis immutat, idque vt Galenus 3. Epid. non copia ſed tota ſubſtantia ſeu genere oppugnat. Oppreſſus itaque à veneno calor ſecundum Galen. 9. de ſimplic. Med. non vehemens eſt pulſus, paruus propter eandem cauſam, velox ob neceſſitatem. vrinæ interdum ſanis ſimiles. Certe ſi ſola putredo in ſubſtantia cordis vel contentis eſſet, & ea quidem ſumma, calor in tanto cordis incendio vehementior quam in cauſo reperiretur & tanta ſuborta pu-

tredine vix fieri poſſet, quin aliqua eius indicia in vrinis conſpicerentur, ſicut certe ſunt plane confuſæ, & iumentorum ſimiles vrinæ, cum hauſtum venenum in corporibus putridam febrem inducit. Illud quod paulo ante dixi, me libenter concedere fateor, In corporibus plethora vel cacochymia laborantibus à venenato aere affectis non ſolum febrem, quæ à veneno eſt, & morbus totius ſubſtantiæ dicitur, & comites, bubones & carbunculos habet, ſed etiam fœdam putridam febrem excitari, cum hæc veneni huius vis ſit, vt primum cor & vitales omnes partes lædat, & infringat: deinde humores quoque inquinet, & labefactet.

Vrina febris putrida.

Verum vt hæc conſpectiora ſint iam ſigna perſequamur: In febre peſtilenti ſine putredine, quæ oritur, cum venenum aereum inſpiratione pulmones & cor ſubit, calor nec mordetur, nec vehemens eſt: circa præcordia vero anxietas, animi deliquia crebra, vel ſyncope, pulſus paruus, vrinæ interdum tales, vt ſanis ſint ſimiles vomitiones etiam crebræ & difficiles ſæpe adſunt, iactationes corporis, inquietudo, & vigiliæ, & tanta ſine ſenſu doloris proſtratio viriũ, vt priuſquam febris putrida conſequatur, hominem è vita tollere queat. Hæc autem ſigna omnia ad venenum non ad putredinem referenda, tum de iis, quæ antea diximus, tum quæ deinceps dicturi ſumus, perſpicuum erit. Porro hanc febrem ſiue ἐφήμερον peſtilentem ſiue hecticam quis nominet, mea nihil refert, modo is mihi ſuam de putredine ſpirituum & ſubſtantię cordis in viuo animante ſententiam declaret, nec me damnet, ſi ego febrem cum lue ſine putredine appellem, vel nomine generis in appellatione ſpeciei vtar, & peſtilentiam dicam. Febris vero peſtilentis exitioſæ, atque publicæ, & cum hac putridæ comunctæ ſigna ſunt bubones, & carbunculi ſeu puſtulæ, καὶ σύντηξις, id eſt, colliquatio, dolor, & grauitas capitis, ſitis vehemens & appetentia proſtrata, in interioribus calor vehemens exterioribus vero frigus, fœtorem halitus vrina turbida, alui interdum profluuies, interdum adſtrictio. Deniq; in corporibus, quæ hac extinguuntur, ſigna veneno infectis (vt Dioſcorides ea recenſet) communia atq; familiaria conſpicimus. Atq; hæ febres putridæ cum ſine peſte ſint, quas Galenus 3. Epid. vocat, λοιμώδεις ἰδίως πυρετοὺς καταλαμβάνοντας τοὺς ἀνθρώπους, καὶ χωρὶς λοιμοῦ, id eſt, febres peſtilentes propriè ſiue priuatim corripientes homines abſq; peſte habent eadem fere ſymptomata ſed omnia mitiora, niſi prauitas humorum collectorum in corpore ad malignitatem earum accedat. Non parum etiam malitiam earum adiuuant aeris conſtitutiones auſtrales, turbidę atque pluuioſæ, æſtatis feruor & halitus è terra emiſſi, veneno affines: cumque hæc accedunt, animantia interdum lues prius quam homines afficit, & inſectorum atque animalium ex putredine ortorum copia præter modum conſpicitur: ſed iſta omnia explicare non eſt noſtri inſtituti, & volente Deo.

Signa febris publicæ à contagio & primaria.

Plenius hæc noſtra poterunt oſtendere charta,
Si modo vita ſuper, ſique erit vlla quies.

Nunc de tertio, videlicet de curatione dicamus, quam morborum naturam declarare, aperte Hippocrates noſter docet, inquiens: Indicat autem curatio, ſiue vero hanc ſiue præſeruationem, quæ κατὰ τὸ μέρος procedit, ſpectes manifeſtum erit, remedia, quibus vtimur in præſeruatione atque curatione peſtilentium febrium, etiam alexipharmaca veneno aereo tota ſubſtantia non manifeſtis tantum qualitatib. contraria.

Cura.

Id vero venenum, vt ego exiſtimo, Galenus præpotentem cauſam vocat: Montanus putredinem, quæ ad venenoſam qualitatem peruenit. Hippocrates autem diuinum quiddam: Auicenna ſubſtantiam extraneam complexioni ſpiritus contrariam aeri permiſtam appellat. Ac Hippocrates inquit, τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους. id eſt, naturalia remedia non tollunt luem peſtilentis morbi. Galenus vero 6. Epid. com. 6. λοιμώδης ὁ ἰός (ita enim cauſam febris peſtilentis vocat) medicationem per alexipharmaca tradit, & manifeſte inquit noxam per totam ſubſtantiam corporibus aduenire, & medicamenta καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν illi aduerſari. Denique poſſem hoc omnium medicamentorum exemplis manifeſtum facere, ſed vnum ſaltem afferam. Eſt electuarium quod è nucibus vocant vbique in peſtilentialibus conſtitutionibus vſitatiſſimum: & nonne Galenus in libro de bonitate & vitio ſuccorum, inquit: Qui venenorum compoſitionem tractarunt, nonnulli harum omnium alexiterium eſſe affirmant, ſi quis caricas cum nucibus vna & rutam aſſumat. viderit nunc æquus lector, quantum a doctrina Galeni & Montani abſim. Nam illud quidem nun dico nec vnquam dicturus ſum, iuuamenta ſimplicium qualitatum medicamentorum nihili facienda, & putredinis nullam habendam rationem, aut ea quæ ad inhibendam putredinem à medicis doctis exſiccando, & refrigerando atque aliis modis fiunt,

Electu. è nucibus.

dis fiunt, ſuperuacanea eſſe, cum ſciam præſertim in peſtilentialibus conſtitutionibus, multos cacochymia, non paucos plethora laborare, atq; bis ſanguinis miſſionem, illis purgationem neceſſarias eſſe. Venenum vero ſolam antidotum requirere, nec ad hoc tollendum, putredinemq; ab eo inductam remouendam ſolam exiccationem conferre, ſumma cum aſſeueratione profiteor. Sed de curatione atq; hac tota diſputatione, quæ de putredine, contagione & peſtilentibus morbis & febribus eſt, meam ſententiam perſpicue explicatam edam. Hanc vero ſignificationem propter quaſdam meas cogitationes & aliorum ſubiectiones non potui differre, cum Montanica de febribus in publicum darem, quæ vt tu optime, mi D. Quirine, & ſi qui forte hæc legent alij in bonam partem recipiant, vel melioribus opellas ingenioli noſtri ipſi obſcurent oro. Certe candidi lectores perſpicient, me non temere ponere diſcrimen inter febres peſtilentiales à veneno aëreo, & à ſola putredine ortas, & naturam rei, ſigna certa atq; ipſam curationem, quæ fit per alexipharmaca, me vrgere, vt cauſam venenatam qualitatem aeream appellem, & putredinem quæ hanc ſequitur, longe vulgaris putredinis conditione ſua malignitate ſuperare, ſtatuam. Tibi quidem hæc tenuia atq; exilia grata acceptaq; futura pro ſumma tua humanitate & ſingulari erga me animo certo ſcio, & vt perpetuo atq; omni hoc modo maiore cultu & honore tuas præclaras virtutes & merita erga me proſequar, & grati animi memoriam declarem, & coniunctionem amicitiæ noſtræ in aliqua etiam felicitatis meæ parte collocaſſe me teſtatum faciam, omnes ingenii neruos & induſtriæ intendam. Chriſtus te cum tuis beneualentem conſeruet. Vratiſl. 25. Octob. 1557.

EPIST. CIII.

ANDREÆ DVDITHIO AB Horekouniza, &c. Iohan. Crato S. D.

Peſtis remedia fallacia.
Camphora, ambra, & boletus ceruinus excellunt.
Experimẽta in quartana parum valent.
Perſicorum nuclei.

ADVERSVS peſtem multa, quæ pro certiſſimis habentur, fallacia ſunt. Campboram excellere omnia remedia, & vſum Ambræ atque fungi illius, quem boletum ceruinum appellant, re comperi. Nam Diaphoretica in hoc modo maxime proſunt. Ad quartanam, cum ſit longus morbus parum valent remedia experientia cognita. Auenzoat ſummus inter Medicos Arabes vſum nucleorum perſicorum laudat. Et quidam Practicus Antonius Guainerus decoctum raparum. Ego vtrumque remedium magno ſucceſſu multis exhibui. Sed ſis morbum babere ſua tempora, & cum natura ante coctionem nõ curet, quid nos ſpei in iſtis remediis collocabimus? Ad morſum ſerpentum ab alis obſeruata annotaui. Ego quod ſciam nullum exhibui; Diuus Ferdinandus prædicabat ſanguinem anatis calidum, hoc remedium apud alios quoque reperi, ſed quidam addunt ſtercus columbinum, nonnulli ſtercus caprinum, quod ſolum etiam cum aceto diſſolutum applicant. Rectiſſima ſunt quæ venenatam materiam foras trahunt. In eo pellem capræ mactatæ calentem laudant. Vellem remedium aduerſus ſycophantæ morſum doceri. Medici ad humanum morſum, ſtercus humanum præſcribunt. Illud ego magno meo calumniatori appoſui, & vt DEVS illi ignoſceret precatus ſum. Exciderat propemodum quod de dolore capitis quæris. Curationem eſſe ablationem cauſæ non ignoras. Multæ partes ſunt capitis, cauſæ diuerſæ, quæ dolorem faciunt. Quid igitur reſpondeam? Bene vale. 17. Decemb.

Raparum decoctum.
Remedium ad morſum ſerpentum.
Sanguis anatis.
Stercus columbinum & caprinũ.
Capræ mactatæ pellis.
Stercus humanum.

EPIST. CIV.

IDEM EIDEM. S. D.

DE morbo filii tui elegantis, & probæ indolis pueri tibi συμπάσχω. Remedia in hoc morbo, ſicut in iis, ad quorum cognitionem plene non eſt peruentum, ſunt plurima. Quæ à me obſeruata ſunt, ea cum hac epiſtola accipies. Vt proſint filio, & conſolentur Nobiliſſimam tuam coniugem ex animo precor. Meam epiſtolã ad Mercurialem non poſſum mittere, niſi illius addam. Cur autem hoc facere nequeam vera cauſa eſt. Miror te contagium negare in re manifeſta. Non neceſſe eſt inſtar mo...... eſſe. Augentur μιάσματα & vires acquirunt eundo. Ac ex vno homine infecto tantũ inquinamenti exhalare poteſt, quantum pro mille inficiendis ſit ſatis. Nondum ſum certus; Ex catarrho ne febrẽ (in qua ſententia fui cum ad Mercurialem ſcriberem) an febrem ex catarrho ſtatuam. Non omnes infectos eſſe cum contagii ratione nõ pugnat. Quia agens in patiens prædiſpoſitum agit. Et prædiſpoſitio corporum diuerſitatis ſymptomatum cauſa fuit. Itaq; vix in decem corporibus morbus per omnia ſimilis extitit. Per ſudores autem in omnibus terminatur. Proinde ſanguis mitti, vel fortia cathartica adhiberi, qui materiam ad inte-

Contagii natura.
Catarrhus Epidemicus Anno 80.
Vena ſectio. Purgatio.

tiora reuocarent, non debuerunt. Lenientia tamẽ enemata & cucurbitulas in capitis vehementi dolore ſcapulis admotas nunquam improbaui. Scobem cornu ceruini omnibus felici ſucceſſu exhibui, & pauca Bethica. Non vacat plura ſcribere. Bene vale. Pragæ 6. Octob. Anno Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo.

Febris.

Post Scriptum.

QVÆRO ſchedam in quam remedia pro filio conieceram; Nuſquam reperio. Noſti quo ſint ordine libri & chartæ meæ. Itaque iterum nonus ſumendus labor. Eſt ea ætate puer vt nihil ſit metuendum. Cum febris paroxyſmum præcedat. Ne ſit crudus cauendum. Nam cruditas haud dubie febris cauſa eſt. Exercitia & ſomnus poſt cibum, cum caput repleant, nequaquam conueniunt. Vinum neque degustandum, neque odorandum. In potu ſit nodulus ex ſcobe cornu cerui, & ligno viſci quercini. Is iteretur ſingulis quinque diebus. Vtatur autem iſto potu non ſolum aliquot diebus, ſed menſibus. Sæpe comedat iecur perdicum, ſiccatum etiam in teſta ad ignem, & in puluerem redactum, atque ex aqua millefolij in vaſe vitreo deſtillata ſumptum, ſingularis eſt antidotus. Quidam ranarum Epar hoc modo vſurpatum commendãt. Sæpe odoret rutam, præſertim ſylueſtrem & ſuccus rutæ nari imponatur. In felle tauri reperitur lapis, is in puluerem redigitur, & naribus attrahitur, atque egregie cerebrum expurgat. Polyttichi decocto ſæpe ante cœnam abluatur caput nec poſtea aëri ſe exponat. Ciconiarum & Pauonum ſtercus cum ſacchato miſtum, atque ſæpe pueris exhibitum valde commendatur. Habes ſatis multa remedia, & plura in medium ... rre poſſem, atque in ea charta, quam ... reperio, ſcripta puto. Purgare ... ora, vel diuerſiones per cauteria ... ineptum puto. Victus ratio optima ... medicina. Deum oro vt hoc benigne fortunet, & me omnia tui atque Generoſiſſimæ coniugis tuę cauſa facturum polliceor. Iterum vale.

Nodulus ex ſcobe cornu cerui, & viſco quercino.
Puluis iecoris perdicum.
Ranarum Epar.
Ruta.
Errhina è lapide fellis tauri.
Ciconiarum & Pauonum ſtercus.

EPIST. CV.

IOHANNES CRATO A KRAFTheim, &c. Hieronymo Mercuriali Medico S. D.

Catarrhus Epidemicus febrilis.

PROBARI tibi ſententiam meam de epidemico catarrho cum febre, qui ſuperioribus proximis menſibus longe lateque peruagatus eſt Europam, & magnam partem humani generis attigit, lætor. Cui enim magis quam tibi, qui principem locum in arte noſtra habes, & de rationum momentis rectiſſime iudicas, probari velim? Sed patiaris me hoc à te exquirere, ſi contagionis ratio in putredinis gradu non eſt poſita, qua in re ſit? Exiſtimas, quantum ex tuis literis intelligo, vapores acidos & acres, qui ex ore ægrotantium emanant, halitu à proximis attrahi, atque vbi faucibus adhæſerint, humeſcere atque abſque vlla putredine lenteſcere, ſimulque cerebrum, & vniuerſum corpus contaminare. Sed hæc, vt probes, non video. An enim ſordes illas adhærentes faucibus, linguæ, gingiuis, dentibus nullam putredinem redolere putas? An quicquam in aëre perdurare ventorum vide loco in locum impelli, late diſſeminati & perniciosum corporibus prædiſpoſitis, quæ cum aëre inquinamenta iſta attrahunt, eſſe arbitraris, quod non ſit lentum, glutinoſum, & putridum? Certe mea alia eſt ſententia, neque vt arbitror, improbanda. Sic enim ſtatuo. Quicquid è coporibus effluit & aëri communicatum vicinis corporibus quæ attingit, vel quæ cum aëre illud attrahunt, noxium eſt, putridum eſſe. Sunt autem putredinis certi gradus quos morbi alias συνήθεις, alias κακοήθεις comitantur. Ἐν λοιμῷ perniciosiſſimam eſſe ζοπίκεζον illam morbidam, conſtat. In hoc catarrho (qui Anno 1557. & iſto, vt dixi, magnam orbis partem eſt peruagatus) è corporibus laborantibus benigniora μιάσματα exhalaſſe, cum nemini hic morbus ſua natura exitioſus fuerit, ſed vel victus ratio vel medicatio ægros perdiderit, conſentaneum eſt. Verum de hoc deinceps. Magnam autem μιάσματων, quæ è corporibus exhalant, varietatem, & miram vim eorum eſſe, res oſtendit. Quædam enim è propinquo, & contactu ſolo lædunt, quædam mediante aëre, cui quod lenta ſunt & glutinoſa, inhærent, lædunt. Quædam etiam vniuerſum corpus, quædam partem, quemadmodum in phthiſi afficiunt. Morbus gallicus ſolo contactu, ſicut conuerſatio quarundam vetularum iunioribus maritis nocet. In mulieribus quibuſdam, dum menſtruis laborant, ab oculis ſicut in ophthalmia, quædam foras exſiliunt, quæ aërem contaminant, atque imbecilliores afficiunt. Plinius viſu effaſcinare multos atque interficere autor eſt. Narratur etiam in Apollonio Thyaneo apud Philoſtratum fuiſſe quendam Saturnium in Epheſo, qui intuitu homines necauit. In his omnibus cum vis maligna emanet, à putredine vel vene-

Recte Crato catarrhum eum: ſi quidem contagioſus fuit: neceſſario cum putredine aliqua fuiſſe contendit.
Omnis corporis exhalatio noxia putrida.
Gradatim putred. effectus.
μιασμάτων varietas.
Conuerſatio vetularum quibuſdam noxia.
Aer contaminatur à muliere menſtruata.
Oculus faſcinans.

venenata qualitate eſſe, neceſſe eſt. Porro vt corpus à corpore, natura à natura (quemadmodum Hippocrates in libro de flatibus docet) differunt: ita & ea, quæ à corporibus effluunt. Quæ enim hominibus nocent; alia animantia non lædunt: & econtra. Scribebat nuper ad me amicus quidam, ſi à ſeminario in aëre, corpora infecta eſſent, inſtar ſummi montis hæc fuiſſe. Fateor, contagij rationem nondum ſatis eſſe explicatam, ſed hoc eſt mihi perſuaſum: conſtitutiones aeris intemperatas, ſordes etiam quæ ex terra, vel aquis, vel aliis locis exhalant, poſſe corpora ad morbos ſuſcipiendum prædiſponere. imo cauſam præbere, vt putredo iſtum gradum, qui νοσερὰν διάθεσιν habeat conſequatur: ſed niſi exhalent μιάσματα è corporibus, & aëri communicentur, contagioſos morbos, qui mediante aere de corporibus in corpora feruntur, non efficere.

Elegantèr oſtendit quomodo credi poſſit etiam vitium etiā primo à corporibus ſublunaribus ipſis extitiſſe: vt non neceſſario petendum ſit cœlitus.

A primo vero, in quo putredo ad iſtum gradum peruenit, vt morbidam expirationem exhalet corpus, tantum mali poteſt emanare, quod integram domum inficiat, & mille hominibus officiendis ſatis ſit, ita vt in progreſſu mali non tantum integræ vrbes, ſed regiones aerem malignum & plenum inquinamentis habeant. Quemadmodum M. Antonij temporibus ex arcula in templo Apollinis μιάσματα primo emanarunt, & vniuerſæ Græciæ & Italiæ pernicioſa fuerunt. Ac ſæpe ex vna veſte, vel alia re exhalaſſe, hiſtoriæ docent. Hoc certe vidit Hippocrates cum peſtem ex Æthiopia aduenientem à Græcia depulit. Fouentur autem & multiplicantur inquinamenta illa in aere craſſo & impuro, ſic vt feruore nimio acuuntur, & aeris impulſione de loco in locum feruntur, ac puriſſimo etiam aere, dum perflatur, franguntur. Verum de contagionis ratione plenius meam ſententiam explicabo, vbi quid in ea deſideres, & quo pacto ſeminaria contagionis à corporibus nulla putredine infectis (ea præſertim ſeminaria, quæ aeri communicantur, & mediante aere de corpore in corpus feruntur) exhalare poſſe oſtenderis. Nunc vero catarrhum per tot prouincias mediante aere, qui μιάσματα continebat, diſſeminatum, propemodum in oculos incurrit. Dum enim menſe Auguſto nobis ad comitia eſſet eundem, & multæ vicinæ vrbes atque pagi hoc morbo laboraſſent, intra dies paucos non modo omnes aulici, verum huius ampliſſimæ vrbis incolæ correpti ſunt. Scribunt in Hiſpaniis, ac præſertim Mantuæ Carpentariæ intra biduum paucos in foro conſpectos, vacua fuiſſe templa, multa ne aperta quidem. Cauſam igitur morbi communiſſimam videlicet aerem, qui inquinamenta continebat; & magna ex parte ſimilē morbum in omnibus efficiebat, fuiſſe neceſſe eſt. Nam quod quædam ſymptomatum fuit diſſimilitudo: ad corporum varietatem referendum, Medico exiſtimare facile eſt.

Arcula in templo Apollinis contagioſa.

Febrem catarr. putridā fuiſſe.

Cum igitur μιάσματα illa à putredine orta eſſe demonſtratum ſit, qua ratione febrem quæ catarrhum comitabatur, putridam negabimus? Contendis eſſe συνόχην non putridam, & omnes febres, quæ catarrhos comitantur, ſynochas abſq; putredinē eſſe exiſtimas, vt credam, adduci nequeo. Tunc vero ad hanc tuam ſententiam acceſſurus ſum, cum rationes demonſtrauerint. Nunc cur non poſſim, & quid obſter oſtendam. Si συνόχου vel potius συνεχοῦς nomen generatim accipis & ſynocham febrem eam appellas, quę vnicam habet acceſſionem, neq; ad integritatem peruenit, prius quā tota diſcedat, non repugno. Si inflāmatum ſanguinē citra putredinem, (hoc enim tt. Meth. Gal. ſynochā appellat) putas, oportet vt oſtendas, omnia corpora, quæ catarrho iſto contagioſo laborarunt, plethorica & plena ſanguine fuiſſe: inflammata etiam corpora μιάσματα expirare. Certe aliud & res ipſa & curatio indicauit. Hipp. catarrhum excitari pariter à calido & frigido teſtatur: & conſentit Gal. ac in lib. de flatibus manifeſte febres à catarrho ortas, putridas eſſe oſtendit. Hanc etiam febrem fuiſſe putridam, inditio fuit, Calor minime mordax, intus magis quam foris moleſtus, pulſus inæqualis cum ſyſtole accelerante, vrinæ crudæ in initio, & craſſæ in progreſſu. Ac cum ij humores putreſcant, qui redundant in corporibus, atque vel natura, vel arte vacuantur, conſentaneum eſt, cum hic morbus in pleriſque omnibus per ſudores ſit finitus, atque hic & alibi per excellentiſſimos Medicos diaphoreticis medicamentis curatus, in ichoribus putredinem fuiſſe. De nomine febris non contendo. Ad eas quas Galenus περιφυγώδεις τώδεις, ſeu humidas appellat, (ſiquidem περίφυξ, cuius varia eſt interpretatio, idem quod πνεῦμα, vt Thucydides autor eſt, ſignificat) recte referri poſſe puto. Eſſe etiam ſpiritus & ichores omniū morborum contagioſorum, quorum ſeminaria attactu aeris hauriuntur vehiculum, atque in iis morbis maxime elaborandum, vt ſudoriferis & hydroticis noxium foras depellatur, & principes partes in corpore, inprimis vero cor, muniantur: res ipſa ſatis declarat. Itaque niſi alia miſſionem ſanguinis atque vacuantia medicamenta ſuadeant, pernicioſa

Febres à catarrho putrida.

... Hippocratis.

Morborum contagioſorum vehiculum ſpiritus & ichores.

cioſa ea eſſe, cum intro reuocent hoc quod natura expellere per exhalationes atque ſudores contendit, & virtutem expulſiuam debilitent, Medici experiuntur. Non dubito, quin in hac quoque febri in multis hominibus atque locis putredo ſanguinis maſſam attigerit, & in iis miſſio ſanguinis profuerit. In plærisque omnibus autem *ἀναλογίαν* habuiſſe ad ichores, &, vt dixi vel à natura, vel arte, ſudore aut inſenſibili perſpiratione ægros ſanatos conſtat. Mantuæ Carpentariæ, Romæ, Bononiæ, Venetiis plærique omnes abſque ſanguinis detractione ſunt ſanati, paucis propter capitis dolorem adhibitæ concurbitulæ, & quibus adſtricta aluus fuit, lenientia data. Neapoli & in Sicilia, in qua hoc morbi genus fere eſt anniuerſarium, quemadmodum de Mitylene, ſpirante Coro, Vitruuius refert, tuto ſanguinem miſſum affirmant. Etiam de Gallia & Saxonia hoc quidam, fortaſſe vt ſuo errori patrocinentur, referunt. Euentus hic oſtendit, grauiter illos periclitatos, & literis ex Hiſpania miſſis perſcriptum eſt, ſupra duo millia hominum, quibus in vnica vrbe Mantua Carpentaria, vbi regia eſt, ſanguis fuit detractus, intra paucos dies obiiſſe. Rex ipſe, neſcio an iſto communi morbo, ad Luſitaniæ fines ægrotauit. Febrem autem ardentiſſimam cum ſummo capitis dolore habuiſſe, & nihil factum morte ipſa propius, perſcribunt. Medici XXIII. ſanguinis vncias per cucurbitulas detraxerunt: XIIII. inciſa vena. Noſti Hiſpanorum Medicorum in hoc auxilii genere audaciam. Rex potentiſſimus beneficio Dei eſt ſeruatus & conualuit. Fortaſſe ſynochus putrida fuit, in qua Galenus etiam ad animi deliquium ſanguinem miſit. Sed in hac catarrhoſa febri etiam Hiſpanis non profuiſſe euentus Mantuæ docuit, & nos ſatis multa exempla erudierunt. Morbificas certe cauſas, dum mouentur, perniciosiores eſ[illegible]s contendit. Et morbi breuitas, ſecuritas, atque quod nulla internorum viſcerum magna fuit inflammatio, quodque natura aliam viam, quam per ſanguinis miſſionem, & vacuantia medicamenta monſtrauit, eruditis perſuaſit. Multi in Germania, & ij præſertim quibus male ceſſit, de ſanguinis miſſione pugnant, quod quidem per ſanguinis fluxum è naribus ſint curati obiiciunt, Verum ego his non moueor, neque inficias eo, ad ſanguineæ maſſæ putredinem malum perueniſſe: ſicut etiam catarrhus in quibuſdam pleuritin, in aliquibus peripneumoniam concitauit. atque in iis ſanguis, propter alterius morbi vim reprimendam recte eſt miſſus. Sola vero ſudorifera & putredinem inhibentia, morbo huic auxilium tuliſſe, qui negat, ille rerum omnium vel nimis imperitus eſt, vel admodum impudens. In Hiſpania lapis Bezoar plurimum profuit, eo quoque Imperator, & alii quibus ad manum fuit, hic ſunt vſi. Ego magno ſucceſſu cornu cerui cum aqua ſtillatitia cardui exhibui, & omnibus diaphoretica medicamenta quæ occultæ malignitati & contagionis cauſæ aduerſantur, profuiſſe animaduerti. Reſiſtere autem hæc eadem putredini quis non videt? Concludo igitur fuiſſe febrem continuam putridam ichoribus inhærentem, & Hippocraticæ ſententia innitor. Indicat curatio. Putredinis gradus diuerſitatis contagionis, & morborum, ac præſertim nouorum (licet hunc morbum nouum eſſe non credam) cauſam eſſe, alias plenius oſtenſurus ſum. Non ſunt enim illa φηγολικά: ſed accuratiorem cogitationem, & tempus à curis vacuum, (quo ego plane in his miſeriis aulicis, vbi & corpore, & animo diſtrahor, egebam) requirunt. Vides ipſe me hanc epiſtolam, vt exaraui, mittere. Itaque ſi vel diligentiam, vel explanationem firmiorem atque dilucidiorem deſiderabis, feſtinationi, qua vel vtendum eſt mihi, vel nihil agendum ignoſces. Bene vale, 28. Octobr. Anno 1580.

Vena ſectio periculoſa.

Nonnulli hæmorragia quidem ſanati.

Lapis Bezoar.

Cornu ceruinum.

Concluſio.

EPIST. CVI.

IDEM EIDEM

SCIO non ex literario officio exiſtimandam beneuolentiam. Itaque etiamſi interdum ſileant tuæ, nihil de amiciſſimo animo tuo diminutum puto. Miſi autem ad te pleniſſimas de epidemico morbo, & quid ad eas ſis reſponſurus exſpecto. Febres catarrhales, ſynochas non putridas eſſe, cum qui iis laborant, plenitudine interdum nulla affectos videamus, vt exiſtimẽ adduci nequeo. Imo in catarrhoſis pituitam putreſcere, & putridum quiddam eos exſpirare indicio ſunt coryzæ, halitu etiam contagioſæ. Id cum vulgus in Germania ſciat, non facile ex eodem poculo, è quo coryza laborans potum hauſit, bibit. Ac affici quorum capita infirma & pituitoſa ſunt, res oſtendit. Eſſe autem exhalationem putridam certi gradus contagii fomitem planiſſime mihi perſuadeo, ac ſi erro, aliam mihi contagii cauſam oſtendi cupio. Gradum putredinis explicare tam non poſſe quenquam puto, quam naturales ſympathias & antipathias amicitiæ & diſſidii cauſas. Is qui μιάσματα inſtar montis eſſe oportere ſcripſerat, hoc oppoſuit, Cum ſeminaria illa tam multis dier

Febres Catarrhales eſſe putridas.

Coriza contagioſa.

dura-

An retidiua febris contagioſa.

durauerint, & noua quotidie ex corporibus infectis exhalauerint, cumque qui ſemel ex morbo conualuerunr, & aerem continentem μιάσματα attrahere eos oportuerit, cur non iterum ſæpius in morbum reciderint? Ad quod reſpondi, primnm à conſuetis nos minus affici. Eſſe autem agentium naturaliter eam vim, vt aliquomodo paſſum aſſimilent. Itaq; naturam in conflictu illo conſueuiſſe quaſi, minuſq; ſeminaria forte hauſta noxia iam etiam expurgatis corporibus fuiſſe. Contagii etiam & fœtoris magnam eſſe ſimilitudinem. Sic multos in locis ſordidis habitãtes, fœtidis & impuriori aëri videmus aſſueſcere, vt non afficiantnr, cum lædantur ſani, qui eos accedũ. Idẽ in peſte fieri, in quę ex ſalubri aere aduenietes facilius afficiantur, quam ij, qui cum ægris ſunt conuerſati. Quoſdam tamen ſecundo laboraſſe, ſicut & in peſte accidere videmus, oſtendi. Eſt enim ſemper inter agens & patiens proportio quædam; ſi patiens fortiter reſiſtir, non fit impreſſio, ſi debilius & languidius eſt, in pugna ſuperatur, Oſtendo hoc tum aliis exemplis; tum veneni. Multis autem modis patiens ſæpe munitnr, ne agens vim ſuam exſerere poſſit. Sed de his nimis multa. Bene vale.

EPIST. CVII.

Exemplum Epistolæ missæ ad *D. Ioachimum Camerarium Phyſicum Norinbergenſem, S.*

Bolus Orientalis.

De Bolo tecum ſentio, in penuria Armonæ recte nos Orientali vti Galeni, colore eſt pallido, & orientalis cum lauatur palleſcit. Lotione tamen nihil decedere illi ſatis apparet, cum aqua, quando ſubtiliores partes, quæ aquæ commiſcentur ſubſident, ſi pura, & nullo ſapore prædita. Nec puto lotionem aliud præſtare, quam vt impura & arenoſa ſeparentur à partibus tenuioribus. alia eſt ratio cum aloes vel metalla lauantur. Certe ea quæ Conſtantinopoli mihi miſſa eſt, etiam ſi non ſit lota, inſtar butyri tamen in ore liqueſcit. E Capadocia importari Conſtantinopolin certum eſt. Itaque non pugnabo ſi Rubrica ſynopica appelletur, & ſi recte memini Plinius huius tres ſpecies ponit. Terra ſigillata, quæ è Lemno affertur, ſemper eſt pallida, & Creta Anatolica vulgo dicitur. Galenus ſuum ſigillum Lemnium colore rubeſcente deſcribit. Itaque impoſtores ſæpe bolum admiſcent, ſicut rubricæ ſynopicæ pinguedinem, quam vetuſtas prodit, Cum iſtæ terræ mihi ſpectæ ſunt, ſol cornu cerui vtor. Meas Theſes nondum Latinas feci. Nec Teutonicas, niſi prius quæ volo corrigam, in meo nomine apparare volo. Qua ſim ſententia quin publice ſcribas non obſto.

Rubrica ſynopica.

Creta Anatolica.

Cornu cerui ſubſtituitur

Cratonis de peſte ſententia.

I. Me peſtem non ponere ſub febre tanquam genere, etiamſi perpaucus ac nullos potius in peſte abſque febri mori putem. Seminarium inſpiratione hauſtum καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν ſicut cætera venena calida & putrefacientia vniuerſi corporis vires, maxime cordis pernicioſe afficit. Aeris vero intemperies atque impuritas, ſicut & cibi corrupti ad diſpoſitionem ſaltem corporum faciunt: vel peſtem (niſi ſeminatia vel ex corporibus infectis exhalent, & inſpirationi noxia ſint, vel aliunde importantur) priuatam, aut febrem peſtilentem inferunt. II. Peſtem enim aliam priuatam, aliam publicam eſſe ſtatuo. Priuatam vel à prauis humoribus ob victus prauitatem ortam, vel ex aëris conſtitutione mala, inde enim oriuntur febres peſtilentes variæ, quæ dum non habent morbidam exſpirationem, & paucis pernicioſæ, neq; contagioſæ ſunt, niſi valde prædiſpoſitis. Publicam autem peſtem non niſi ab aëre continente lethalia μιάσματα à morbida exſpiratione corporum humanorum, in quibus putredo ad iſtum gradum deuenit, vt κοινὴν ἀπόκρισιν contagioſam exhalent, tantum prouenire ſtatuo. Sæpe vero in priuata peſte accidere, vt ad hunc gradum putredo perueniat, vt corpora μιάσματα exhalent. Sæpe etiam aliis ex locis vbi publica peſtis graſſatur deferri atque vno corpore infecto plurima deinceps infici & ex ægrotantium atque morientium multitudine μιάσματα exitialia, atque ſeminaria peſtis in aere augeri. κοινὴ enim ἀπόκρισις alias incerto loco orta exitioſa multis eſt, alias extrinſecus aduenit, atque ita non vni vrbi ſed toti regioni peſtis infeſta eſt. III. Vt vero gradus iſte putredinis ignotus eſt medicis; ita & verum remedium. Medicos autem coniectura rationali in ægris alias accedere propius .. nem & felicius in curatione procedere, cũ ea, quæ putredini reſiſtunt, adhibent, in aliis minus, veriſimile eſt. Ratio tamẽ hoc dictat cum inſpiratione malum ſit hauſtum, ſolam Diaphoreſin indicari, & veram curationem eſſe: ita tamẽ cum ſeminarium inſpiratione hauſtum ſpiritus non aliter ac venenũ calidũ & putrefaciẽs afficiat; vt ea quæ ad Diaphoreſin faciant, ſimul ea quæ cor aduerſus vim venenatam muniant, & putredini inprimis aduerſentur, coniuncta habeant. IV. Antidotum veram peſtilentis veneni in diuina manu eſſe neque Medicis exploratam. Videre nos camphoræ, ambræ non cineritiæ, ſed cryſeæ, quæ vt ſulphur ardet, ef-

fectiones, eas tameo non perpetuas eſſe. Herbas quaſdam vulgares, vt Tanacetbum, quam Athanaſiam appellant, calendulam, atque alias æque, imo multo magis ſi tempeſtiue exhibeantur, prodeſſe. Occaſiones exhibendorum remediorum atque euentuum prouidentiam diuinam moderari. Nunquam tamen vni remedio ſemel exhibito ſecurum eſſe debere, ſed quamdiu malum eſſet præſens, cordi omnibus modis auxilium ferre. V. Cum vero natura affecto craſſo humore à ſeminario, ἀπόσκυμμα efficit, & bubo conſequitur, vel ex aduſto & tenui atque acri humore ἄνθρακες vel ἐκθύματα & στίγματα exitialia apparent, omnis in hoc Medico labor eſſe debet, vt naturam per loca conuenientia ſe exonerantem adiuuet. Bene vale.

EPIST. CVIII.

Clariſſimo Viro Domino Ioachimo Camerario, *Phyſico Norinbergenſi, &c. Iohannes Crato à Kraftheim, &c. S. D.*

DE tuis Epiſtolis veriſſime poſſum illud, quod quidam de orationibus Demoſthenis interrogatus reſpondit, vſurpare, longiſſimas mihi videri optimas. Nunc autem ipſe non ſolum breuitate temporis pauca ſcribo, verumetiam quod & alterum me ad vos mitto, & ad multas partes literarum mearum ad te reſponſum expecto. De Balthaſaro autem Neandro quid ſcribam, cum tu videris penitusque perſpexeris, quam ſit integer, qoam iucundus, quam mihi fidus & ſyncerus Pylades, & ſi quid hoc vſquam eſt amicius. Quare tibi virum optimum & doctiſſimum non commendo, tantum hoc ſignifico quicquid officiorum & beneuolentiæ nunc in eum contuleris quibuſcunque rebus, dum conſilium meum quod certis veriſque de cauſis dedi, ſequitur, amorem & ſtudium oſtenderis, id mihi ſic futurom gratum, ac ſi ſummo beneficio ipſe a te affectus eſſem. Ego ita me Deus amet hoc tempore infirmiſſima valetudine vtebar, & vſque adeo debilis eram, vt laborem proferendæ vocis moleſte ferrem. Scribo tamen quibus poſſum. Facile patiar ſumma ingenia de calido innato, & iis rebus de quibus veterum ſententiæ non ſatis explicatæ ad nos extant, verum ego Hippocrati noſtro aſſentior, & ipſe ſentio in meo corpuſculo quantum iſtis ingenioſis diſputationibus fidei ſit adhibendum. In mea Iſagoge quædam de calido innato mutaui, & vt arbitror, commodius ſcripſi,

De calido innato intricata diſputatio.

nec tueor Fernelium, verum inter recentes haud ſcio an quiſquam meliora ſcripſerit Fernelio. Magna alacritate cum primum venirem in Italiam etiam Montano contradicebam, & quidem tum melius in memoria habebam ſentẽtias Galeni, quam nunc habeo. Sed mitto iſta. Conſilium illud de profectione in Gallias etiamnum rectum eſſe ſtatuo, & Senecæ illud teneo; Nulli rei prodeſſe moram niſi iracundiæ. Sed de his cum tu voles, ſi modo ego vixero. Quam enim tenuis ſit mea valetudo ſentio, & in eo tamen, de qoo dixit vir Dei. Ipſe eſt longitudo dierum vitæ noſtræ, plus ſpei quã in calore innato habeo. De lectione recentium dixi hæc: Interpretes cognoſcendos eſſe: non diſputatores iſtos de quibus verus eſt verſus ille: πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως, ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει. Ac etſi Montanus & Fernelius diſputant, plus tamen in illis eſt moderationis, quam in aliis. Propoſitum de legendo Galeno valde probo, & vtinam te in eo iuuare poſſem. Legi ſemel atque iterum multos libros, & qua ratione nunc, ſi per valetudinem liceret, cupiam, puto me tibi oſtendiſſe. Scis Galeno tria propoſita eſſe. Primum vt omnes partes artis Methodice tractet. ſecundo, vt doctrinam Hippocratis explicet. tertio, vt ſuas obſeruationes doceat. Hæc igitur vt ex lectione librorum Galeni conſequamur, principio tenendus is ordo, quem in ſuis prolegomenis in Galenum oſtendit Montanus, id eſt, legendi libri ordine conſtitutionis artis, vt primum phyſiologici, &c. & ex ſingulis methodus vniuerſalis conſtituenda. Ac ſi quid forte in iſtis libris, quod ad particularia ſpectat, reperimus, illud ſeorſim annotandum. Primum quidem ea, quæ ad morborum cognitionem & curationem ſpectant. Hic obſeruanda ſunt cauſæ, ſigna, curationis modus & remedia. Deinde axiomata varia, tertio hiſtoriæ, poſtremo enantiomata ſeu pugnantes ſententiæ, & dubia, quæ ſe in lectione offerunt. De his quærendum Doctorum iudicium. Hæc pauca, mi Ioachime, ſi in multa & vera duxeris non ſine fructu in Galeni lectione, & veterum Medicorum verſaberis. Interpretes non velim te contemnere, ſed vbi habere potes, adhibere. Maxime autem eos, qui argumenta quaſi & ſummas librorum recitant. Id quod facit in præcipuis libris GESNERVS in editione latina Cornarij. Nec prorſus contemnenda eſt Lacunæ Epitome, etiamſi, *Rectius ex ipſ. fonte bibuntur aqua.* Habuit is ea exemplaria ad manus, quibus nos cauemus. De reliquis ſcribam

Methodus legendi Galenum.

Scopi Galenici.

Interpretes admiſſi.

Summaria Geſneri.

Epitome Lacunæ.

plura. Nec putabam me tam multa ſcripturum cum calamum ſumerem. Etiam ſacra neglexi nunc quod minime ſæpe facere ſoleo, & longiores epiſtolas ad te non loquacitas mea, verum ſingularis beneuolentia facit. Balthaſar vidit mihi ὑφήγησιν deſtillationum eſſe in manibus. Non poſſum ſatis explicare cogitationes meas, & nunc deſudo in differentiis odorum & ſaporum, quæ in aquis & oleis ratione deſtillationis ſunt. Si haberem, qui me deſcribendo ſaltem recte poſſet iuuare, maiore alacritate omnia facerem. Bene vale. Vratisl. die Iacobi.

EPIST. CIX.

IDEM EIDEM.

INCIPIEBAMVS iam expectare Balthaſarum noſtrum, eum virum, quem tu mihi inuiolata amicitiæ fide cōiunctum noſti, ac vero etiam veſtras literas. Cum autem Iacobus tabellarius noſter ſe ad vos iturum ſignificaret, facere non potui, quin aliquid literarum ad te darem, etiam ſi ad ſcribēdum minime eſſem accōmodatus. Multis enim diebus pituita & grauedine laboro, quæ mihi & ſomnum adimit, & ſtudia etiam in quibus libētiſſime acquieſcere ſoleo, difficilia reddit. Itaq; nullas propemodum ferias cogitationes ſuſcepi, nec in iſta deſtillatione de noſtris deſtillationibus aliquid ſum meditatus. Ioachimus Cureus multum diſputauit cum Italis doctoribus de mea ſententia, ac potius veterum, nam eam teneo & tueor do peſtilentia, & mihi frigidiſſima eorum argumenta perſcribit. Verum etiam num hoc

Sententia Cratonis de peſte.

firmum eſt, Peſtilentia affici corpora, &, vt Græci dicunt, λοιμώττειν ob hauſtum ſeminarium putredinis, ſed venenum aereum (vtrumq; enim eſt apud Galenum) inſpiratione, & morbum iſtum ratione cauſæ, id eſt, venenatæ qualitatis, quæ virtutem vitalem tota ſubſtantia oppugnat dici & eſſe morbū totius ſubſtantiæ etiam ſecūdum Galenum. Excitari autem à veneno inſpiratione attracto in corporibus cacochymia, vel plenitudine affectis ſæuam & perniciofam putredinem longe ſuperantem vulgaris putredinis, quæ ab obſtructione eſt, conditionem, & hanc conſequi febrem, eamq; dici peſtilentem veram, quam ego cum hic appello, ab his diſtingui, quas Galenus Peſtilentes priuatas λοιμώδεις ἰδίως πυρετοὺς καταλαμβάνοντας τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρὶς λοιμοῦ, ἐπιδη. γ. appellat. Porro in curatione nos non temere vſitatas indicationes curationis febrium reſpicientes ad putredinem, aut febrem, ſed alexipharmaca, quæ morbum totius ſubſtantiæ à tot ſubſtātia, oppugnant, adhibere, nec hæc prodeſſe tantum (vt Itali volunt) quia ſpiritus roborant, & exiccant humidum putredinale. Alias antem indicationes, & præſertim in ſummo morbo ſummā virium conſeruationem non negligendas, Quia ſymptomata illa, videlicet, febris, carbunculi, bubones, antraces, exanthemata, φλύκταιναι, &c. ſæpe ad ſe curationem trahunt. Iuſſi illos reſpicere ad totam curationem veterum, in omnia exempla antidotorum, & in illud etiam, propter qood Hipocrates corona aurea ab Athenienſibus eſt donatus, de quibus illi manifeſte poterūt cognoſcere alias intentiones, quam ſolius putredinis veteribus propoſitas fuiſſe, neq; à veterum Græcorum ſententia noſtram quicquam diſcrepare. Illnd durum illis quod ſpirituum putredinem non aſſero. Neque enim hoc apud Galenum vel Ariſtotelem eſt, vt vult meus collega, & dico vitalem virtutem à veneno labefactari poſſe, etiam ſi non fiat putredo. Item quod quaſi hecticum dico.

Spirituum putredo negatur.

Haud dubie mihi paratæ erunt lites, ſed ego ſatis munitus ſum teſtimonio veterum, etiamſi Galenus affirmet Hippocratem de peſtilentibus morbis nullum peculiatem librum ſcripſiſſe & ego Galeni librum de iis ad nos non extare dicam ac probare poſſim. Extant antem paſſim ſententiæ, quas ego tueor, quia veteres plerunque rectiſſime locutos iudico, & Italorum κενοδοξίαν καὶ φιλονεικίαν non poſſum probare. Cognoſco lubenter multorum opiniones, & etiam non optimorum ſcriptorum interdum ſum ſtudioſus. Quia ſecundum Plinium liberalo eſſe exiſtimo, hominem addictum optimis artibus cognoſcere multa, credere non omnia. Verum de hoc puto me antea quoque te monuiſſe. Exemplaria noſtrorum Montanicorum conſiliorum nondum accepi, fortaſſe Francofurtum citius, quam ad nos peruenient.

Cognoſcenda multa, Sed non credenda omnia.

Hoc anno quatuor præſtantiſſimi Medici ſunt extincti Rondeletius & Fernelius in Galliis, Oddas de Oddis & Franciſcus Friſimelica in Italia, & ſunt pauci iuenes reliqui. Iuniores eſſe rixatores videmus. Itaq; non velim te diu in Germania hærere. De lectione Galeni ſcripſi nuper, & ſi quid à me præterea deſiderabis, libentiſſime ſum facturus. Noſti meam exiguitatem & ſterilitatem. Sed ſic eſſe malo, qnam producere noxia, aut nimium luxuriantia. Bene & feliciter vale. Vratislauia 12. Auguſti. Anno 1558.

Præſtantiſſ. 4. medici hoc anno mortui.

EPIST. CX.

IDEM EIDEM

I

CVM nuper abirèm Glogouiam ad eos homines, quorum beneuolentia,& obſeruantia erga me tibi eſt perſpecta, pleniſſimas literas ad te dedi, eaſq; Lipſiam Patri tuo tranſmiſi. Huc vero cum reuerſus, accepi tuas à Balthaſate noſtro mihi exoptatiſſimas & gratiſſimas. D. Ioachimus Cureus de noſtris diſputationibus ſic ſcribit, Ego opera Cl. Trincauellæ eluctatus ſum ex diſputationibus de peſte & febre peſtilentiali. Neque reipſa eius opinio, quæ firmiſſimis & vere philoſophicis nititur rationibus à tua diſſentit, niſi quod δυνάμεις aſtrorum particulares, non facile admittunt Peripatetici. De Fernelio autem hoc dixiſſe Fallopium, Fernelio hoc tempore attribui palmam in re medica etiam illius æmuli nõ negare poſſe,& Italos, qui ſuo more magnos viros obtrectationibus volunt premere, neceſſario agnoſcere Fernelium ſummum huius ætatis Philoſophum & medicum: velle tamen, minus eum fuiſſe audacem in reprehẽdendis veteribus. Vide quam Fallopii iudicium cum tuo conſentiat, ac ſi videbitur hæc D. Caſparo ſignifices. Matthioli maſtix Guilandinus in Thurciam abiit ſecutus legatũ Venetũ, ſuas chartas depoſuit apud quẽdam Patauii, cui mandauit, niſi redeat intra octo annos, vt omnia Vulcano tradat. Scribit Cureus Aloiſium plurima errata ipſis monſtrare in Matthioli Dioſcoride, & modeſte eum tractare. Curabo vt & tu iſta videas. De obitu Rondeletii ſcire me, potuiſti ex proximis meis literis cognoſcere. Vtinam fallamur de Trincauella, admodum ſenex eſt, hunc mihi mirifice laudat Cureus, adeo vt doleat, quod eum non ſtuduerim familiariter cognoſcere. Præclara opera quantum intelligo relicturus eſt poſteritati & probe limata. Nihil eius vidi præter libellum de reactione, qui ante annos 40. eſt editus. Hac hora accepi literas à Woyſelii filio, qui ſcribit Fernelium mortuum menſe Aprili & eius opus practicum exiturum, præelo cuſtodi Gulielmum Plantinum. Diligenter igitur ad proximum mercatum inquires. Ad reliquas partes epiſtolarum tuarum, ex quibus ego bene mutuis fidum pectus amoribus (vt Horatii verſu vtar) perſpicio, nihil reſpondeo. Sum is, qui eſſe debeo. Vale feliciſſime. Vratislauiæ pridie Bartholomæi. Anno 1558.

Trincauella conſentit Cratoni in peſte.

Fallopii de Fernelio iudicium.

Guilandinus.

Aloiſius errata Matthioli docet.

Opera Trincauellæ.

Opus Fernelii practicum.

EPIST. CXI.

IDEM EIDEM.

MITTO Dioſcoridem diu à te expectatum, in quo multa vtiliter monui, plurima eximia remedia oſtendi. Hæc vero quanta ſint faciendi cognoſces, cum ea, quę nunc diſcis, ad vſum transferes. Interea vt iſta noſtra ſint facies, ac cauebis ne diuulgentur. Vides me multa capita quaſi intacta reliquiſſe, vel quod herbas non cognoſcimus, vel quia verus vſus ſatis ab illis eſt mõſtratus. In poſtrema parte valde probo iudicium, & diligentiam tuam, & delectabit te hic labor cum leges, certe in magnis etiam voluminibus, nihil reperies, vel melius vel rectius. Chymica ne diu deſideres operam dabo diligenter. Medicationes nihil mihi concedunt otij, quod profecto iſta requirunt, & vix potui Dioſcoridem abſoluere. In Galeno autem multis menſibus parum ſum verſatus. Habuimus in manibus Methodica noſtra propter eam iniuriam qua non ſolum me, verumetiam Præceptorem meum Montanum Donzellinus affecit, ſiquidem ea quæ Bechius noſter ſcripſit vera ſunt, oro diligenter perquiras libros quos ſe mihi miſſurum promiſit, & his addas eos, qui videbuntur nobis eſſe mittendi. Fortaſſe auriga, qui adducet M. Petrum vacuo curru redibit. lectiones Trincauellæ in has literas coniiciam. Plures nondum accepi. Rixantur varie Itali, & hoc quidem eſt exemplum eximiæ & diligentis diſputationis. Fallopius ſtudet conuellere multa: id mihi non placet: & Boruſſus ille, quem domi ſuæ alit, quique ad Geſnerum quendam ſcripſit, nimis acerbe & inhumaniter, vt audio tractat Matthiolum, ſed de his alias plura. Ea quæ de valetudine ſororis tuæ ſcribis, meum quoque animum conturbant, ſed ſpero & opto ei fore melius. Recte ſentis in iſtis morbis non ad ſolam intemperiem, id quod plerunque faciunt practici, ſed ad obſtructiones & catarrhum reſpiciendum. Monui aliquid in capite de tuſſilagine, & frequenter vtor, vel aqua tuſſilaginis cum ſyrupo de ſucco Endiuiæ ſi manifeſta febris, vel aqua cardui cum eodem ſyrupo ac trochiſcis interdum ad tollendas obſtructiones. Verum hoc videbit rectius D. Meurerus quem à me officioſe ſalutabis. Bene vale. Vratislauiæ pridie Cal. Maij. Anno Milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo octauo.

Donzellinus. Bechius.

Fallopius.

Guilandinus.

Catarrhi cum obſtructionibus.

EPIST. CXII.

IDEM EIDEM.

MAGNA cum animi perturbatione & plane συμπαθῶς legi tuam epiſtolam, & quod potui Deum ſum precatus, vt tuos benigne ſeruet. Quid autem reſcribam non

no habeo, præſertim cum nihil admodum meis reſpondeas. Hoc equidem minime moleſte fero, illud potius doleo ſtudiorum tuorum curſum impediri atque remorari. Tuo optimo patri hoc tempore non volui ſcribere, propter eas cauſas quas cogitare potes. Non puto vobis conſilia medicorum deeſſe, qui ſciũt quartanam acrius in principio tractatam fieri deteriorem & reſpuere etiam eam ordinariam, vt vocamus medicationem. Ego meis ægris aliquandiu exhibeo ſingulis menſibus ſub noctem decoctum raparum cum butyro. Proſunt enim rapę à manifeſta & ſpecifica vi. Quia humectant humorem melancholicum ſuauiter, aperiunt & leniunt. Deinde do ſuccum cardui vel in forma pillularum, vel in ſyrupi. Et cum video materiam probe eſſe coctam expurgo primum infuſo cum ſyrupo violaceo, vel de pomis, deinde agarico, poſtea exhibeo extractionem ellebori ad ℈j. vel ℈ ß. in debilioribus. Et hoc modo plurimos ſanaui. Ratione confortationis nihil eſt melius conſerua roſarum cum ſpeciebus aromatici Roſati deſcriptione Gabrielis, ſine ſpica, & media parte muſci & ambræ. Fluxiones ventris, hac æſtate ἐπιδήμιον malum fuerunt, & mihi quoq; aliquoties mota eſt aluus, cũ fere ſemper ſit aſtricta. In vicina Morauia acre eſt peſtilentię malum, & periculum eſt ne in hanc vrbem importent. Ad nephriticos dolores leniendos, & elidendos calculos, dices Patri, plurimum prodeſſe ſyrupũ factum è ſucco veronicę, & vſum aquæ, quę fit ex ea herba, quam Tragus arbitratur eſſe ſpeciem Mercurialis, & tertio ordine ponit, ac *ſpringskraut* appellat. De hoc monui in Dioſcoride. Vtinam vos iuuare poſſim quãrumuis ipſe infirmiſſime valeam. Ita vexatus ſum ſuperioribus diebus tinnitu auriũ, vt metuerem grauiora. Sed beneficio Dei meliuſcule nunc valeo. Conſultationes Donzellini videre cupio. Noſtra chymica propter meam & aliorum valetudinem his duobus menſibus non attigi, & requiro in multis certiorem experientiam. Sebaldus iam proficiſcitur in officinã, in qua vitrum conficitur, & afferet nobis conuenientia inſtrumenta, quæ profecto ad deſtillationes requiruntur. Quod promiſi, ſi modo vita ſuperet, bona fide præſtabo. Bene & feliciter vale, & tuos omnes, inprimis parentes, à me officioſiſſime ſaluta: Vratislauiæ die Matthiæ. Anno 1558.

Quartanæ cura. *Raparum decoctum.* *Diarrhœa.* *Dolorũ Nephriticorũ.*

EPIST. CXIII.

IDEM EIDEM.

HERI ad te literas dedi; nec hanc occaſionem quam mihi Balthaſar noſter oſtendit, volui negligere. Venit nunc mihi quiddam in mẽtem de medicatione Quartanæ. D. Simon Piſtoris ante triennium ea laborauit diu, dicebatq; mihi ſe multis remediis vſum eſſe, ſed vnum hoc profuiſſe. Accepiſſe vinum ſublimatum diligenter, quod aquam vitæ appellant, & madefeciſſe vt nos vocamus, petiam lineam, ac adueniente Quartana impoſuiſſe ventriculo. Hoc modo ſe eam depuliſſe. Videtur mihi ſatis tuta eſſe medicatio, præſertim in frigido vẽtriculo. Verum tu de ea cum Medicis veſtris deliberabis. Ego eam quam nuper perſcripſi rectam & rationalem iudico. Sed his omiſſis ad alia tranſeo. Miror quomodo τὸ θεῖον in peſte Galenus aërem interpretatur, cũ Hippocrates de malis agat, non de morborum cauſis. Præterea cum ex Hippocrate manifeſtum ſit præcipuas mutationes in aëre corporibus cœleſtibus eſſe aſcribendas, deniq; cum non quælibet exhalationes ſint morbidæ & peſtilentes, ſeu forma iſta prædita. Et vnde malum hoc cor, quod eſt maxime formale, in homine petit, niſi quia venenatũ? Marſilius multa improprie ſcripſit, & fortaſſe non ſatis doctrinam Galeni cognouit, id quod teſtatur ſimilitudo de dracone, quam ex Galeno affert. Rhaſis in ſuo libello pulicarem morbum deſcripſiſſe videtur. Sudorem anglicum Epidemium magis morbum (licet initio Eudemus fuerat) quam peſtilentem fuiſſe arbitror. Herba quam Veneti ſclauenam vocant, ſeu ſclauonicam, & quidem Harmel ſeu rutam ſylueſtrem putant, conſtare dicitur tribus aut quatuor radicibus ſimul intextis, quarum quælibet ſit veluti corda intorta, colore fuſco, amara, herba foliis rutæ. Ego in morbo Gallico intra corpus oleum vitrioli exhibeo. Poſt calcinationem vitriolum redigo in puluerem, ex quo effuſa aqua facio lixiuium, decoquo rurſus ad ſpiſſitu[illegible] in puluerem redigo. Ex hoc oleum elicere ſoleo, cui vinum affundo, idq; per balneum detraho, & rurſus bis aquam, quam itidem detraho, ita vt nulla aquoſitas permaneat. Laurea noſter ſcit optime modum faciendi ſulphuris oleum per aſcenſum, non campanam vel deſcenſum. Sed intra corpus non datur. Bene vale, & reſcribe quamprimum poteris. Vratisl. 24. Septemb. Anno 58.

Empiricum quartanæ remedium. *Marſilius.* *Pulicaris morbus Rhaſis.* *Sudor Anglicus.* *Ruta ſylueſtris.* *Ol. vitrioli.* *Ol. Sulphuris.*

EPIST. CXIV.

IDEM EIDEM

HERI mihi hic nuncius tuas attulit XII. Octobr. datas, quibus varie ſum

affectus. Nam veſtro dolori certe συμπάσχω. Mœrorem autē diminutum iri ſpero, quando optimus & Doctiſſimus vir Pater tuus nunc occupatur Platonicis, atque tibi κύρτους καὶ ἐγκύρτια, quæ ſunt in eius Timæo explicat. His autem te addere velim Galeni interpretationem, quæ extat in Platonis Timæum, atque ea quæ in libris de Hippoc. & Platonis decretis docet. Quidam exiſtimant fragmentum illud Galeni in Timæum non eſſe Galeni, verum non video quibus rationibus adducantur, cum ipſe Galenus huius mentionem faciat. Sed de his Magiſtrum domi habes. Ego meam Iſagogen multis in locis correxi, & de calore innato ſententiam meam mutaui. Video D. Meurerum ſequi Galenum atque Montanum & tuto. Caſparum autem noſtrum habere bellas quidem cogitationes, ſed parum firmas. Nam dicere calorem innatum eſſe partem ſubſtantiæ humorum & ſpiritus vitalis eiſque ita ineſſe, ſicut membris ſolidis, haud ſcio an veterum doctrinæ conueniat, & rationibus tueri poſſit. Item in febribus eum conuerti in igneum. Certe cum calor innatus in aliqua parte corrumpitur, gangræna fit aut ſphacelus. In toto autem non corrumpitur niſi extincto calore viuifico, quem infuſum appellamus, in corde, tum & cadauer mortuum putreſcit. Et ille viuificus calor, qui σύμφυτον fouet, καὶ [illegible] afficitur in febribus, & lædit ἔμφυτον, vt dixi in noſtra Iſagoge. Sed non mirum. Nam ego de his profecto multum cogitaui, & Montanus dixit ſe cum diu fuiſſet Doctor, tandem ſenem cognouiſſe quid ſit calor innatus. Eſt locus in Galeno com. 4 Aph. 37. qui patrocinatur Caſparo, ſed is de ſpiritu naturali intelligendus, etſi eum calorē naturalem, ſicut & in aliis locis Galenus vocat. ſed hac de re in proximis literis perſcribam meam ſententiam. Nam hac hora ſignificauit mihi tabellarius ſibi ſubito abeundum eſſe. Itaque ſine literis meis dimittere nolui. Si Platonem Baſilienſem Græcum mittes gratum facies, & ſtatim pretium remittam. Cum eſſem iuuenis, ſatis mihi erat ſi in quadam auiditate res prompte poſſem cognoſcere. Ideoq; verſiones amabam, nec putabam me plus viſurum in Græcis, quam vidiſſent doctiſſimi viri Interpretes. Nunc ſæpe hæreo in vocabulis, ſæpe deploro, quod in Græcis minus ſtudioſe ſim verſatus. Nunquam intellexi qoid ſibi vellet Plato cum Socrates recitat mirabilem iſtum ſermonē: Multa vnum eſſe, & vnum multa. Iam primum Methodum compoſitiuam & reſolutiuam perſpicio, ſed his nunc non vacat ſcribere. Chymica rurſus in manibus habeo. Hiſce diebus totus fui in corrigenda Iſagoge, & ſi modo haberem, qui ſcriberet correctum exemplar ad te mitterem. Bene & feliciter vale, & à me tuos omnes amanter atque reuerenter ſaluta. Vratisl. die 23. Octob. Anno 58.

Comm. in Timæum Platonis Galenicum.

Montanus in ſenio caloris innati eſſentiam demum agnouit.

Græcæ linguæ ſtudium.

EPIST. CXV.

IDEM EIDEM.

ET lætor patrem tuum virum optimum ac doctiſſimum, & mihi amicum certiſſimum, magiſtratum quē ſemeſtre in multis publicis moleſtiis atque domeſtico luctu ac mœrore geſſit, depoſuiſſe, & Deum precor, vt dolorem matris tuæ præſtantiſſimæ fœminæ conſoletur, morbumque depellat, ac veſtram laudatiſſimam familiam conſeruet, vere [illegible] faciat. Patrem quidem tuum ea doctrina & vſu rerum inſtructum, ea ſapientia, animique magnitudine & excellentia præditum ſcio, vt & moderari dolorem, mœſtitiæq; reſiſtere, & aduerſa, quæ humanæ vitæ incumbunt, recte ferendo ſuperare poſſit. Hancque meam de illius virtute opinionem, ſeu perſuaſionem potius, confirmant literæ tuæ, quibus mihi ſignificas, domi eum tibi Platonis Timæum interpretari, atque hoc modo non ſolum aberrationem à dolore quærere, verum ſtudia tua medica iuuare. Hæc cum legerem valde cupiebam explicantem κύρτους ἢ ἐγκύρτια Platonica audire, & quomodo ignem eius foueret, quem Galenus noſter ſua aqua plane conatur extinguere. Nam Platonem Timæum ſuum, cum exactæ ætatis eſſet ſcripſiſſe affirmat, & errante iudicio vel indiligentia quadam non ſatis Hippocratis ſenſum aſſequutum. Eſt autem vt meminiſti, diſputatio de reſpiratione & calido innato, de quo cum alii aliter ſentiant, & magna ſit opinionum diuerſitas, libet tibi meam, quam arbitror eſſe rectam, nec à doctrina veterum, eaque ſententia, ad quam Montanus ſe ætate ingraueſcente lætabatur traductum, alienam, exponere. Philoſophi & medici duplici modo cōſiderant, vel vt qualitatem, ſeu quemadmodū in ſcholis loquūtur, in abſtracto, vel vt in ſubiecto: cumque agunt de calido innato, de ſubſtantia ſeu corpore calido loquuntur. Ac Galenus quidem ſubiectum eius aëreum atque aqueum ſtatuit. Plato igneum, ſed diuinus Hippocrates hanc litem, quæ etiamnum durat, Aphoriſmo 14. primæ particulæ dirimit, oraculum illud edens: Qui creſcunt, plurimū calidi innati habent. Senſus autem declarat in pueris calorem ſuauem, [illegible] em & gra-

De calido innato ſententia Cratonis.

Subiectum calidi innati.

tum eſſe, & in ſubiecto aëreo atque aqueo maxime vigere. In adultis autem & iam ætate ſiccatis igneam vim obtinere, minus ſuauem eſſe, citiusque deflagrare. Sed de ſubiecti ratione deinceps agemus. Primum quæ ſit caloris illius origo, & ſubſtantia, quæ temperatura, deniq; quas in corpore actiones habeat videamus.

Origo & ſubſtantia calidi.

Nam de nomine, ſiue ἔμφυτον, vel σύμφυτον θερμὸν, vel naturalis calor dicatur, non arbitror pugnandum. Initia noſtræ procreationis eſſe iuncta ſemina, atq; ſanguinem maternum dubium non eſt. Ac ſi de eorum congreſſu atque effectionibus alii aliter diſputauerunt, tamen vim quandam caloris generationi conuenientem habet, nec prorſus mortua eſſe, atq; à cœleſtibus etiam cauſis calorem iſtum ſeminis augeri atq; foueri dum ſemina in vtero ad conceptum tuendum idoneo conueniunt, conſentaneum eſt.

Spiritus naturalis ſubſtantia.

Hic igitur calor excitatus vi cœleſti inſitus in ſemine agit, & per omnes partes ſeſe ita diffundit, eisque ita arcte ſe inſinuat, vt vita prius animans, quam hic calor deſerat. Vnde etiam extinctis corporibus aliquantulum in membris ſolidis tunc remanere ſentimus, cumque iis diſceſſit, ſubito corruptionem & putredinem conſequi. Hic igitur calor, qui è vi ſeminis virtute cœleſti fultus, eſt expreſſus, & membris ſolidis inſitus, ad extremum vſq; ſpiritum durat, & ſpiritui naturali, de quo poſtea agemus, cuius ſubſtantia eſt calidior, & humidior, ita inhęret, eoq; commixtus eſt, vt nullo modo diuelli poſſit.

Proinde & veteres promiſcue ſæpe caloris innati & ſpiritus mentionem faciunt, quibus dictis non parum iſti perturbantur, qui ignorant calorem, poſteaquam ſimul inſedit huic ſpiritui naturali, recte ſubſtantiam dici. Multi odioſe & inepte pugnant, quaſi veteres de ſpiritu naturali nunquam cogitauerint, aut is nullius ſit vſus. Verum de ſpiritu naturali ſubiecto proprio caloris innati deinceps agemus. Habes quæ ſit calidi innati origo & ſubſtantia.

Temperam. calidi.

Temperamentum eius in ſumma mediocritate conſiſtit, quæ naturæ amiciſſima eſt (Galen. 8. de decretis, de ſalubri diæta, de cauſis pulſuum. com. 1. Aph. 14. ac potius is, vt medicis & philoſophis placet, ipſa natura (Gal. de Marco. com. 5. Aph. 22.) & vis conſeruatrix generandi, augendi, & nutriendi exiſtit. Quia vero vt philoſophi ſtatuunt: Quod continetur conuenientiam habet cum eo quod continet. Itaq; ſubiecti ſui ratione calidus & humidus cenſetur. Inde Galenus affirmat conſtare e[x] [aë]re [sic: n aëre] & aqua, reſpiciens ad naturam ſemi[ni]s, ex quo uriginē ducit, & ſpiritus naturalis, cui arctiſſima coniunctione eſt copulatus. Neq; Hippocrates hæc diſcernere videtur, dum & calorem & ſpiritum iſtum ἔμφυτον θέρμον 14 & 15. Aph. primæ particulæ appellat. Et Galenus manifeſte quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, innatum calorē ſpiritum vocat, inquiens: Nihil prohibet ſi ſanguineam ſubſtantiam, ſimulque aëream vna cum ſpiritu calidum innatum vocemus. Itaq; cum Galenus acriter ſubiectum caloris innati humidum ſtatuat, non admittit iſtam ἀναλογίαν Platonis ad ignem, eiuſq; ſubſtantiam hoc modo oppugnari, & actiones omnes turbari, denique ſententiam Hippocratis euerti cenſet.

Plato reprehenditur à Galeno.

Actiones calidi.

Calor cordis.

Nunc eius actiones conſideremus. Calorem ἔμφυτον formam membrorum, ſeu partium ſolidarum eſſe conſtat, vt manifeſte teſtatur Hippoc. & Galen. com. 4. Aph. 37. & com. ſexto Epid. ſubſtantia animæ dicitur. Hic enim omnia membra ſua vi conſeruat, &, vt philoſophi loquuntur, diſponit ad ſuſcipiendū calorem a corde influentem, qui ἐνέργειαν vitę ſingulis corporis partibus communicat, ſicut manifeſte Gangrænæ, σφάκελος, καὶ νέκρωσις membrorum oſtendit. Hic prolificam vim tuetur, atq; in ea fortiſſime ſeſe exerit, vnde eo destituti frigere dicuntur. Hic augmentationi donec humidum, quod Galen. ὑγρὸν κατὰ φύσιν appellat, conueniens eſt, inſeruit. Deniq; ad extremum vſque ſpiritum corpus nutritione conſeruat.

Famula calidi innati.

Habet autem adminiſtras virtutes: ἑλκτικὴν, καθεκτικὴν, ἀλλοιωτικὴν, καὶ ἀποκριτικὴν, nec vnquam eſt otioſus, ſed omnibus coctionibus adeſt, donec nutrimentum deducatur ad formam conuenientem, & aptam nutritioni, & conſeruationi totius corporis, & ſingularū partium, ac niſi adhibeantur alimenta τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος, vt Philotheus ait, ἐξαναλώσει. Ex harum autem facultatum præſtantia atq; effectionibus, caloris quoq; huius excellentiā metimur, ac recte Hippocratem [...] [...] eſſe ſtatuimus τὰ αὐξόμενα πλεῖστον ἔχειν ἔμφυτον θερμόν. Nam etſi in iuuenib. ſiccitati iunctus igneam vim habet, & ardentior eſt, tamen quia in pueris conſiſtit, in ſubiecto magis conuenienti, videlicet humido, præſtantiores effectiones habet.

Nam in febribus patiatur calidum innatum.

Hic autem quæritur, patiatur ne hic calor in febribus. Certe in illis, quæ ἐν ἕξει conſiſtunt, valdeq; acutæ ſunt, vna cum ſpiritu vel proximus eſt extinctioni, vel omnino vita diſcedēte extinguitur, vt teſtatur Gal. commentatio 4. Aphoriſmo 37. Siquidem ſolidæ partes, quas vt Hippoc. ait, regit, vim morbi ſuſtinent. Verum in iis febribus, quæ ἐν χυμοῖς ſunt, vel calefactis ſpiritibus, vel vaporibus putridis af-

ficientibus calorem cordis, quem infuſum appellauimus, afficitur κατὰ συμπάθειαν, quam habet cum calore cordis, qui κατὰ πρωτοπάθειαν accenditur atq; affligitur, nec corrumpi ἔμφυτον conſentaneum eſt, id quod naturalis calor corporis, quando diſceſſit febris, teſtatur. *Num calidior ſit pars ſubſt. humor. & ſpirituum.* Porro an ſubſtantiæ humorum & ſpiritus pars ſit ἔμφυτος calor, dubitari poſſe video, neque libet de hoc odioſè rixari, cum videam veteres tantum ſolidis partibus eum tribuere, & ſciã varie multa poſſe excogitari, & dici in iis, quæ à veteribus non ſatis perſpicue, explicare & diſtincte tradita ſunt. Putredo humorum abſque hoc commento dextre explicari poteſt, modo Ariſtotelica cum medicis de putredine prorſus non confundantur. *Spirituum putrefactio.* De ſpirituum autem putrefactione fateor me id neſcire, quod neſcio, & de hac vera & firma doceri cupio, cum in veterum doctrina nihil, quantum ea mihi cognita atq; explorata eſt, certi babeamus. Reſutatæ ſunt opiniones quorundam erudite à Victore Trincauella, doctrina atque vſu excellenti medico, cui ego plus fidei adhibeo, quam ſubſtructionibus recentibus. *Spiritus naturalis 1. Origo. 2. Temper. 3. Actiones.* Sed de bis ſatis, & quæ ſit ſpiritus naturalis origo, temperatura, & actiones conſideremus. Ac primum non exiſtimo odioſe cum illis pugnandum, qui præoccupati neſcio quibus opinionibus ſpiritum naturalẽ in corpore humano eſſe negãt, cum illi manifeſte declarent ſe non tantum in conſideratione naturæ rerum, & veterum lectione verſatos, quantum fortaſſe ſibi fingunt.. Nihil hic de Ariſtotele dicam. Nonne Galenus exponens 15. Aphor. primæ particulæ inquit: Membra ſolida à ſpiritu conſtare? Item in quinto de ſimpl. med. facult. perſpicue de eo loquitur. Eſt autem hic ſpiritus, vt erudite & philoſophice hoc probat Actuarius in libello περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, &c. fundamentum, fons & origo quaſi ſpiritus vitalis & animalis ex- [illegible] prima generatione è ſemine & ſanguine materno non ſolum membris, quę nutritioni ſeruiunt, inditus à natura, verum omnibus totius corporis partibus, calori naturali ita vnitus, vt ab eo magis cogitatione, quam re ipſa diuelli poſſit. Porro ſicut omnis ſpiritus ſubſtantia eſt tenuis & lucida, ac inter ea, quæ diſſolui, & non diſſolui poſſunt media: Ita & hic ſpiritus eſt aëreus, calidus & humidus, à cœleſti vi, non minus in noſtro corpore illuſtratus, quam hic aër circumfuſus, quem lucem & claritatem à corporibus cœleſtibus accipere plane non eſt dubium. Nec propterea, quod vitalis eo ſit lucidior, tenuior & agilitate calorequo maiori præditus, minusque ſpiret, huic appellatio ſpiritus deneganda eſt. Nam reuera ex ſemine atque ſanguine quædam aërea, cœleſtisque vis ſpirat, quæ partium omnium ἐντελέχεια eſt. Vt autem membra, quo ſunt perfectiora nobiliores & perfectiores actiones edunt, ita quo hoc ſpiritu pleniora, quove is eſt purior & firmior, operationes eius euidentiores & præſtantiores ſunt. Ac Galenus cum contra Platonem aëream potius atque aqueam vim & naturam calido innato tribuit quam igneam, nulla de re magis, quam hoc ſpiritu pugnat. Siquidem moderato calore potentia, quam vegetatiuam dicimus, cuius ſpiritus naturalis inſtrumentum eſt, ac ſine quo animal neque generari, neque augeri, vel nutriri poteſt, gaudet. Præeſt autem non tantum coctioni ſanguinis in epate, verum etiam chyloſi in ventriculo aliisque omnibus coctionibus, augmentationem & nutritionem ſolidarũ partium gubernat, denique nihil vitam habet, quod hoc ſpiritu non ſit præditum. *A calido innato ſola ratione diſtinguitur.* Diſtinguitur autem, vt dixi, ſola ratione à calido innato. Nam eum concoquit, diſtribuit, trahit, retinet, &c. calor naturalis, vel ἔμφυτον θερμὸν dicitur. Cum palpitat, mouet, &c. ſpiritus naturalis. Hinc Galen. 8. de Hipp. & Platonis decretis, arteriarum motum non tantum cordi & ſpiritui vitalis, ſed inſito calido tribuit. Hoc vero ſpiritu obruto, debilitato & exhauſto ſuboriuntur flatus, variorum & maximorum morborum cauſæ. *A flatibus varii morbi.* De quib. in præſentia non libet dicere. Illud addam, licet ſpiritus naturalis non ſit plane anima vitalis, tamen meliorem & præſtantiorem partem eius eſſe magis elaboratam in corde & quaſi igneam factam. *Spiritus animalis.* Mediocritatem autem quandam obtinet is ſpiritus, quem animalem dicimus & quaſi ſummam perfectionem in cerebro conſequitur. Vnde eius actiones intelligere, ratiocinari, &c præſtantiſſimæ ſunt. Sed de his nunc nõ neceſſe eſt plura ſcribere. De calido vero innato & ſpiritu naturali, de quo propoſitum fuit diſputare, me tibi perſpicue commonſtraſſe puto, non eſſe noua & inania hæc figmenta, ſed è doctrina veterum & rerum natura petita. *Autoritas veterum.* Quid enim eſt in verbis Galeni, quæ ſunt in libro de tremore & rigore ambiguitatis aut obſcuritatis, cum inquit, *Galeni.* Ducetur hæc ratio de principiis Hippocratis, neque pro corporis noſtri elementis ponemus corpuſcula quædam & poros, neque ſtatuamus calorem è motu aut attritione quadam & colliſione ſuſcitati, ſed corpus quidem totum confluxibile & conſpirabile. Calorem vero nõ aſcitum, aut aliunde quæſitũ, neq; genito iam animali ortum, ſed inſitum, & qui ab ipſo ſtatim principio

extite-

[margin: 2. Hippocratis.] extiterit. Et nonne Hippocrates hunc cœleſtem dicit, in lib. de carnibus, inquiens, certe mihi videtur id quod calidum, caloremq́ dicimus quiddam non mortale eſſe. Ariſtoteles autem hæc expreſſe explicat libro 2. de *[margin: 3. Ariſtotelis.]* gener. animalium. Ineſt in ſemine quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur. Idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoq́ corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum. Ex his perſpicuum, eſt in ſolidis corporis partibus ſpiritum in ſpiritu calorem innatum, atque in his naturam & facultates naturales. Calotem autem, qui in ſpititu eſt, cum nuſquam ſeorſim ſit, ſicut lumen calorem ſolis verum quidem eſſe accidens, ſed plane diuinum & cœleſte, nec à temperamento ortum, verum cœlitus cum ſemine in corpus tranſmiſſum. Natutam autē eam, quæ interuentu calotis & ſpiritus In materia conſiſtit, puriſſimam eſſe & cœleſtem ſubſtantiam conſeruationi corpotis vitæq́ conuenientiſſimam, ac maxime neceſſariam. Habes de calido Innato & ſpiritu naturali ſententiam veram, & à veterum doctrina non abhorrentem, quā ad te mitto non tantum incitatus ſcripto illo, quod à te accepi, & lectione Timæi Platonis, verum perpetua & veriſſima beneuolentia quam tibi omnib. modis probari cupio adductus. *[margin: Vtilitas diſputationis de calido innato.]* Hæc autem quantum lucis non ſolum multis & difficillimis quæſtionib. medicis afferant, veram etiam doctrinæ de deſtillationibus, quam me tibi methodice explicare velle promiſi, & diſputationibus de putredine, contagione morbiſq́ totius ſubſtantiæ, de quibus multi longe plus verborum faciunt quam re ipſa intelligant, videbis in noſtris ſcriptis, quę in manibus habeo, & ſi vita ſupperet, tecum & cum veritatis ſtudioſis communicaturus ſum. Cum illis vero, qui omnia, quæ non decies à præceptotib. vel à Galeno inculcata ſunt, noua & Ferueliana eſſe iniurioſe clamitant, nec quæ veterum doctrinam illuſtrent atque amplificent, admittunt, niſi eam craſſus illorum ſpiritus capiat, & quos, vt poëtę verbis vtar, inertia tardat, non odioſe pugnabo: ſed illud tenebo, quod Actuarius ſcripſit, vel noſtra negligentia, vel quia veteres itidem vt nos fuerunt homines multa in illorum libris, quæ cæteros ſapientia antecellunt non teperiti, nonnula interdum deeſſe, quæ dixiſſe pręſtabat, & à rectis principiis plurima nobis petenda. Vale. Vratislauiæ 26. Octob. Anno 1558.

EPIST. CXVI.

IDEM EIDEM.

VALETVDINEM matris tuæ meliorem fieri lætamur, & Chriſto gratias agimus, ac vt indies magis magisq́ cōfirmetur DEVM precamur. Id quidem ei, poſt ſalutem à nobis amantiſſime dictam, indicabis. Vitæ ſtudiorumque tuorum rationes, atque de his deliberationes veſtras à DEO fortunari & gubernati benigne ptecor. Profecto nunc plures vanitatis, quam vetitatis ſunt ſtudioſi, & etiam atque etiam videndum, nec occaſiones diſcendi, & bonos præceptotes amittamus. Si quid à me fieri vis, aut poſſe ſperas, indica & factum puta. Caſparo Scaligerum non probari nec miror, nec *[margin: Scaligeri commendatio.]* moror. Fortaſſe illud καθολικὸν θεώρημα, quod Cicero Attico commemorat, verum eſt. Sed ſi nullam aliam haberent laudem eius ſcripta, hæc cum veriſſima & iuſtiſſima eſt, quod Latina & pura oratione philoſophica ea, quæ multa barbarie obtuta vix erui poſſunt, perſpicue proponit, & explicat. Quod Galenum, quem ille ſatis ridicule Pontificem Maximum noſtrum appellat, interdum aſperius tractat non mirum. In Galeno enim quoque ſingulare carpendi ſtudium fuit, & ſequitur Scaliger ſuum magiſtrum Auerrhoem, cui Interdum non parcit. Te Dioſcoridem tuum illius quoque ſen- *[margin: Scalig. Auerrhoem ſequitur.]* tentiis auxiſſe valde ptobo. Fortaſſe non pauca veris rationibus, quæ in Scaligero dicuntur, refutari poſſent, & non mirum eſt, ſi in tanta rerum & opinionum varietate interdum ea afferat, quæ non probantur omnibus. Sed ſcite velim quid præcipue reprehendat Caſpar. Cum Fernelio etiam pugnat, & recte mihi contra eum hoc ſtatuere videtur. Calotem non formam *[margin: Calorem nō eſſe formam cœleſtem.]* cœleſtem eſſe. Id quod contra Philippum affert, generationem non eſſe motum in ſubſtantia, fortaſſe ex ipſo Ariſtotele poſſet refutari, in quarto de cœlo, vbi tres recenſet *[margin: Generatio an ſit motus in ſubſtantia.]* motus ad locum, quantitatem, & generationem, ſed in quinto Phyſicorum, tranſmutationem eſſe dicit, & motū negat. Hæc autem non ſunt epiſtolæ huius, quam ſcribo occupatus, & tēpotis egens. Diſputationem noſtram de calido innato, ſi iam legere deberem, fortaſſe non minus multa, quam vos in ea deſiderarem. In chymicis plane mihi ipſi non poſſum ſatisfacere, & venit aliud ex alio in mentem, de quibus cum ſententias veterum inquiro, aut nihil ſcribo, aut ſcripta induco. Itaque quando expectationi tuæ & promiſſo meo, quo

teneri me fateor, ſatisfacturus ſum ſane neſcio. Emendatio conſultationum ſæpe ita mihi mouet ſtomachũ, vt vix me continere poſſim, quin interdum librum pedibus teram, ſed emendabo tamen. *Aluus aſtrictus.* Si aſtricta eſt aluus, pruna damaſcena macerentur in aqua, donec intumeſcant, deinde exempto nucleo, ante cœnam aliquot aſſumantur, & deglutiantur cum illis grana quatuor, vel quinque piperis integri. Balnea etiam ex aqua dulci, & inunctiones vmbilici cum butyro plurimũ proderunt. *Clyſterũ frequens vſus improbatur.* Vſum clyſterum, præſertim frequentiorum, plane non probo. Vtatur etiam mane conſerua roſarum recenti, cum pipere albo & ſpeciebus aromatici roſati Gabriel. hoc modo:

Electuar. ad cardial. & aluũ leniendam.

℞. Conſer. roſar. recent. ℥ ij.
Spec. Arom. roſar. Gabriel. ℈ ij.
Piperis albi ℈ j. Miſce.

Eſt enim præſentiſſimum remedium in cardialgia & ad leniendam aluum. Si nauſeat ambram & Moſchum in ſpeciebus aromatici roſati fiat ſine Moſcho. Plura alias. Bene vale. Vratislauiæ, 24. Januar. Anno 1559.

EPIST. CXVII.

IDEM EIDEM.

QVÆ ſint illæ tuæ. quas te ſuperioribus diebus miſiſſe, atque iis meis pleniſſime reſpondiſſe ſcribis, neſcio. Ego poſt eas, quibus 14. dies Nouemb. aſcripta eſt, vnas accepi, datas 12. Decemb. iis nunc reſcribo. Sigonium amare tuum patrem, virum propter antiquam virtutem, & ſermonis Latini puritatem, Græcique facundiam omnibus bonis amabilem lætor. *Baſſianus.* De Baſſiano nihil noui. Rumpatur, viuet tamen, ſemperque celebrabitur memoria Montani in Germania. *Tabulæ Fallopii Chymicæ.* Tabulæ Fallopii vel ad fallendum ſunt compoſitæ, vel is nimium magnam inſcitiam ſuam de deſtillationum ſcientia prodit. Si ille tibi ad eum modum oleum ſul[illegible] [illegible]o præſcribit, deſtillabit, Cratonem dicas de chymicis nihil ſcire. Addat non modo vrinam pueri, verumetiam ſal armoniacum, & vehementiora corroſiua: ſulphur tamen manebit ſulphur. Poſſet ad hunc modum, quem ille præſcribit, id eſt, per talia inſtrumenta confici, addito aphronitro, quod contraria vi præditum eſt, verum an ille modum norit, & ſine periculo conficere poſſit, haud ſcio. Similes ineptiæ ſunt de oleo vitrioli. Mihi eiuſmodi oleum, cuius deſtillationem docet, non detintra corpus. Vtinam legerent adoleſcentes veterum, ſcripta minus admirarentur recentes nugas. Iuuat tamen eas videre. Quæris ad quod genus morborum referatur morbus totius ſubſtantiæ? *Totius ſubſtantiæ morbus.* Reſpondeo, ad nullum eorum, quæ Galenus poſuit, niſi velimus contra omnia principia philoſophiæ, temperamentum cum forma confundere. Itaque dico: Galenus (*Galenus quidem multis in locis virtutem ſeu δύναμιν cum temperamento coniungit, vt 11. Meth. & alibi. Item naturam vocat temperamentum.*) proſequitur Methodo eorum morborum curationem, qui temperamentum conſequuntur, ſeu mutationem materiæ. De morbis in tota ſubſtantia nuſquam agit methodice, quia curatio eorum ſub Methodum non cadit. Scis autem nos naturam, cuius adminiſtri ſumus, non tãtum materiæ, verumetiam formæ notione comprehendi, & temperamentum miſtionem & alterationem, quæ in materia eſt, conſequi. Formam nequaquam, quæ non minus a ſibi contrariis, quam materia læditur, quemadmodum in multis rebus videmus. Si igitur morbum intemperie dicimus, qui lædit temperaturam, quid obſtabit, quo minus id, quod lædit formam, qua membrum non modo eſt viuens, ſed tale, dicamus morbum totius ſubſtantiæ, atque auxilium à tota ſubſtantia valens medicamentum. At dicis talia remedia tantum oſtendit experientia, & quid quærimus cum formarum naturam & rerum ſubſtantiam inuenire nemo poſſit: Exiſtimemus pulchrum eſſe, de iis pauca ſcire, quæ plurimum adiumenti vitæ afferunt, etiamſi exacta harum rerum explicatio in humanum ingenium non cadat. Non fruſtra dixit diuinus Hippocrates. Naturalia remedia non ſoluũt affectionem peſtilentem, cumque raro lædatur forma in corporibus, quin ſimul temperies quoque afficiatur, operam demus, vt ad vtrumq; artificioſe reſpiciamus. *Ol. Terebinthinæ vu.* Quæris etiam de Terebinthinæ oleo, cur eo vtar, cum ῥυπτικὸν potius, quam διαφορητικὸν ſit. Terebintbina per ſe quidem vim abſtergendi maximam habet, ſicut & oleum. Ideoque vlceribus ſordidis, & vulneribus vtile. Sed cum adeo ſit tenuiſſimarũ partium, atque calorem augeat, & ad penetrationem faciat, hic cum oleo nucis Moſchatæ, atque ſæuo hircino miſceo, & ad maiorem calefactionem & penetrationem διαφορητικὸν, videlicet oleum Iuniperi addo. Ac oleum Terebinthinæ maxime lenit dolores à flatibus ortos. Bene vale. Vratislauiæ 22. Ianuarii. Anno 1561.

EPIST. CXVIII.

IDEM EIDEM.

EXSPECTANTI mihi dum Paulus noſter ad vos redeat, ſignifica[illegible]s, obtineri

ſe hic

ſe hic neceſſariis cauſis. Itaq; cum modo literas Auguſtam mitterem, perſoluendum putaui epiſtolæ tuç quam cum Paulo ad me dederas. Primo autem non more, ſed vere & ex animo decurſum inſtantis iam noui anni bonum, fauſtum, & felicem precor, atque vt benigniſſimus DEVS gubernet ſtudia & vniuerſum vitæ curriculum, teq; firmum & incolumem conſeruet oro. De cauſa continente, certe ſic eſt, differre τὸ συνεκτικὸν αἴτιον Galeni à cauſa, quam Auicenna cōiunctam vocat. Ac vt mittamus Auicennam, certe Galenus qui ter in ſecundo Methodi huius cauſæ meminit, manifeſtè eos etiam Rationales Medicos damnat qui hanc negligunt. Ex 6. autem capite apparet hanc cauſam ita coniungere cum morbo, vt idem propemodum ſtatuat. Sublata igitur hac cauſa tollitur effectus vniuerſæ, quia hæc cauſa eſt de eſſentia rei, & eſt quaſi ipſa διάθεσις.

Cauſa continens & coniuncta.

Cauſa coniuncta Auicennæ.

Coniuncta autem cauſa Auicennæ κατὰ τὸ ſolummodo effectum tollit, vt ſublata putredine ceſſat febris putrida. Calore autem præternaturali lædente ἐνέργειαν ſublato ex toto tollitur febris. Miror igitur cur dicat Trincauella non poſſe ſtatui eam ex methodo Galeni. Nam illud quod affertur ex Galeno de diſcrimine inter τὸ εἶναι, καὶ τὸ γίνεσθαι ad diſcrimen inter διάθεσιν καὶ πάθος ab eo ponitur, neque ad hanc diſputationem pertinet, habetque ſemper locum in methodo therap. hæc regula: Primum eſſe in actione, quod vltimum inuenitur in reſolutione. Etiamſi prima & princeps indicatio ſemper ad naturam morbi ſit directa. Cum autem natura morbi per cauſas intelligatur, quo pacto prima indicatio ſeu ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας firma erit in animo, niſi τὸ συνεκτικὸν αἴτιον ponamus? Et quonam modo methodicè ſine hac cognitione curabimus? Velim autem te tuum Trincauellam interrogare cum Linacer definitionem ἐνδείξεως videlicet, eſſe eam τῆς ἀκολουθίας ἔμφασιν non conuerterit, nec illud quod affert Lacuna, qui imaginem conſequutionis dicit, ſatis explicet, quo pacto ille vertendum rectius putet. De loco in 6. Epidem. non commemini quod ſcripſerim. Ad exempla autem quod attinet, certum eſt, cum morbus in ſtatu iam eſt, non mittendum ſanguinem, & materia amplius non fluit. Eſſe autem cum cruenta reiiciuntur, certum eſt, etiam ſi initium videatur. Ideo recte is ſine venæ ſectione curatus eſt à Trincauella, & alter cui miſſus eſt ſanguis infeliciter. De quarto genere morbi in tota ſubſtantia, etſi patiar eum ad morbum temperaturæ referri, tamen idem non eſſe, & Hippocrates ipſe atque Galenus teſtantur, & ratio monſtrat.

Prima indicatio.

Status morbi.

Morbus ſubſtantia non idem cum in tempore.

Perſpicua ſunt verba Hippocrat. cum inquit: τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικῆς νόσου. Vbi haud dubie oſtendit rem è dia Methodo inuenta non prodeſſe, ſed antidotos, quæ vim exitialis putredinis ſeu veneni tollunt libro 2. de natura humana, capite 4. Cauſç lædentis à tota ſubſtantia mentionem facit Galenus, meminit & alibi morbi totius ſubſtantiæ, ſed non explicat, etiamſi methodice tantum ſex ſumma genera morborum reperiri aſſerit, vnum ſimilarium, videlicet δυσκρασίαν, quatuor τῶν ὀργανικῶν, & ſextum vtriuſque commune. Non negamus διάθεσιν illam, quam morbum totius ſubſtantiæ dicimus, cum ſcilicet à venenata qualitate oppugnatur in corde virtus vitalis in febri peſtilentiali, vt naturalis in epate in morbo Gallico, conſequi δυσκρασίαν, nec malum tolli remediis methodo inuentis, & contrariis qualitatibus adhibitis, ſed antidotis. Et quid ſunt iſta medicamenta, quæ antidoros appellamus, ſi non morbus eſt à tota ſubſtantia, vt nihil de facultatibus propriis remediorum ſola experientia repertis, quam Galenus à methodo ſeiungendam monet, dicam. Cauſas cœleſtes illos reiicere non miror, qui harum ignari ſunt. Non dico illas requiri ad proprium officium Medici, quod Galenus noſter ἐπιστήμην νόσων eſſe ait, ſed ad vim morborum cognoſcendam, & cauſarum vehementiam plane referre arbitror, ne Medicus has ignoret. De lacte plane mihi Doctores tui non ſatisfaciunt, lactis odorem mutari & malignum fieri propter motum iſtum. Reſpiciendum eſt ad cauſas odoris & corruptionis, id eſt, ad calorem & ſpiritum, cuius ſit maligna alteratio in coitu; Ita vt qui minus firmo ſint habitu facile etiam reſoluantur, atque hinc petenda ratio. Sed nihil adhuc potuit explicare in quo cōquieſcat cogitatio mea. Inſpexi atque perlegi fere totam methodum D[illegible] mi. Video primam partem eum ſumpſiſſe ſibi ab Argenterio, & obſcuraſſe iſta quadam barbarie, ſuaque feciſſe, adhibitis quibuſdam logicis rationibus. Poſterior Practicorum eſt tota De D. Camilli familiaritate & beneuolentia tibi gratulor, atque vt huc συνοικίζεσθαι tibi & tuis ſtudiis plurimum proſit ex animo opto. Lectio Hippocrat. excellentem Phyſicum & vſu peritum Medicum requirit. Vtinam ego viuo Montano nihil feciſſem aliud. Exemplum Epiſtolæ P. Victorii, qua ſingularem beneuolentiam tibi declarat, & officium defert, miſit ad me Ludouicus frater tuus: Poſſet is tibi Græca quædam in Hippocrate explicare, & ſæpe totius ſententiæ cogni-

Cauſæ cœleſtes.

Cauſa lactis corrupti à coitu.

Methodus [illegible] Capomacchii.

Lectio Hipp. peritum requirit Medicum.

rio in vnius vocabuli explicatione conſiſtit. Matthiolus ad me ſcripſit ſe alteram editionem Epiſtolarum ſuarum habere in manibus. Eum rogaui ne me Herbariorum rixis admiſceret. Nam cum ipſi autoritatibus præcipue pugnent, conſequi neceſſe eſt illa θαυμαστὰ ἆθλα, vt Galenus noſter ait, λοιδορίαι ſcilicet καὶ μάχαι. Cauteria magis eſſe περιφυλακτικὸν Epilepticis ipſe ſtatuo. Sed tanta eſt noſtrorum chirurgorum negligentia, vt non poſſint nobis ad iſta remedia præſto eſſe. Scriberem plura ſed tabellarius flagitat literas. Bene vale. Prid. Kalend. Ian.

Cauteria περιφυλακτικὸν epilepſia.

EPIST. CXIX.

IDEM EIDEM.

CVM ſuperioribus proximis diebus redirem ex aula Epiſcopi noſtri atq; Ducis Georgii, obtulit mihi coniunx puerpera tuas datas, 4. Iunii atque Patris tui literas eiuſdem fere argumenti. Significat ſe accipere cauſam, quam adfers de recuſata profectione in Syriam atque quod euenit optimum ducere. Cæterum æquo animo laturum fuiſſe ſi inſciente ſe iſta occaſione vſus fuiſſes. Mi Ioachime non magna res eſt videre loca in quibus non ſunt homines, & adire pericula curioſæ temeritatis eſt. Frobenii nunc exprimunt Galenum cum Indice D. Aloyſii Mundellæ laudabili. Vidi primam pagellam quam ad me miſit Geſnerus, tanta diligentia factus eſt index, vt non ſolum vocabula ſingula, verum omnes res complectatur, & vere epitome Galeni atq; Hippocratis dici poſſit. Perna iam noſtra elaborat. In anatomicis Fallopii, quæ mihi ſcripta D. Paulus miſit, plurima paradoxa ſunt. Quod monui de Hippocratis lectione cupio tibi eſſe curæ. Trincauella in ſuo de præparatione & cõcoctione humorum cõmentar. [illegible] detur Aphor. vlt. 3. partic. Epid. 6. ſegniter tractare. Dum iis, qui cruenta exſpuunt in pleuritide non dicit ſecandam venam: affirmat Galenum ideo cenſere, quia non ſit magnus morbus, cuius & exempla recitat. Si eſt à bile, vt idem cenſet, maximus eſt. Ego aliam cauſam dicerem, videlicet, quod iam materia amplius non fluit, cum cruenta reiiciuntur, & vlcus eſt apertum. Ideo ſcopus miſſionis ſanguinis amplius nõ propoſitus. Nec detrahendæ tunc ſunt vires natura occupata in expulſione. Neque materiæ quæ euacuatur à natura motus impediendus. Fuchſius dicit, hæc ponenda in iis, quæ ſoli Hippocrati nota fuerint, nec quærendum amplius, o rem miseram: De his autem alias. Quæ de P. Manutio ſcribis cognoui libenter. Sed librorum fortaſſe ſatis eſt, cum ſtudii ſit parum. Quicquid miſeris gratum erit. In Hippoc. non tam quicquã expeto mea cauſa, quam tua inprimis & poſteritatis. Eum te ingenio tuo & liberali doctrina locupletaturum plane non dubito; atque vt prodeſſe poſſis plurimis, & meis etiam opto. De quarto morborum genere videlice: à tota ſubſtantia videmus aliquid affirmaſſe quoque veteres, vt apparet in com. Gale. in lib. de nat. hum. & 6. Epid. com. 6. Quæ enim ſpiritum naturalem atque calorem innatum oppugnant, ea certe ad morbum in temperatura non poſſunt referri, ſed videbimus rationes Trincauellæ. Vſus garyophyllorum in quartana admodũ prodeſt, & magis quam piperis integri. Item hæc inunctio ventriculi:

Index Aloyſii Mundellæ Galenicus.

Quando in pleuritide nõ ſecanda ſit vena.

Morb. totius ſubſtantiæ.

Quartanæ medicamenta.

℞. Ol. amygdal. dulc. ℥j.
Medullæ crurium vituli ℥ß.
Maſtich. pulu. ʒj.
Ol. garyophyllor. gr. vj. Miſce.

Renum intemperies calida non ſine periculo corrigitur in ſenib. Ego magno ſucceſſu vſus ſum ſucco Portulacæ cum ſucco glycyrrhizæ. Interdũ etiam potione aquæ fragorum, quæ eſt ſuauiſſima, atq; ineunte vere vſu aſparagorum. Non vitupero tamen emulſionem ſeminum frigidorum. Interdum ante cœnam datem ius ex papauere albo. Videbis mirifice prodeſſe, præſertim ſi loco ſacchari ſyrup. è ſucco violarum addas. Expulſionem illam eryſipelatodem nunc ceſſare non eſt mirum. Expurgandi autem erunt ſeroſi humores atque acriores, interdum vſu Rhabarbari cum terebinthina, ſaccharo & puluere glycyrrhicæ, atque modico cinamomi. Ad emolliendam aluum plurimum valet, & ſine moleſtia eam mouet ſequens medicamentum:

Calor renũ in ſenibus.

Expulſio eryſipel.

Serum educens.

Syrupus de ſpina ceruina emolliens aluum.

℞. Succi ſpinæ ceruinæ,
Mellis ana ℔ j.
Sacchar. ℥. iij.

Decoque ad ſpiſſitudinem mellis, datur ab ℥ ß vſque ad ℥j. ß. Ego adderem parum zinziberis vel cinnamomi, Geſnerus ſcribit ſe vſum ʒ ß. pul. gratiolæ cum ſyrupo ex acinis ſambuci. Succus gratiolæ cum cinnamomi & maſtycis puluere multo rectius purgat, & minus ventriculum offendit. Iuli iuglandis per vomitum ſine moleſtia purgant, hoc modo.

Geſnerus.

Vomitoriũ.

℞. Seminis vrticæ.
Raphani, ana ʒ j ß.
Iulorum iuglandis ℈ ij.
Hydromelis clari ℥ iij.

Fiat potio, etiam ſi per ſe ſoli Iuli cum Hydromel. faciunt. Lapis calat[illegible]itaris cum

Humor. de ...

aqua

aqua roſarum tritus, & butyro commixtus valde dolorem hæmorrhoidum ſedat. *Vng. ocularc* Vxor Rudingeri ex eodem lapide, ſeu cadmia, atque axungia hirci nigri facit vnguentum ocniare, addidit neſcio quæ alia, vidi conferre lippientibus. Bene vale. Vratislau. 29. Iulii: Anno 1561.

EPIST. CXX.

IDEM EIDEM.

Trincauella de cauſa coniuncta. LEGI hiſce diebus commentariolum D. Trincauellæ de cauſa coniuncta, & niſi eum vehementer mihi placuiſſe vere affirmarem mentiar. Quid autem in eo deſiderem, *Conſenſus & diſſenſus Cratonis in eadem cauſa* quaue in parte mihi non ſatisfaciat, ſcribam ad te quantum in iſta feſtinatione potero, pleniſſime. Primum mecum ſentit cum hanc totam diſceptationem, quæ inter plurimos eſt λογομαχίαν eſſe putat, ipſe vero nimium ἀκριβῶς Philoſophorum leges *Morbus fiens an morbus.* mihi videtur ſequi, dum morbum fientem morbum dici non vult. Nam ſiquidem reuera ſic ſe res habet, cur conſiderationem illam de temporib. morborum neceſſariam ducimus, vt reuera ducimus? Cur morbos ἐγχρόνους eſſe dicimus? *Scheckius.* An non χρονικῶς morbus eſt etiam μόνιμον quiddam. Recte autem exiſtimat cum fundamentum huius diſputationis hanc quæſtionem eſſe ſtatuit. Sed non ſatis recte neque ſtoicos, neque Arabes, vt pace tanti viri dicam, accipit. Nam Stoici συνεκτικὸν αἴτιον longe aliud, ac nos qui Montani doctrinam ſequimur, non ponunt dum ſuam iſtam cauſarum concatenationem afferunt. Arabes vero inter cauſam continentem & coniunctam ſatis amplum *Galenus poſuit cauſam continentem.* diſcrimen ſtatuunt. Ac haud ſcio an apud Græcos συνεκτικὸν αἴτιον, & προηγουμένη idem ſit, vt voluit Scheckius. Sed mittamus nomina, ac rem ſpectemus. Primum qui Galenũ negat συνεκτικὴν cauſam ponere, is librum de cauſis pulſuum, doctrinam Aphoriſmorum, inprimis autem comment. tertium libro 6. Epid. ſe nunquam aſpexiſſe fatetur. At Galenus 1. de cauſis pulſuum manifeſte συνεκτικὸν αἴτιον ab alterantibus diſcernit, cum Auic. Fen. 2. Doct. 11. ſui canonis perſpicue inter alterantes numeret. Non igitur Galeni cauſa συνεκτικὴ & Auic. coniuncta idem ſunt. Cum autem medici ſit conſiderare cauſam prout poſſit alterare; vel mutare corpora, largior hoc D. Trincauellæ ratione curationis morbi non obſeruandam eſſe cauſam continentem ſeu συνεκτικὴν, coniunctam autem ſeu προηγουμένη αἴτιον, neceſſario reſpiciendum. Nam συνεκτικὸν αἴτιον, ſeu continens de eſſentia rei eſt vt calor partim naturalis in febri, in vulnere figura. Sed coniunctæ inter alterantes ſunt proximæ affectui, vt vapor putridus in febre putrida. *Cauſa continens coniuncta.* Quia inter hunc & affectum non eſt medium. Continens igitur remouet effectum vniuerſaliter. Coniuncta non plane remouet effectum, ſicut neque ſemper ſtatuit. Non enim ſtatim putreſcentibus humoribus ſequitur febris, neque ſemper remota putredine ceſſat febris, etiamſi febris putrida eſſe deſinat. *Coniuncta & προηγουμένη differunt.* Ac coniuncta cauſa, & προηγουμένη reipſa non differunt, ſed tempore atque ordine ſolum. Eadem enim res poteſt eſſe antecedens cauſa & coniuncta diuerſo reſpectu, & in omnibus morbis, qui habent cauſas antecedentes, recte ponitur cauſa coniuncta, id eſt, proxima, ſeu inter quam & effectum non eſt medium, verum non συνεκτικὴ ſeu continens. Hanc autem continentem cauſam Auic. vocat cauſam non vicariam, id eſt, quæ cum reipſa plane idem eſt, ſeu, vt ille inquit, qua ſeparata ſequitur ſanitas, vt remoto calore præternaturali, qui eſt in corde, conſequitur ipſa temperatura cordis in qua ſanitas conſiſtit. De his autem agas cum præceptore tuo atque eius ſententiam perſcribas. Dicet ita, cauſam continentem atq; morbum *Cauſa continens & morbus quomodo differant.* idem eſſe. Fateor, ſed quatenus eſt diſpoſitio ſeu πάθημα, quod ad illam διάθεσιν peruenit, vt actionem naturalem lædat morbum dico; quatenus efficit hoc, ſeu, vt inepte loquuntur cauſat læſionem συνεκτικὸν αἴτιον. Eſtque reuera inutilis verborum pugna, verum ad diiudicandum diſcrepantiam doctorum hominum non inutilis. Et ſi quis commode de hac re poſt Montanum docuit, certe Trincauella docuit. At quod non videt. Auic. in eodem cap. diſcernere cauſam continentem à coniuncta, quam inter alterantes collocat, nec in eo Montano præferenti facem accedere vult, miror. Scio autem pleroſque contemnere ea quæ extant Montanica. Recte, an ſecus, ad meum iudicium non reuoco. Magnos autem viros exiſtimabam hoc decere, vt rebus [illegible] ſtratis, ipſi quantum poſſunt adiumenti ſua doctrina adferant, & quæ nondum ſatis explicata ſunt, aut infirmiora etiam, quam vt poſſint conſiſtere, ea ſi vtilia ſint illuſtrare; atq; fulcire, ſin minus placide mõſtratis melioribus remouere ſtudeant. Verum quid fiat videmus. Tantę ſunt aduerſationes de morbo totius ſubſtantiæ, *Morbi totius ſubſtantiæ.* vt omnes pene veritati contradicant cum quoſdam morbos vel ſic dici & eſſe certiſſimum ſit. Ego quidem plane non dubito, ſicut in febre peſtilentiali oppugnantur vitales ſpiritus, ita in morbo Gallico infici naturales. Atque morbum Gallicum recte dici morbum totius ſubſtantiæ. *Talis morb. Gallicus.* Rationes meæ iſtæ ſunt. Prima, inuadit

principes partes, neque omnes ſimul, ſed primum epar, ſicut febris peſtilentialis cor. Secunda, quia non tollitur medicamentis
2. merhodo repertis, & contrariis qualitatibus pugnantibus, atque naturæ auxilium ferentibus. Interea non nego à contagione conſequi intemperiem manifeſtam, ſicut in peſtilentia putredinem pravam ſuperantem longe vulgaris putredinis cõditionem. Formam autem iſtius veneni dico habere cauſam cœleſtem, & propter hanc alios aliis citius affici. Sed de his ſcripſi nuper. Neque diſputo, ſed vere ſic ſentio, non diſceſſurus ab hac ſententia donec meliores rationes

Calor innatus Hip. æthereus.

viderim. Velim etiam te quærere à præceptore, an non in libro de carnibus Hippocr. calorem congenitum cœleſtem affirmet. Certe Æthereum dicit, & diſcernit ab igneo elementari. Quæro vtrum in 6. Epid. par. 5. Hipp. opponat ἰσχυρὴν & ἀσθενέα διαίτην. Et an recte cibos imbecilliores interpretetur olera, atque fructus arboreos, cum videamus, & hiſtoriæ nos doceant, iis vſos ſæpe eſſe longæuos. In Hipp. lectione velim te in

Hippocrati. ca lectio qualis.

ſingulis dictis, maxime in aphoriſmis, dili-
1. genter primum non ſolum rerum: verum-
2. etiam nominum etymologicas definitiones inueſtigare. Id ſi feciſſet Caluus, minus de-

Caluus.

formitatis & perplexitatis haberent eius
3. verſiones. Deinde in diuiſionibus ſtudioſe, an ſint ſufficientes, videre. Exempli locó ſit, cum in part. 7. ſexti Epid. βλαβῶν αἵματος σύστασις, λειποθυμία, σχῆμα, ἄλλη ἀπόληψις, μετάρματος στροφή, πρόσθεσις καὶ ἐπίδεσις, videlicet, an hac diuiſione nihil ſit omiſſum, ſingulorũ membra explicanda. Inprimis autem quid ſit ἀπό-
4. ληψις, &c. In recitatione autem exemplorum diligenter ſymptomata ad ſuas cauſas deducenda ſunt, reſoluenda omnia, & an ſententia Hippocratis in ſyllogiſmum demonſtratiuum poſſit concludi, videndum. Qui hic Hippocratem legit, is hauddubie adiutus à cognitione Græcæ linguæ, philoſophia, & doctrina medicorum veterum, inprimis inter Latinos Celſi, in Hippocrate

Celſum.

ea videbit, quæ à multis nondum ſunt animaduerſa. Quæ nuper de dentitione & lactatione ſcripſi velim tibi eſſe curæ: Vnde

Lac à femine corruptũ.

lac à femine iſtam malignitatem acquirit, vt etiam epilepticos pueros medicis reddere videatur. Bene vale. Vratisl. 28. Iul. Anno 1561.

EPIST. CXXI.

IDEM EIDEM.

ANte dies octo pleniſſimas litteras ad te dedi meamque ſententiam de cauſa continente atque coniuncta tibi aperui. Scripſi etiam quędam 19. Iulii de nutritione & dentitione infantum. Nam ſententia illa, quæ eſt in primo de tuenda ſanitate, quæ præcipit, vt quæ mammam dant à Venere plane abſtineant, ne lactis odor pereat, non ſatis munita rationibus videtur. Multo minus illa Plinii lib. 28. c. 19. cum de Coloſtratis infantib. agit, & concipere nutrices pueris exitioſum pronunciat. Moueor non tan-

An grauida lactare debeant.

tum exemplis; verum etiam dictorum firmiores rationes requiro. Illud vero quod afferũt practici pueros fieri epilepticos nuſquam ſatis declaratum animaduerto. Galeno aſſentior quidem, qui dicit lac amittere odorem, & ſcio quid afferat com. 3. in prognoſt. Quanque mutationi atq; alterationi leuibus de cauſis lac obnoxium ſit non ignoro, verumq; illud eſſe quod dicit 5. de ſimpl. med. fac. lac infinita lædunt ſentio, ſed explicatam rem integre nuſquam conſpicio. Quæ de admiſtione mellis in 5. Method. & alibi dicit contra coagulationem lactis nota ſunt, Vnde autem hoc quod coagulum leporis coagulatum diſſoluat. Non dubito quin mihi propemodum in mentem omnia veniant, quæ poſſunt dici, ſed libenter audiã ſententias eruditorum, eaſq; cur requiram facile ipſe æſtimare potes, cum nihil ſit grauius homini Chriſtiano & parenti, quam ſuſtinere grauem conſcientiam. Lectiones illas laudatas Fallopii de morbo Gallico cuperem profecto videre. Quæſo tra-

Curatio Gallica inconſueta.

ctat ne curam per oleum vitrioli, & ea, quæ nunc præſertim inunctis prius, quique nodos atque tumores in articulis habent, plurimum in vſu eſt per aquas mercuriales, quas vulgo die gelben Waſſer vocant? Fit infuſio radicum pyrethri & aromatum in aqua vitæ, adduntur metallica quædam, alumen, &c. Item cantharides & mercurius. Hoc ſolent inungere articulos male affectos, & exit poſt apertas veſicas materia craſſa, & vtiliter datur decoctum Guaiaci, poſtea ante inunctionem iſtam faciunt fomentationes. Habent hanc curationem, quantum video, ex libello Germanico Franciſci Renner Norinbergæ edito. De ſententia Trincauellæ μετέωρος ſum. Eſt manifeſta diſtinctio apud Galen. inter σύγκαυσιν καὶ ἔμφραξιν, licet in 10. σύγκαυσιν, tanquam nomẽ generis ad πύκνωσιν καὶ ἔμφραξιν ſtatuat. Si focus eſt in muſculis, ad πύκνωσιν in curatione eſt reſpiciendum. Vide lib. 11. Meth. 9. cap. vbi de expurganda putredine agit. Item in 4. cap. vbi de foco. Cæſar in epilepticis hoc remedium pro maximo ſecreto habet, &

Secretum imperat. Epilepticum.

ait Doct. Petrum Cauizerum etiam homines prouectæ ætatis, & qui d hoc morboſue-

bo fuerint obnoxii, poſt purgationes euraſſe:

℞. Chryſtalli præparati ʒj.
Corall. rub. præpar. ℈ij.
Margarit. oriental. ℈j.
Smaragd. oriental. præpar. ʒ.ß.

Criſtalli vſus non tutus. *Smaragdus vulgaris nō verus.*

Miſce f. puluis, cuius media pars eſt vna doſis in aqua taraxici. Bis feci periculum, ægri liberati ſunt ab epilepſia, ſed poſtea tamē obierunt. Cryſtalli vſum non exiſtimo eſſe tutum, & Smaragdus, quo vulgo vtuntur non eſt veru:, ſed lapis de Peru, nempe fragmenta magni lapidis Praſii. Orientalis, qui in arena reperitur nunc raro apparet, & nullas fere gemmas habemus in Pharmacopoliis veras, quam margaritas & hyacinthos. Rubini interdum habentur, Granati & Amethiſti Bohemici non ſunt rari. Vide illius lapidis, quem Malachitem vocant qui Turceſiam refert, magnam eſſe vim in roborando ventriculo. Calculoſi plurimum leuantur diſcuſſis flatibus, & aucto calore viſcerum. Itaque poſtquam enemata ex ſolo oleo atque decocto parietariæ in vino inieci, inungo vmbilicum oleo è terebinthina, è granis iuniperi, & nuce Moſchata, adiecta modica cera. Iſtis oleis imbuo lanam xylinam, atque calidam vmbilico adhibeo. Ventriculum etiam ſolo oleo nucis Moſchatæ inungo. Si quid per ſuperiora exhibere volo, decoctum veronicæ in vino vſurpo. Hac medicatione ſcio me plurimis in grauiſſimis doloribus profuiſſe. Habeo, vt nuper ſcripſi, in manibus methodum Therapeuticam. In prima parte ago de cognitione morborum, in ſecunda de curatione, in tertio de auxiliis, & recto auxiliorum vſu. Vtinam hunc librum poſſem abſoluere. In tertia parte fortaſſe aliquid de deſtillationibus agam, de quibus alia methodo rectius ſcribi poſſe cogitaui, explicatis videlicet, primum cauſis concretionis, deinde diſſolutionis, poſtremo de effectionibus ſpiritus naturalis ſeparati ab impuritate materiæ. Fernelius affirmat ſe ſequentium pillularum tantam vim experiendo cognouiſſe, vt nullam cephalalgiam vel hemicraniam offenderit, quam non curarit:

Gemmæ veræ raræ. *Turceſia. Calloſi cura.* *Method. Therapeutica Cratonis.* *Methodus deſtill. vera.* *Pil. cephal. Fernelii.*

℞. Aloes optimæ ℥ß.
Pul. el. de gemmis.
Trium ſantal.
Roſar. rubear. a. gr. vj.

Nodoſa podagra.

Cum ſyrupo abſinth. & violar. f. maſſa. Datur ʒj. bis in hebdomada hora vna vel duab. ante cœnam. Habeo iam ægrum, cui genu occupauit tumor laxus, & deprehenduntur etiam ſenſu quidam quaſi nodi. Is iam ſupra annum eſt apes. Multis remediis vſus, etiam thermis & decocto ligni & ſalſæ, verum nihil iuuatur. In digitis pedum & manuum ſunt nodi. Adhibui emplaſtrum ex ammoniaco, vitriolo vſto & nitro cum diachylo compoſito. Exit gypſea materia. Bene vale. Vratisl. 4. Auguſti Anno 1561.

EPIST. CXXII.

IDEM EIDEM.

BREVEM etiam epiſtolam tuam boni cōſulerem. Ita ſum tuarum cupidus. Scripſi Vienna aliquoties ante meum diſceſſum. Subito poſteaquam huc veni, meas per certum tabellarium ad te miſi. Aueo cognoſcere ea, quæ tu vel in Iſagoge noſtra animaduertiſti corrigenda vel in periochæ emendaſti, atque vt contra ſcripta mittas oro. Trincauellicis æquo animo carebo, dum illis vacare poſſis. Nihil me delectat Vega. In Altomari libellis ſolidum quiddam reperio, ſed parum perpolitum. Vtinam diligēter cognoſceremus veterum doctrinam. Fuit hic mecum ſectator quidam diſciplinæ Theophraſti qui Ratisbonæ vt illæ narrat medicinam factitauit. Is mirifica ſomnia narrauit. De quibus ego melius, quam ex omnibus libellis, atque Bacchi mendaciloquentia de illorum vanitate ſum edoctus. Itaq; licet cum iſtis laruis luctari minime rectum putem, tamen noſtra firmiſſima principia, quæ ſunt in Idea Hipp. perſpicue propoſita, iſtis nugis ſtudioſorum cauſa opponerem, ſi typographum reperire poſſem. Futuræ fortaſſe eſſent pagellæ quatuor. Imperator dicebat folia tiliæ ſingulare eſſe remedium cōtra ſpaſmum flatuientium in grauidis quem vulgo gramphum vocant. Radix lilii albi cocta cum butyro & adipe gallinæ, addita farina ſeminis lini, valde dolorem hemorrhoidum non fluentium ſedat. ... profuit vnguentum ex oleo amygdalarum, chryſomel nucleorum per-ſicorum & momordicæ. Aduam medicamentum ad ſanguinem concretum in ventriculo, vtiliter datur ſuccus apii cum melle. Vbi autem is per vomitum reiectus eſt, mentha cum vino cocta ſtomacho applicanda. De iis, quæ ſunt in Amato, & peſtilente febre, quæ morbus Vngaricus dicitur, & cephalalgia exitioſa ſcribam Praga. Video ſectionem venarum in pedibus inter initia plurimum prodeſſe, & decoctum ſcordei. Raphanum etiam capiti & pedibus appoſitum. Ad tuſſim mirifice decoctū raparum cum ſaccharo candido & butyro, vel oleo amygdalarum dulcium recēti prodeſſe animaduerto. Sed detrahendus eſt illis cortex, & primæ cocturæ aqua

Vega. Altomarus. *Idea Hippocratica Cratonis.* *Spaſmus flatulentus.* *Hæmorrhoidum dolor.* *Sanguis concretus in ventriculo.* *Morbus vngaricus.* *Tuſſis.* *Calculus.*

abiicienda. Nephriticis etiam prodeſt. Bene vale & reſcribe. 24. Septemb. Anno Chriſti 1564.

EPIST. CXXIII.

IDEM EIDEM.

HIc dies renouat mihi memoriam rui amiciſſimi facti, cum ante annum te comitem itineris in Pannoniam, *Vt triſtes animi poſſes depellere curas*, mihi adiunxiſti. DEO autem benigniſſimo gratias ago, qui propitius ἡγεμὼν nobis adfuit, & res noſtras opinione mea melius gubernauit, huncque oro, vt porro clementer iis intereſſe & præeſſe velit. Sine illius enim gubernatione & cuſtodia, nihil tutum, nihil tectum. Me quidem cogitatio de prouidentia diuina, cui nos plane ſubmittere debemus, magis in aduerſis, quam omnia ſapientiæ conſilia ſubleuat. Peto à te ſi quod legiſti bonum ſcriptum de peſte, vt me moneas, quo inſpicere poſſim. Nam ego tres meos libellos rurſus in manus ſumpſi. Quid autem dico de tribus libellis, cum vix tot pagellas de informatione eorum reperiam. Multa cum multis egi per epiſtolas, ac Trincauellica quoq; diligenter inſpexi, verum nihil reperio, in quo vel mihi vel ſibi etiã magnus illẽ medicus ſatisfaciat. Cum.n. ſuas cogitationes de febri hectica peſtilente explicare conatur, & Montani ſententiam de putredine in ſubſtantia cordis refutare, valde & ſe & alios intricat. Cuperem videre priuatas illius exercitationes de hoc argumento. Ad eas enim remittit auditores in hac doctrina, quam à te accepi. Verum ſcire velim, ſi peſtilentes priuatæ, quæ abſque peſte homines corripiunt, eandem formam & ideam cum peſtilentibus exitioſis habent cur nõ ſint ita contagioſæ? Dices quia in his maior putredo. At quia cauſa quæro? Nimirum quia iſtæ poſſunt vel à victu, vel ab aere in qualitatibus mutatis oriri, hæ vero nunquam, niſi aer à tota ſubſtãtia mu[illegible] ſemina peſtilentiæ, id eſt, venenatam qualitatem ab expiratione continent. Ad illam autem venenatam qualitatem pellendam, ſeu ad putredinem, quæ hauſto veneno aereo in corporibus conſequitur, non valent remedia, quibus vtimur in putridis febribus, ſed neceſſe eſt alexipharmaca adhibere, vt curationes indicant. Ac cum ſeminarium ipſum in ſubſtantiam cordis penetrat, peſtilentem illam exitioſam & immedicabilem, quam hecticam appellant, inducit. De his atque aliis tuas cogitationes legere cupio. Nam meas in magna feſtinatione explicare nunc non poſſum. De morbo totius ſubſtantiæ minus puto eſſe concertandum. Etſi temperamenta quoq; ſuas habere formas, diuerſas à forma ſubſtãtiæ ſciamus. Ad calculum veſicæ poſſes experiri lac ouium cum bolo. Inunctiones cum ſucco burſæ paſtoris, & ſimilium herbarum. Item inunctiones aquæ ex albumine ouorum deſtillatæ admodum commendant. Caro halicacabi condita cum ſaccharo commendatur. Ad catarrhum valde bolus Tokienſis profuit. Longe eum antefero armenæ vt imperatori ex Turcia etiam allata eſt. Inſtar butyri in ore dilabitur, & omnes notas veræ boli armenæ habet. Stranguriæ medetur ſyrupus ex ſucco portulacæ & millefolii herba. Exiſtimarem profuturum vel ſuccos iſtos inſpiſſatos cum glycyrrhizæ ſucco. Item frequentem vſum auellanarum. Hydropicis magno ſucceſſu exhibeo extractum è radice iridis. Nucem vomicam eſſe ſpongiam adnaſcentem frutici & ſtrangulantem res certa eſt. Tuas literas cupidiſſime expecto, vt eas mittas, & me ames peto. Bene vale. Vratislau. die 5. Nouemb. Anno 1564.

Trincauellica de feb. hect. peſtilente opinio.

Morbus totius ſubſtantiæ.

Calculus veſicæ.

Catarrhus. Bolus Tokienſis.

Strangurta.

Hydrops.

Nux vomica ſpongia.

EPIST. CXXIV.

IDEM EIDEM.

Quæſtiones quædam de peſte.

TVAS literas 25. Octob. ſcriptas accepi
plenas feſtinationis, quibus quid reſpõdeam
propemodum non habeo. Otium
tibi concedi opto, vt meis poſſis reſcribere.
Hoc vero tempore nihil velim libentius legere,
quam tuas obſeruationes de peſte. Et 1.
primum cur non poſſit dici morbus totius 2.
ſubſtantiæ. Secundo, vnde aer corrũpatur,
cũ à cauſis inferiorib. non corrumpitur, &
cur non loquendum nobis ſit de cauſis cœleſtibus,
cum de aliis cauſis procatarcticis
prolixe agant Medici quas eq; atque iſtas curare
nequeunt. Tertio an expirationes morbidæ, 3.
quæ in aere continentur, item in veſtibus,
&c. & inſpiratione attrahuntur à primis
qualitatibus, ſint noxiæ, & putredinem exitialem
inducant. Quarto, quomodo ſeminaria
putredinis tam diu in rebus ſiccis & 4.
poroſis contineantur. Ita vt à literis & chartis
ſibi Itali metuant. Si vulgaris eſt putredo,
quomodo fouetur ibi, vbi nulla eſt humiditas.
Si conditionem vulgaris putredinis excedit,
cur damnantur ij, qui venenum appellant,
qui diſcernunt peſtilentes putridas,
id eſt, ab intemperie aeris à primis qualitatibus
mutati, vel ab humoribus prauis in corpore
collectis dictas, vt ſunt febres cum peſtechiis 5.
& papulis, à veris peſtilentibus. Quinto,
cupio ſcire, an aer ſecundum totam ſubſtantiam
corruptus, ea corruptio putredo
recte dicatur. Sexto, an non [illegible] ex quibus 6.
conſtat

onſtat corpus humanum cohæreat per for
mam ſubſtantialem quam expellat putredo
venenata, ita vt ſequatur diſſolutio & mor-
bus totius ſubſtantiæ. Materia certe omnis
niſi à forma temperamenti vel ſubſtantiæ
conſeruatur ad nihilum tendit. Ea putredo,
quæ temperiem lædit, efficit morbum in-
7. temperie, quæ ſubſtantiam ipſam, morbum
ſubſtantiæ. Septimo, an non calori naturali,
qui ſuſtinet formā ſit contrarius calor præ-
ternaturalis. Non ſimplex, ſed is in quo pu-
tredo ad gradū veneni accedit. Ideoq; vt cæ
8. tera venena cor maximè petit. Octauo, cū
nulla materia ſit abſq; forma qualis forma ſit
in putredine. Et an nimia humiditas recte
9. dicatur forma, vt placuit D. Iulio. Nono, an
non recte dicamus temperamentum atque
10. qualitates in materia inſtrumēta per quam
forma eſt efficax. Decimo, An non diffe-
rant diſputationes philoſophicæ & Medicæ
de putredine, certe Ariſt. opponit putredi-
nem primæ generationi. Medici cum de
putredine humorum agunt de quadam e-
bullitione quam fuligo putrida petens cor
Hydrops. conſequitur, ſeu corruptione ἐν τῷ γίνεσθαι.
Obſecro ad hæc reſpondeas. De infuſo pul.
Infuſum Antimonii Antimonii in vino exhibendo hydropicis
nūquam periculum feci, nec facturus ſum.
Scio quendam dediſſe Viennæ: ſed illi, qui-
Elaterium. bus exhibuit, paulo poſt extincti ſunt: Ela-
terium nulli exhibere volui. Dedi acino-
Acini ſambuci. rum ſambuci infuſum ſeu emulſionem ma-
gno ſucceſſu. De extracto gratiolæ dixi tibi
meam ſententiam. Puto etiam de hyoſcya-
Hyoſcyamus mi foliis pedibus appoſitis me tibi dixiſſe.
Decoctum cotulæ etiam mirifice prodeſt,
Dec. cotulæ. & calami aromatici ex vino, ſed alius potus
illis, quam ſerum lactis non concedendus.
Calami arom. Ad hydropem mirifice facit ſuccus coch-
leariæ herbæ ad vnciam vnam quotidie
Succus cochleariæ. ſumtus. Præferunt quidam crudum eo, qui
ſaccharo coquitur. Materiam aqueam ſoli-
tus ſum purgare acinis baccarum ſambuci
in iuſculo coctis, ſed longe melius hoc præ-
ſtant folia florum perſicorum ſiccata, atque
Flores perſicorum. in iuſculo cocta. Copioſe enim aquas edu-
cunt, & minime moleſta ſunt. Eſt hic quæ-
dam vetula admodum annoſa, ea quotidia-
no vſu abſinthii & foliorum perſicorum ſe
Abſinthii. conſeruatam affirmat. Venit nunc mihi in
mentem de floribus perſici agenti, quod
obſeruatum eſt, folia violarum Martiarum
Violarum folia ſicca vētri mouent. ſicca ventrem mouere, cum humida, imo
ſuccus earum hoc parum præſtet. In meo
morbo pauciſſimis medicamentis ſum v-
ſus. Initio cum catarrhus grauis eſſet, ſac-
Catarrhus. charum cum ambra in ouo ſorbili ſumſi,
ſacculum etiam ex ſantalis, roſis atque am-
bra capiti impoſui: Nonnunquam in ma-
gna debilitate, dilutum margaritarum cum
aqua borraginis & cinnam. bibi. Ventricu-
lo impoſui emplaſtrum ex ladano, cera atq;
ambra. Nunc ſolam ceram cum ſucco illo,
quem Ambram humidam vocant, inſperſis
pulueribus ambræ adhibeo. Bene vale. Die
Martini, Anno. 1564.

EPIST. CXXV.

IDEM EIDEM.

KAL. Maii ad me ſcripſiſti, te breui vbe-
riores ad me daturum, cum accinctus
ad iter tunc plura ſcribere non poſſes. Ter-
tius autem iam agitur menſis, ex quo tuas
fruſtra expecto, & quid de te fiat ignoro.
Quanto in luctu ſim propter extinctum
ſummum virum D. Seldium exiſtimare
potes, cum ſingularis illius erga me bene-
uolentia affectio tibi perſpecta ſit. Sed Rei-
publicæ damno præcipue moueor. Legi *Andernacus de peſte.*
quæ Andernacus de peſte ſcripſit. Quo-
modo placeant quæris. Tam grauem me-
dicum miror de re tanta ita pueriliter nu-
gari. Definit morbum peracutum, & quoſ-
dam peſtilentes morbos ſine febre eſſe aſ-
ſerit. Negat febrem peſtilentem ſub alia-
rum febrium genere comprehendi. Gale-
nus certe πεμφιγώδεις manifeſte 6. Epid.
ſub peſtilentium genere ponit, cumque
Hippoc. ἰδεῖν δεινὰ dicat peſtilentem febrem
denotari ait. Fuchſius hecticam eſſe arbi- *Fuchſius.*
tratur. Libenter autem velim de peſtilen-
te hectica rationes explicatas legere, & quo-
modo ab inſpiratione venenata, cor inca-
leſcat ita hectica atque durabilis febris con-
ſequatur. Nam de putredine ſubſtantiæ
cordis plane non aſſentior Gal. vel Monta- *Putredo ſubſtantiæ cordis reiicitur.*
no. Imo de putredine humorum in ipſo cor-
de admodum dubito, atque rationes Trin-
cauellicas, quas in priuatis exercitationibus
propoſuit videre cupio. In peſte plus valet
extractum veronicæ, quam card[illegible] *Extract. veronicæ, cardui.*
bo Gallico carduus inprimis vtilis. Venio
ad tuum ægrum, quem hydropicum futu-
rum non dubito. Omnia igitur quæ ad præ-
cautionem hydropis faciunt facienda ſunt. *Hydropis præſeruatio.*
De rhabarbaro crudo edat quantum po-
teſt. In vinum ſummitates, vel folia roriſ-
marini imponat. In ferculis roriſmarinus
coquatur. Lieni non minus, quam Epati
in hoc ægro proſpiciendum videtur. Fo-
ris adhibeatur ventri vnguentum de ſuc-
cis. In ictero nihil præſtantius cuſcuta re- *Ictero.*
peri. Sed iam icteri cura negligēda videtur.
Sal abſinthii plurimum poteſt, ſicut & ſuc- *Sal abſinthii.*
cus ex acinis ſambuci excoctus. Extenuatis
corporibus φωτικὸν illud de vini ſpiritu cum

ſyrupo acetoſo ſimplici commiſtum exhibendum non cenſeo. Grauiter enim ſuam oſtendit. *παλμὸν τῆς καρδίας* præcipuam ſuam origenem ducere ab hypochondriaca affectione pro certo ſtatuo, etiamſi quoſdam nimia copia ſanguinis grauatos, vel eos, quib. in pericardio aqua colligitur laborare minime negem. In præcautione podagræ dum recens eſt morbus, nihil hydropicis vtilius, ſiue ſudores, ſiue vrinam moueant, eum ſoli ichores in corpore aucti & retenti atq; corrupti fluxionis & inflammationis cauſa ſint, *δηλαδὴ ἤγουν* cum ſuppreſſio vrinę & ſudorum in iis qui ſudare conſueuerunt, malum præ foribus eſſe indicat. Itaque ſi lignum ſarſafras vrinas & ſudores mouet, prodeſſe ad præcautionem neceſſe eſt. Sed morbo inueterato, & natura ita debilitata, vt continuo excrementa ad membra infirma & calore exhauſta deponat, nihil vel parum hoc lignum iuuabit. Illud videndum, cum ſudorifera (id quod de ligno Guaiaci animaduerti) crebro exhibita humidum radicale conſumant, an nō idem hoc lignum faciat. Carduí aquam bis infuſis foliis in vitro deſtillatam obſurdeſcentibus auribus plurimum prodeſſe reipſa comperi & meo nomine poſteritati prodes. Verū tot meis ſcriptionibus nihil à te elicere me poſſe video. Tarde velle nolētis eſſe arbitror. Bene vale. Vratislau x. Iulii Vale An. Milleſimo, quingentiſimo, ſexageſimo quinto.

Palpitationis cordis cauſa. — *Præſeruatio podagræ.* — *Saſſafras.* — *Sudorifera humidum radicale abſumunt.* — *Surditas.*

EPIST. CXXVI.

IDEM EIDEM.

TVÆ Epiſtolę, quam nuper cum iis, quas Threccius attulerat miſiſti, perſolui, & meas Cluſio, qui attulerat dedi. Nunc cum idem alias die meo natali, id eſt, 22. Nouembris ſcriptas adferat, hæc exaraui. De valetudine vxoris D. Chriſtophori video te eſſe ſolicitum. [illegible] ſuperiore anno prius quam hinc diſcederemus, Quæſtoris noſtri aulici coniugem curabam, ea erat grauida, & omnia quæ tu in tua ægra eſſe ſcribis, *αἱμοῤῥαγία* vero ſumma. Conualuit tamen beneficio DEI, peperit, & iam nunc recte valet. Pauciſſimis medicamentis vſus ſum. Adhibui epithemata epati. Valide aſtringentibus nunquam vſus. Nam cum adhiberentur, maximum dolorem capitis patiebatur. De renum affectione nuper ſcripſi. Si eſt *αἱμοῤ-ῥοὶς*, poterit attrahere per nares aquā fragorum cum croco matris, ita ferrum vel chalybem vſtione præparatum vocati non ignoras. Santali rubri epati proſunt: ſed ſi de ſcirrho certus, humida admiſcenda. Renes ſemper emolliendi. Medicamentis multi intra corpus grauidæ non eſſem moleſtus, in cibo & recta victus ratione plurimum ſpei. Si non auerſaretur, Rhabarbarum darem cum conſerua florum cichorii, vel roſarum addito cinnamomo vel ſantalis. Emulſio margaritarum cum aqua fragorum & cinnamomo multum prodeſt præſertim addita raſura Eboris. Suc[cus] centaurii maioris in grauida ſuſpectus. Nec limaturam chalybis probo. Quicquid potero tua & D. Chriſtophori cauſa, quem ſaluto factus ſum. Vnguentum viride fit ex ſclarea in butyro cocta. Vtor in hyſtericis inungendo ventrem inferiorem. Addidi interdum Tachan Mahacam, & animaduerti eſſe efficacius. vel poſt vſum vnguenti, adhibui emplaſtrum vmbilico Memini me vſum Ambræ, quam vere chryſeam veteribus dictam puto, in conſilio contra peſtem probaſſe, & felici ſucceſſu in morbis peſtilentialibus vſum fuiſſe. Eſt ea dura admodum, nigricans & ſulphureas maculas inſperſas habens. Hanc primum accepi à noſtra Auguſta. Alia quoque maioris nigredinis habetur, verum longe mollior eſt. Eam vel in piſcibus reperiri, vel fictitiam eſſe arbitror. Illa, quam chryſeam dixi, vt ſulphur natiuum ardet. Non facit hoc cineritia, quę vulgo proſtat, & optima eſſe exiſtimatur. Ad ventriculum fouendum vtor nunc inunctione ex Medulla vitulina cum oleo nucis Muſchatæ. Verum canicula adhibita magis dolorem ſedat, & concoctionem qualiſcumque ea eſt, ſuo calore adiuuat. Bene vale. 5. Decembris, Anno 75.

Hæmorrhagia in grauida. — *Vnguentum viride.* — *Ambra Chryſea.*

EPIST. CXXVII.

IDEM EIDEM.

ABFVI domo tredecim diebus apud Baronem N. N. qui male acceptus eſt à Paracelſiſtis. Si euaſerit, eſt quod DEO gratias agat. Ad eolicos dolores acceſſit Epilepſia, atque ita vapores ex inteſtinis & ſtomacho ſublati cerebrum vellicant, ſicut in paralyſi neruos lædunt. Sed dolorum vi frangi & debilitari ſpiritus quoque in paralyſi exiſtimo, atque ita loco motiuam lædi ſicut in furioſis videmus, qui maxima onera tollunt, deinde cum ad ſe redeunt manus attollere nequeunt. Verum de his ſcribere non vacat. Cogitationes meas de morbo coniugis D. Chriſtophori iam tibi expoſui. Cum hydrops in conſpectu ſit, iam de ſcirrho nullum dubium. Magnam igitur in debiliſſimo corpore eu-

ratio

ratio difficultatem habet. Libenter mitterem extractum Gratiolæ, ſed neque conſulo, neq; reperio nunc. De extractionib. quid ſcribam, nihil à me tibi denegabitur. Sed ſi ſiccam etiam gratiolam habes affuſo ſpiritu vini optime extrahes, deinde addita aqua, in qua Rhabarbarum ſit infuſum, ſpiritum atque aquam per balneum Mariæ detrahes, ſuccum ad modicam ſpiſſitudinem parum Maſtiches aſperſo coques. De ſambuco venit in mentem quoddam remedium, quod tibi reticere non debeo, præſertim cum ſingulari modo aliud agẽs in ſcripto libro meo repererim, & certo experimento comprobatum legerim. Accipiendi ſunt flores ſambuci, & cum his contundenda eruca atq; ſimus columbinus, vel piper. Si ſambucus non ſit recens, aliquid aquæ ſambuci admiſcendum ac fingendum Cataplaſma, idque buboni applicandum. Abiiciendum, poſtea quam tribus horis iacuerit, in ignem, atq; ter repetendum. Non ratione carere videtur remedium, & autor ſancte affirmat magno & manifeſto ſucceſſu ſe eo vſum. Plura alias. Bene vale. 1. Ianuarii. Anno 1576.

Extract. Gratiolæ.

Empiricum Vng. in Bubonibus.

EPIST. CXXVIII.

IDEM EIDEM.

Dubia quædam in febre peſtilentiali.

TVas de febre peſtilentiali expeto, ex quibus hæc cognoſcere cupio; An exiſtimes Galeno febrem illam, quæ comites habet bubones notam fuiſſe. An bubo comitetur febrem, vel econtra. Et cum focus huius ſtatuatur in corde, quo pacto bubones ad inguina, & parotides expellantur. Vtrum hoc genus febrium aliter, quam contagione diſſeminetur. An morbida expiratio, vt loquitur Hippocrates, vel *μιάσματα*, vt eſt in libro de flatibus, aut ſeminaria putredinis, vt apud Galenum, aeris ſubſtantiam, quemadmodum voluit Altomarus corrumpant, & an vinum cui venenum commiſtum ſit, recte corruptum in ſubſtantia dicatur. Cum in contagione actio aſcribatur formæ propter conuenientiam materiæ, ſitq; contrarietas in ſubſtantia, id eſt, forma alia aliam expellat, auxilio qualitatum, an non recte morb. totius ſubſtantiæ offenſa actionis, quæ conſequitur, dicatur. Cum eodem res redeat, ſi gradus putredinis dicatur venenata qualitas, & venena non primis tantum qualitatibus mutent temperiem: ſed à tota ſubſtantia aduerſa ſint calori innato. Vtrũ febris peſtilens dicatur mitis, quia in ea magna humiditas & putredo, & an ſola deſiccatione curetur. Cum Hippoc. peſtilentes aeris conſtitutiones calidas & humidas deſcribit 2. & 3. Epid. cur ſuperior æſtas calida & ſicca infamis maxime peſtilentia fuerit. Certe Gedani in maxima ſiccitate plurimi ſunt mortui. Scio vos non curare abdita. Miror tamẽ quo ore nominetur venenum, & abdita cauſa negetur, cuius effectus ſunt manifeſti, videlicet, putredo inſignis longe ſuperans vulgaris conditionem, febris & oppugnatio caloris atque arcis vitę. Etſi formæ non habent cauſas cœleſtes, quæro vnde ſint? An progrediuntur è materia? Quid inquis? Non curamus formam. Medici ſumus, & artifices ſenſitiui. Audio, Hoc tamen teneo, de ſummis rebus parum etiam ſcire in primis eſſe vtile & ſapientiæ ſtudio conueniens. Non tueor ἄλογον τριβὴν, & exiſtimo remediis experientia inuentis cũ ratione ſecure nos poſſe vti, ſed expectabo tuas literas, atque vt eas mittas oro. Bene vale. Anno 64. M. Decemb.

EPIST. CLXXIX.

IDEM EIDEM

DE febri Catarrhali te dubitare an ſit putrida miror. Contagioſam fuiſſe non negas. Quomodo autem ſeminarium contagii abſque putredine finges? Peſtilens non fuit, ſed cum ſeminarium contagionis mediante aere de corporibus in corpora ſit delatum, ſicut peſtis ſeminaria contrahunt. Conſequens eſt, vt per diaphoretica pellendum atque exhauriendum, eodem modo quo in peſte, fuerit. Videmus ſi quis coryza atque grauedine laboret, & alium qui cerebrum prædiſpoſitum habeat, afflet, inficere, etiam halitu potum vt aliis ſit noxius, corrumpere. Imo quotus quiſque eſt, qui grauedine paulo vehementius laboret & non febriculam ſentiat. Patior vt quidam ſynochum generatim nominet, cum vnica acceſſione finita ſit: ſed in ſanguine fuiſſe inflãmationem nego, neq; omnem febrem in ichorib. peſtilentem ſtatuo. Hiſp. [illegible] ardente febre laborauit, XIII. vncias per phlebotomiã, & plures per ſcarificationem atq; cucurbitas Medici detraxerũt. De fœtore nihil perſcriptũ ſed hoc ſignificatum, omnib. quibus Mantuæ Carpentarię ſanguis in hac catarrhali febre eſt miſſus eos extinctos, & ſupra duo millia paucis diebus periiſſe. Nõ dubito, quin in quibuſdam corporib. in quibus putredo maſſam ſanguineam inuaſit, ſanguinis miſſio profuerit: ſed vbi ichores infecti fuerunt, & natura per ſudorem ſe exonerare voluit, iis minime recte, vel vacuantia data, vel ſanguis miſſus. Cucurbitulas multis, quibus caput vehementer dolebat, conſului. Fratri tuo inunctionem ventri-

Febris catarrhalis contagioſa neceſſario putrida.

Vena ſectio periculoſa.

maraſmus.

culi cum medulla vitulina, additis roborantibus profuturam ſpero. Vide ne vires ventriculi potionibus obruat, Conſerua roſacum cum ſpeciebus aromatici roſati plurimum proderit. Poſſunt addi ſemina. non arbitror verum eſſe Maraſmum præter naturã ſed ſi eſt principiũ ſimplicis nõ difficilis erit curatio, recta victus ratione ſeruata. Si cõpoſitus Maraſmus cum febre, febris non latebit. Hecticam non puto. Neque illum, qui à Philippo ex morbo ſenium appellatur. Nam ea affectio eſt frigida. Vale Anno. 1580.

Prognoſticon

EPIST. CXXX.

IDEM EIDEM

IN theſibus meis teutonice de peſte *αὐτοσχεδίως* ſcriptis, ac potius cõtinuo ſermone dictatis, me multis vocabulis minime ꝓprie vsũ animaduerto. Dixi διαφόρησιν expirationem, parum recte. cum ne tranſpiratio quidem proprie appelletur. Itaque in theſi ni fallor 12. pro exſpiratione Diaphoriſin ſcribes. Eſt quidem alia aliorum ſententia, verum certo ſcio, neminem qui in curatione peſtis cum iudicio verſatus eſt mihi temere contradicturum. Quid tu inquis, Bolus armena ad diaphoriſin facit? Non vtor terra iſta ſola, adhibeo Camphoram, in qua vis diaphoretica ſumma eſt, & ambra quæ maxime corroborat. At de ſententia Horatii Augenii non habemus terram Armenam veram, inquis? Fac eſſe non habere eam omnes notas, quas veteres illi tribuunt, neq; lemnia habet. Nam aliquando purior, aliquandu impurior ex ſcaturigine hauritur. Itaque quotannis fore aliam formam illius videmus. Et nonne aliæ quoque terræ mutantur. An vbique eandem prorſus argillam & limum effodimus? At inquit de Galeni ſententia Horatius, Bolus armena ſingulare habet priuilegium, vt peſti poſſit reſiſtere. Non terra illa vngarica, &c. De Italicis, Gallicis, & Hiſpanicis terris, quarum mentionem facit, & adulteraris pro Bolo vendi affirmat, neſcio. Hungaricũ Tocaenſem profuiſſe plurimis in peſte Viennæ reperi. Ac ter iam è Thracia armenam præparatam, id eſt, à ſordib. liberam, & ſimplicem, prout effoſſa eſt, accepi, nullam animaduerti diſſimilitudinem. Præparatam eſſe paulo pinguiorem non præparata deprehendi, ac in ea quam noſtrates Pharmacopæi habent, fraudem guſtu, cum raucorem pinguedinis perciperet, noſter D. Woyſelius affirmauit. Vtvt ſit in ſuperiori Epidemico catarrho nihil magis profuiſſe, quam vſum boli armeni, & cornu ceruini vſti, quod ego eodem loco, quo bolum habet, certo ſcio. Ac ſi bolus ſuſpectus ſit, omnino ſuadeo, vt loco boli cornu cerui accipiatur. De viribus autem ſic ſentio. Eſſe in illis ſingularem facultatem cogendi in vnum locum malignitatem impreſſam humoribus. Itaque vt camphora repurgat ſpiritus, & ſeroſum humorem; Sic bolus vt cornu etiam cerui in vnum cogit malignitatem & naturam ad expulſionem adiuuat. Videmus hoc fieri in cereuiſia, ea vt maxime ſit turbida & corrupta, tamen ſi iniiciatur creta, continuo fit pura, & ſaporem meliorem acquirit, atque omnis illa impuritas à creta q. ad ſe pertrahitur. Potes huius rei periculum facere quando voles. Reſiſtere autem iſtas terras putredini ſatis vermium curatio oſtendit & idem præſtare in vermibus cornu cerui vſtum experientia pro me loquitur. Abluuntur autem terræ iſtæ, vt admiſta arena à reliqua terra ſeparetur, non alia & noua ſubſtantia efficitur. Neque ſi color mutatur, propterea vires pereunt, indifferenter in omnibus corporibus vno medicamento vtendum nemo ſanus affirmabit. Imo fateor Camphoram in illis, qui valde nauſeãt, vel quibus caput infirmum eſt, nõ adhibendam, vires terræ Lemniæ & boli non admodum diſcrepare concedo. De vomitu in vſu terræ Lemniæ quod affirmem non habeo. Hoc ſans conſtat Turcos in cibo vti, nec terræ Lemniæ, ſicuti etiam lapidi Bezoar vllam vim contra peſtem tribuere. Eſſe autem res diuerſas bolum armenam, & terram ſigillatam Turci atque Armeni affirmant. De mea valetudine te ſollicite cogitare tibi gratiam habeo. Me iam multis annis nullo medicamento purgante vſum iam antea ſcripſi, eſtque in animo plane iſta ætate non adhibere. Scio agaricum cum Oximellite in maximis ventriculi dolorib. plurimum prodeſſe, & nuper de hoc medicamento D. Hervvartum monui. Terram iſtam Sileſiacam Strigenſem eſſe magam nemo dubitat. Habet autem eaſdem facultates, quas lapis calaminaris qui in Epiphoris & defluxionibus ad oculos cum pinguedine miſtus ſingulare auxilium eſt. Theſes in eas enodare cæpi. Tres ſunt ſcopi in curatione. Vnus à natura morbi ſumitur, & cum ſit maxima in eo malignitas indicatur alexipharmacum, quod vel extinguat venenatam vim illius, ne cor ſuperet, vel in anguſtam redigat, ne ſeſe efferat. Id quod bolus armena, cornu cerui, & ſimilia, ita præſtant, vt natura vere totam malignitatem ad emunctoria

Boli armeni vſus. Camphora.

Bolus Tocaienſis. Terra Armena.

Succidaneũ Boli cornu ceruinum.

Camphorã.

Cereuiſia creta iniecta depuratur.

Lumbrici.

Camphora quibus non danda.

Terra Lẽnia.

Lapis Bezo.

Ventriculi dolor.

Terra Strigonienſis earundem facultatum cum lapide calaminari.

ctoria, vel ignobilia membra deponat. Alter à præpotenti cauſa, videlicet, inſpiratione, quæ diaphoteſio indicat. Tertius, cum natura ad emunctoria pellit, vt in eo omnibus modis iuuetur. Sed ſi potero mittam latinas Theſes, & veſtrorum Italorum ſcripta expectabo. Scio mecum non conuenire. Vtrum autem mea vel illorum ſit verior ſententia, indicat curatio. Non nego putredinem, ſed vulgatis puttedinis conditionem longe ſuperate affirmo. Vale. Anno 81.

EPIST. CXXXI.

IDEM EIDEM.

Sulphurata vina noxia.

SVLPHVRATA vina ne putes ſalubria, atque in eo vulgi opioionem ſequaris, nec tibi perſuaderi ſinas, vſum ſulphuris innocuum eſſe. *Sulphur vſtum nihil ab Arſenico differt.* Certe vſtum ſulphut nihil ab Arſenico differt. Spiritus vini eſt anima vini. Ac cum ego medicari vino ſtudeo, vel vas ſpiritu vini aſpergo, vel herbam aut aromata imbuta eo inficio. *Sulphur neq; in peſte, neq; in phthiſi exhibendum. Agaricus. Bolus Orientalis.* Fateor me cum multis in errote fuiſſe de ſulphure in peſte, & phthiſi exhibendo. Nolim te in eo hærere. Agarici vſus validiſſimum ventriculum requirit. De bolo tecum ſentio in penuria Armenæ recte nos orientali vti. Galeni colore eſt pallido, & orientalis cum lauatur palleſcit. Lotione tamen nihil decedere illi ſatis appatet, cum aqua quando ſubtiliores partes, quæ aquæ commiſcentur, ſubſidet, ſit puta, & nullo ſapore prædita. Nec pnto lotionem aliud præſtare, quam vt, impura & arenoſa ſeparentur à partibus tenuioribus. Alia eſt ratio cum aloës, vel metalla lauantur. Certe ea, quæ Conſtantinopoli mihi miſſa eſt, etiamſi non ſit lota, inſtar butyri tamen in ore liqueſcit. E Cappadocia importari Conſtantinopolim cettum eſt. Itaque non pugno etiam ſi Rubrica Synopica appelletur, & ſi recte memini, Plinius huius tres ſpecies ponit, *Terra Lemnia.* Terra ſigillata, quæ è Lemno affertur, ſemper eſt pallida, & *Creta Anatolica.* Creta Anatolica vulgo dicitur. Galenus ſuum ſigillum Lemnium colore rubeſcente deſcribit. Itaque impoſtores, ſæpe bolum admiſcent, ſicut rubricæ ſynopicæ pinguedinem, quam vetuſtas prodit. Cum iſtæ terræ mihi ſuſpectæ ſunt ſolo cornu cerui vſti vtor. Meas theſes nondum Latinas feci, nec Teutonicas, niſi prius quæ *Sententia Cratonis de peſte.* volo corrigam, in meo nomine apparere volo. Qua ſim ſententia quin publice ſcribas non obſto.

Nulli in peſte abſq; febre moriuntur.

Primo, me peſtem non ponere ſub febre, tanquam genere, etiamſi perpaucos, ac nullos potius in peſte abſq; febre moti putem. Seminarium inſpiratione hauſtum κτ' ἄλλω τὴν ὑσίαν, ſicut cætera venena vniuerſi corporis vires, maxime cotdis pernicioſe afficit. Aëris vero intemperies, impuritas, ſicut & cibi corrupti ad diſpoſitionem corporum faciunt, & peſtem, niſi ſeminaria vel ex corporibus infectis exhalent, & in inſpiratione noxia ſint, vel aliunde importantur, inferũt.

Peſtis alia priuata alia publica.

Secundo, peſtem aliam priuatam, aliam publicam eſſe ſtatuo. Priuatam vel à prauis humoribus ob victus prauitatem ortam, vel ex aëris conſtitutione mala, vt ſunt febres peſtilentes multæ, quæ non habeot morbidam exſpirationem, & paucis pernicioſæ, neque contagioſæ ſunt, niſi valde prædiſpoſitis. Publica non niſi ab aëte continente lethalia μιάσματα à morbida expiratione corporum humanorum, in quibus putredo ad iſtum gradum deuenit, vt νοσηρὰν ἀπόῤῥοιαν contagioſam exhalent, tum prouenire ſtatur. Sæpe veto in priuata peſte accidere, vt ad hunc gradum putredo perueniat, vt corpota μιάσματα exhalent; ſæpe etiam aliis ex locis vbi publica peſtis, deferri, atq; vno corpore infecto, plurima deinceps infici, & ex ægrotantium, atq; motientium multitudine μιάσματα exitialia atq; ſeminaria peſtis in aëre augeri. νοσηρὰ enim ἀπόῤῥοια alia in certo loco orta, exitioſa multis eſt, alias extrinſecus aduenit, atq; ita non vni vrbi, ſed toti regioni peſtis infecta eſt.

Gradus putredinis in peſte Medicis ignotus.

Tettio, vt vero gradus ignotus eſt Medicis; ita & verum remedium. Medicos autem coniectura rationali in ægris alias accedere propius ad cognitionem, & felicius in curatione procedere, cum ea quæ puttedini reſiſtunt, adhibent, in aliis veto minus, veriſimile eſt. Ratio tamen hoc dictat: Cum inſpiratione malum ſit hauſtum, ſolam diaphotiſin indicari, & veram curationem eſſe. Ita tamen vt ſeminarium inſpitatione hauſtum ſpititus non aliter ac ve- um afficiat, vt ea quæ ad diaphotiſin faciũt, ſimul cor aduerſus vim venenatam muniant, coniuncta habeant.

Antidotum verum ſoli Deo notum.

Quarto, antidotum vetam peſtilentis veneni in diuina manu eſſe, neque Medicis exploratam, videmus nos camphoræ Ambræ, non cineritiæ, ſed chryſeæ, quæ vt ſulphur atdet, effectiones; eæ tamen perpetuæ non ſunt. Herbæ quædam vulgares, vt Tanacetum, quam Atbaraſiam appellant, atque aliæ æque proſunt. Occaſiones atque euentus prouidentia DIVINA moderatur. Nunquam tamen vni temedio ſemel exhibito Medicus ſecutus eſſe debet, ſed quandiu malum eſt præſens cordi, omnibus modis auxilium ferat. Quinto, cum vero

natura affecto craſſo humore ἀπόστημα efficit, & bubo conſequitur, vel ex aduſto & tenui atq; acri humore ἄνθρακες, vel ἐκθύματα & στίγματα exitialia apparent. Omnis in hoc Medico labor eſſe debet, vt naturam per loca conuenientia ſe exonerantem adiuuet. Hæc de mea ſententia, mi optime Ioachime, publice ſcribere, meliori tamen modo quam ego lectulo affixus poſſum, recte poteris, atq; vt ſcribas oro. Si mihi Deus vitam conceſſerit, ipſe etiam ſcripturus ſum, atq; vſum ſulphuris Arſenici, Antimonij, etiam Boleti ceruini, quod ſpiritibus cerebri aduerſiſſima ſunt, improbaturus. Multa docet vſus & ætas. Vale. Anno 1583.

Boletus ceruinus.

EPIST. CXXXII.

Idem eidem.

DE Sulphure & Arſenico te in errore minime libenter relinquo; ſed eximere nunc tibi eum, vt vulo, non poſſum. Paucis ſic habeto; ſulphur inchoatum eſſe arſenicum, atque multiplici fuſione dum albeſcit effici. Niſi enim ineſſet non fieret, ſatis eſt certum, etiam ſi vis venenata tanta non ei inſit, quanta eſt in iſto arſenico, quod ex auri pigmenti ſublimatione conficitur, & vulgo omnibus eſt notum tanquam venenum. Noxium eſſe tamen, neq; peritos Medicos de vulgari ſulphure in Aſthmate loqui arbitror, etiamſi imperiti ita intelligant. Nonne multi puluerem bombardicum hauriunt, & quia robuſtiora corpora ferunt, ideo innoxium cenſebimus? Geſnerus multa ex aliorum literis affirmauit, quæ experiundo non didicit. Suadeo ne cuilibet hac in parte credas. Metallica re vera periculo non carent. Multa dicuntur de floribus ſulphuris, & aliis nugis, ſed meræ ſunt fallaciæ. Sulphur quo magis per ignem albeſcit, eo propius ad arſenicum, quo vero magis rubeſcit ad auri pigmentum accedit. Vale. Anno 83.

Sulphur inchoatum Arſenicum.

Sulphur in Aſthmate.

Puluis bombardicus.

Geſnerus.

Metallica periculoſa.

EPIST. CXXXIII.

Idem eidem.

AD theſes meas quod attinet. Ita ſæpe, ne quid ambiguitatis in illis eſſe videatur, cogito, vt non tam de mutanda ſententia, quam verbis ſollicitus ſim. Scio peſtis appellationem alias de cauſa, alias de morbo, interdum etiam de ſymptomate, præſertim à Germanis accipi. Ego potiſſimum ad cauſam reſpicio, cum inter hanc & morbum analogiam eſſe oporteat. Dico autem cauſam illam morbidam exſpirationem, quæ à putredine oritur non vulgari, verum ea, quæ ad iſtum gradum peruenit, vt contagionis ſeminarium exſpiret. Differentiam inter publicam & priuatam peſtem ſumpſi ex Galeno, etiamſi Galenus aliud, ac ego priuatam peſtem nominet. Sed de nominibus non puto eſſe contendendum. Priuatas peſtes à cauſis internis: Publicas vero ab expiratione contagioſa ſola oriri, ita, vt inquinamenta aëri, ac mediante aëre corporibus aërem attrahentibus, vel rebus ſuſcipientibus aërem, iiſq; ventilatis rurſus μιάσματα diſſipantibus communicentur, ſtatuo. Definitionem colligere non eſt difficile, verum non facile ſatisfacimus iis, qui tria tantum morborum genera admittunt. Statuamus igitur peſtem eſſe morbum communem, ortum ab aëris infectione continentis μιάσματα, quæ exhalent è corporibus humanis, in quibus putredo ad eum gradum deuenit, & morbidam & contagioſam expirationem habeat, viribus & vitæ humanæ totius ſubſtantiæ malignitate, hauſta inſpiratione, pernicioſam atque aduerſam. Ad intemperiei morbos referre quidem licet: ſed cum putredo omnia diſſoluat, minime contradictionem effugies. Gradus autem iſte putredinis, ſecunda quædam qualitas eſt, cuius cognitio verã indicationem, hoc eſt, nocentis & conferentis collationem, cum ſit ignota, impedit. Hinc omnis in curatione difficultas. In ea vero cum ſolam διαφόρησιν ſpecto, venæ ſectionẽ reſpectu plenitudinis, vel etiam magnitudinis morbi, ſicut vacuationem reſpectu cacochymiæ non excludo. Fruſtra tamen, & cum periculo iis intẽtum eſſe neq; ad morbum, neq; ad præpotentem cauſam, videlicet, morbidam inſpirationem Medicos tota mente reſpicere, exiſtimo. Sed de his nimium. Vale. Anno 38.

Peſtis appellatio varie vſurpatur.

Priuata & publica peſtis.

Definitio peſtis.

EPIST. CXXXIV.

Theodoro Zvingero, Medico celeberrimo, Ioan. Crato Med. Caſ. S. D.

HAVD ſcio plus ne doloris, an voluptatis ex iis literis, in quas Hippocratica conieceras, acceperim. Labor iſte tuus ſuauiſſimus eſt. Quæ autem de morbis vulgaribus, & tua ſolicitudine ſcribis, magno mœrore me afficiunt. Quod poſſum igitur Devm oro, vt te benigne conſeruet. Humana ſunt humana. Diuina bonitas faciat, vt nos minime boni ad diuina aſpiremus & perueniamus. Morbus iſte quem Hungaricum appellant, meo iudicio, ſynochus putrida eſt. Sanguinis miſſio poſt quartam diem noxia. Vacuationes pauci ferunt.

Morbus Vngaricus.

Digitized by Google

ferunt.. Recte illis datur ſeminum napi & citri emulſio. Ioterdum maculæ erumpunt. Nam ſemina illa ad cutim materiam protrudunt. Capiti & ſoleis etiam pedum, magno ſucceſſu Raphanus tenuiter conciſus applicatur. Datur & ſuccus raphani. Tutiſſimom eſt cum materia ad caput repit, ſanguinem è ſaphena, ſeu poplitis vena mittere. Bibere emulſionem ſeminum citri arantiorum & acetoſæ. In peſte bubonia, vel cum carbuoculis, oihil melius vſu camphoræ. Sed vni remedio non videndum. Initio ſingulis propemodum horis, deioceps ſucceſſu temporis, ſingulis diebus remedia mutanda. Multum valent herbarum ſucci cardui, veronicæ, ſcabioſæ, ſcordij, &c. Verum confido diuinam benignitatem te huic diuino operi conſeruaturam. Ego quod vnum abſens poſſum, intereà ſalutem tuam Præpotenti Deo commeodo. Hic beneficio Dei omoia ſunt tuta, cum pauca reperiantur loca Germaniæ, in quibus peſtilentiæ malum non eruperit, & contagione ſerpat. Ἀλεξίκακον vnicum atque verum Χριστὸν σωτῆρα piecor, vt à vobis hoc depellat, atque te conſeruet. De Geſnero quoq; valde ſolicite cogito, eiuſque literas cupidiſſime expecto. Te oro vt ſcribas, qoæ remedia efficacia cognoueris, & an ſola deſiccatione, vt volunt præceptores noſtri, an vero antidoto curari exiſtimes. Etiam cum formæ ſeſe mutuo expellunt adminiculo primarum qualitatum hoc fit. Proinde in errore illos verſari exiſtimo, qui quouis anni tempore, & in quauis ætate ac temperamento certa de antidotis promittunt, que tibi atq; aliis pollicentur. Illi vero, qui venena venenis pelli exiſtimāt. & aotimonium vi ſpecifica expellere veoenum arbitrantur, non ſatis rerum naturam conſiderant. Bene vale. Vratiſlauiæ 6. Dec. Anno 1564.

Raphanus.

Peſtis bubonia.

Venenum nequaquā veneno pelli.

EPIST. CXXXV.

Idem eidem.

Literas tuas viii. Kal. Martij datas, nudius quintus accepi, atque ea, quæ de peſtilentia ſcribis, libenter legi. Paucis autem nunc tuis reſpondebo. Primum, τὸ θεῖον formam ipſam morbi mecum conſentiente iudicio ſtatois, verum rationem non affers, cœlo oe aëri imprimatur, ao ab exhalationibns corporum inferiorum in qnibns putredo eſt, oriatur. Exiſtimo autem formas rebus à cauſis cœleſtibus imprimi, atque iiſdem foueri, etiamſi vt agant in corpora requiratur ſubiecti ἐπιτηδειότης. Itaque ſiue ſit peſtilentia vniuerſalis, in qua aër plenus eſt μιάσμασι τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει (vt Hippocrates loquitur) aduerſis, quæ circumferuntur impulſu aëris de regione in regionem, ſiue putrida exhalatio ex terra, aquis, cadaueribus vim contagioſam atque exitioſam concipiat atque ſpiret, ſiue propter victus rationem in vno aliquo tanta corruptio & putredo oritur, vt νοσηρὴ διάθεσις conſequatur, ſemper vi cœleſti formam imprimi, qua ἀναθυμιάσεις iſta μιανθέντα aëtem, qui per ſe naturæ & amicus & neceſſarius eſt, aduerſus ſit, ita vt maxime formale, videlicet calorem cordis, non ſemper augeat atque inflammet, ita vt conſequatur febris: ſed ioterdum malignitate ſua opprimat atque extinguat. Hanc autem maliguitatem noo ſolum augeri, dum vel in primis qualitatibus aër mutatur, vel cum corruptis & putridis exhalationibus completur; verum corpora etiam ad ſuſcipieodum iiſdem cauſis, ſicut à mala victus ratione præparari. Itaque cum in recipieotis ſubiecti diſpoſitione præcipue effectus conſiſtat, acrius in impuro aëre malum ſæuit. Ac cum per ſe purus quoque aër videtur, tameo quaodo vel propter funerum atque ægrotantium multitudinem morbidis exhalationibus repletur, multis quoque exitioſus eſt, præſertim ſi attrahatur ab iis, quibus cor debile, vel humores ad putredinem ſuſcipieodam idooei ſunt. Irruit autem ſemper hoc malum cum impetu, niſi à victus ratione deprauata oriatur, & febrem peſtilentem, quam priuatam nominauit Galeous, in qua præcipue σύντηξις eſt exitioſa, producat. Cæterum vere peſtilens ſemper ab inſpiratione oritur, atq; ſeminarium peſtileos, quod attrahitur cum aer σηπεδονώδης eſt, (vt contagionis ratio perſpicue monſtrat) ſiue potredinem inferat, ſiue abſque manifeſta nota putredinis hominem extinguat. Sæpe enim agentis ſumma potentia ita cito calorem ionatnm malignitate ſua opprimit, & tanto impetu cor arcemque vitæ inuadit, vt citius vitam adimat, quam manifeſtam putredinem inducat. Inteodi tamen etiam in iſta oppreſſione calorem arbitror, neque vllum hominem abſque febre, quantumuis ea ſit exigui temporis, vt depræhendi ſuis notis vix poſſit, mori. Recte igitur hic morbus febris putrida cenſetur, etiamſi putredo longe vulgaris putredinis conditionem ſuperet, nec methodus curationis eadem, quæ in reliquis putridis, ab obſtructione ortis, ſit. Nā cum hæc putredo ſit venenata, venenum requirit ſuam antidotum.. Putredo autem cnm in eo omnia ſoluta quaſi compage ſua diffluant, exiccationem. Quantum igitur

τὸ θεῖον forma peſtis.

Vi cœleſti formas imprimi.

Nullus homo abſque febre moritur.

ſiccando putredini demimus, tantum malı̇ quoque adimimus, etiamſi ei non exiccatio ipſa, ſed forma medicamenti, quæ καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν veneno contraria eſt, aduerſetur. Cæterum ſæpe quæ propter partium tenuitatem ſummam vim exſiccandi & diſſipandi habent, vt oleum vitrioli, camphora, &c. ſola exiccatione ita auxilium ferunt, vt malum à natura ſuperari poſſit. Sicut cum impetu quodam in robuſtioribus corporibus vſu Antimonii, Præcipitati, aut ſimilibus violentis medicamentis materia & fomes ſubtrahitur. Semper enim manet firmum illud ἐῶν τὸ αἴτιον αὐτὸ τοῦ πάσχοντος ἐπιτηδειότητος ἐνεργεῖν, & τῆς ἐπιτηδειότητος causam eſſe, vel cordis debilitatem, ſiue propter affectiones cœleſtes, ſiue alias cauſas, quibus cor atque calor innatus debilitatur, vel humorum in corpore abundantiam, atque ad corruptionem promptitudinem. Vbi prima cauſa adeſt, leuis etiam impreſſio exitioſa eſt, & infirmum, vel nullum à medicina auxilium, niſi ſubito tale aliquid afferatur, quo cor ſummopere roboretur, & in quo vis maxima veneno contraria inſit. Verum cum humorum vitio paulo robuſtior afficitur, tunc arte & præſidio Alexipharmaci pugnare licet. Sæpe autem cauſæ coniunguntur, proinde ſicut in præcautione, ita & in curatione ad vtrumque reſpiciendum eſt. Ac cum præſeruationis methodus manifeſta ſit, miror in curatione lumen mentis excludi. Etſi enim verum videatur nullam certam ἔνδειξιν ex ignota forma putredinis, & occulta qualitate medicamenti elici poſſe; tamen cum plurima ſint putredinis notæ, cumque hoc certum ſeminarium venenata malignitate præditum ea, quæ à tota ſubſtantia venenis reſiſtere; & manifeſta putredine aduerſari poſſunt, recte atq; cum ratione adhibemus. Ac ſi amethodicam curationem iſtam eſſe arbitramur, tota illa pars medicationis cum purgantibus medicamentis methodo caret. Semper doceri experimento, & duci ratione Medicum oportet, nullaque in iſta infirmitate humana fingenda perfectio atque abſolutio; ſed illud potius tenendum, homines vel nihil, vel pauca ſcire etiamſi hæc ipſa paucitas amplificanda & illuſtranda nobis ſit, atque in eo poſteritati pro noſtra parte conſulendum. Cauſis quidem, quibus præparantur corpora ad ſuſcipiendũ, videlicet exhalationibus ab inferioribus corporibus ortis, atque interna etiam humorum affectione, niſi vis mali ſumma ſit, nos poſſe reſiſtere, minime dubium eſt; ſed cum bellis, caritate annonæ, alluuie aquarum, &c. & ſimilibus malis punimur, intelligimus certe quid fieri poſſit atque debeat. Etiamſi opem ferre in noſtra poteſtate non ſit. Ac ſæpe effectiones medicamentorum, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate oriuntur, & nobis certa experientia exploratæ ſunt, nos fruſtrantur, cum corporum non eſt ea ἐπιτηδειότης, vt vim ſua medicamenta exerere poſſint. Semper igitur pugnandum obſeruatis & generalibus indicationibus, & anceps etiam remedium, modo certum ſit; eſſe alexipharmacum, & ad inhibendam putredinem idoneum, quam nullum adferendum. Symptomata etiam non negligenda, & præſertim ſi natura ſeipſam quaſi exonerat, in eo omnibus modis arte iuuanda. Hæc plurimis & moleſtis rebus occupatus nunc potui tuis literis reſpondere, quæ cum ita ſcripſerim, vt deſcribenda ſint, ſiquidem legere te velim, oro boni conſulas, & tuam ſententiam pleniſſime mihi ſignifices: Aſtrologicas nugas & vanitates non tueor. Illa autem clariſſima mundi lumina, & lucida cœli corpora præcipuas mutationes efficere in aëre atq; corpora humana afficere certus ſum.

Etſi autem ſcio ineptum eſſe quærere; quæ compoſitio ſimpliciter ſit optima; tamen cũ multa vſus doceat, peto à te, vt quæ medicamenta ciuibus tuis profuiſſe plurimum animaduertiſti, perſcribas, & me amore tuo ſingulari ames. Bene vale. Vratiſlauiæ 25. April. Anno 1566.

EPIST. CXXXI

IDEM EIDEM.

Παλμὸς opt. Imperatoris noſtri non oriebatur à fuligine cordis retenta in cauitate cordis, in qua pituita concreta ad orificia fuit, ſed quod vapores illi in humorem aqueum reſoluerentur. *Hydrops pulmonis.* Inde non modo iuſto abundantior aqua in pericardio fuit; verũ pulmo totus humori innatabat; Ac in cadauere quoq; ſupra tres, vel quatuor libræ in cauitate pectoris repertæ. Erit igitur, vt Hippocrates noſter loquitur Pulmonis hydrops cauſa ad quam conſequebatur παλμὸς, accedente altera cauſa, videlicet aqueo humore nimium in pericardio aucto, de qua Galen. nos docet. Exſpiratio autem impedita ad iſtum modum, vt ne ſeſquicyathum bibere poſſet. Mingebat vero ad ſex libras interdũ vno die, atque ita aqueum iſtum humorem natura euacuabat, cumq; motus ille naturæ impeditus eſſet, Cæſar eſt ſuffocatus. Extincto Cæſare, eodẽ prorſus morbo Palatinus Elector. XIIII. die poſt interiit. Palpi-

tauit

tauit illi erebro cor, & ab aquæ humore ſuffocari viſus eſt. Is cum ſuperiori Autumno in ventrem delapſus eſſet, hydropicum fecit. Intumuerant enim illi venter & pedes, & tunc in pectore melius ſe habere viſus eſt. Rurſus autem humor aqueus auctus, eum extinxit. Nam copioſe in pectore repertus eſt, & cor ſimili modo pituita concerta affectum.

Singultus à partibus ſpiritualibus.

παράδοξον illud communis amici noſtri de ſingultu mihi non probatur. Non videt enim aliud eſſe, eum Medici de ſingultu, tanquam morboſa affectione ventriculi agunt, aliud cum de eo, qui à partibus ſpiritalibus, qui ſæpe flentibus pueris ſuboritur. De hoe quidem Ariſtoteles 33. probl. mentionem facit, & ex ſpiritu circa pulmones retento, & aceruatim erumpente fieri aſſerit. Itaque nullum eſt dubium quin ab eo, quem Medici affectionem ventriculi conuulſioni ſimilem dicunt diuerſus ſit.

Singultus nō eſt vera conuulſio.

Quis autem vnquam conuulſionem veram ſingultum dixit vt ille ſomniat? Similem faciunt, quia vterque affectus à repletione, vel inanitione, aut materia mordicante oritur. Diſſimilis vero eſt, quia vera conuulſio tantū in partibus lacertoſis, neruis & tendinibus contingit. Ridiculum eſt de maximis rebus in arte noſtra, & tanta, atq; inexplicabilia diſputare, & cum ad rem ventum eſt, neſcire quid admouere debeas. Plurimos mihi iratos reddidi, cum hæc illis dixi.

Venena quadam animalibus mortifera, hominibus in peſte ſalutifera.

Noſter Eraſtus fortiter quædam contemnit, verum vellem diceret; Cur quæ aliis animantibus mortem, hominibus veneno oppreſſis, aut peſtilentiæ ſeminariis hauſtis auxilium adſerunt, ita vt nullam noxam, quem admodum fit nuce vomica cum Mithridatica antidoto hauſta adferant. Poſſem ſexcēta recitare. Neq; tam imperiti Philoſophicarum & Medicarum rationum ſunt, qui illa proferunt, quam quidam eos exiſtimāt. Tam ego videre in intima Hippocratis pectoris penetralia, quam vllus alius deſidero. Tam multa, quæ ad ſummos principes tanquam arcana, & certa experientia comperta perferuntur, quam alius obſeruaui. Hæc ad te amiciſſimo animo, cum nihil ad te pertineant, ſcribo, & me tibi quo ad vixero amicum futurum polliceor. Bene vale. 16. Febr. Anno 1577.

EPIST. CXXXVII.

IDEM EIDEM.

Perfidia Paracelſi.

SACRA ais, non ſunt prophananda. At proferenda certe ſunt, & ad Dei laudem decantanda. Ne quid diſſimulem, Paracelſum vel ignoraſſe, quæ ſpiritus mendacii illi prodidit, aut forte in antiquis libris legit, vel maligne aliis innidiſſe videtur. Bonum eſſe κοινωνικὸν καὶ σαφὲς ipſe noſti, & oratio monſtroſa mentis monſtroſæ indicium, vel inuidet, vel fallere vult, qui obſcure loquitur.

Bonum eſſe communicatiuum.

Vtrumque vero viri mali. Sed mitto iſta. Vidi quædam à Francofurtenſi Pharmacopæo, cuius Laudanum tu dilaudas, præparata, neque dubito, imo reipſa compertum habeo, ſummæ efficacitatis eſſe. Sed de eo ambigo, an illam ſummam efficacitatem & alterationem natura ferat, & an vtilis illā ſit prudenti Medico atque cum pietate artem tractanti.

Nepenthe. Zuingeri.

Nam quam ſæpe Paracelſiſtarum audacia, & iactantia Infeliciter cadat, quotidie conſiderantib. exempla in oculos incurrunt. Iuriſconſulti vetant ſine lege loqui: multo magis rationalis Medicus prohibetur ſine indicatione aliquid facere.

Turpethi mineralis vſus importunus.

Quæ obſecro eſt ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας cum præcipitato ſeu turpetho minerali in morbis gallicis, vtuntur. Cupio mihi eam à te, qui in Aſclepidæa medicina ſummus es, & cum magna laude verſaris, demonſtrari. Quod humorem pituitoſum & aduſtum expurgar, naturæ beneficio fit, inſurgentis aduerſus venenatam medicamenti qualitatem, & ſimul etiam cum ea humores prauos reiicientis. Verum fac eſſe peculiari vi aduerſus morbum gallicum pugnare. An quæſo nulla alia ſunt remedia quæ tutius hoc præſtent? Fateor in Gallicis, qui ſemel Hermeticam medicinam experti ſunt, fruſtra alia remedia adhiberi; Verum in recenti morbo vſurpare, nimiæ temeritatis eſſe videtur, & certe natura duce arte, non medicamentorum robore victoriam in morbis recte atq; tute conſequimur. Sed cum non licet agere vt volumus, illud, vt quimus aliquam excuſationem habet. Foris adbibita in curatione vlcerum, cum rationi cōſentiat, in loco ſublimatum & præcipitatum laudo. De Arſenico in vlcerib. tonſillarum Gallicis adhibito, quæ ſcribis, non intelligo.

Sulphur reſoluit corpora.

Sulphur magna vi diaphoretica præditum, ac propterea in peſtilentib. morbis plurimum auxiliari ſcio. Interdum tamen ita reſoluere corpora, vt ſtatim concidant, non ſemel obſeruaui. Rationes præparandi illud ita multæ & variæ ſunt, vt quæ ſit veriſſima & rectiſſima diuinare nequeam. Hippocratem tale ſulphur ἄπυρον in morbis pectoris adhibuiſſe, quale noſtrum eſt, quod vel ex Polonia, vel Hungaria affertur, non facile mihi perſuadeo. Neapolitanum, quod Braſſauola cōmmendat, neq; in ipſa vrbe Neapoli potui videre, neq; in agro Puteolano & ad Auernū, quę tn̄ loca plena ſulphuris & cineris ſunt, reperi.

Sulphur Paracelſiſtarum.

Ac quis dicit ſulphur, q. Paracelſiſtæ parāt,

eſſe ἄπυρα? Arſenicum, cum excoquitur candidius redditur, quam ſulphur, quod ego interdum illos exhibere animaduerto. Vtcunque certe, & quomodocunque tractetur ſulphur, diſcedere ab eo omnem qualitatem noxiam, nondum potui perſuaderi, vel vt vteter adduci. Certe nulla corporibus noſtris cum iſtis medicamentis eſt familiaritas, neque vlla ratio, quæ cum periculo iis in morbis profligandis vtendum ſuadeat, cum tutiora in promptu ſint. Ac ego veteres Ambra ſulphurea, quam vere Chryſeam appello, in morbis pectoris & aliis vſos arbitror, eamque plurimum iuuare, ac vere huic θεῖον ineſſe reipſa comperi. In chryſopæa ſulphuris elaborationem caput artis eſſe facile concesserim. Scio enim in hac vrbe fuiſſe quendam, qui in æquam illius rubeam, laminas argenti conſiciebat, & intra non multos dies aurum extrahebat. De oleo ſulphuris, quod nondum à quoquam exacte factũ arbitror, idem quod de Calchanti viribus ſtatuo, & auxiliari plurimum, eum à Mercurio damnum eſt corporibus illatum, ſcio. Poſſem de his multa ad te ſcribere, & nihil facerem libentius, ſi valetudo permitteret. Hoc reticere non debeo, communem Amicum noſtrum inſignem iniuriam mihi facere, cum me tanquam chymiæ hoſtem & oppugnatorem publicæ traducit, qui in multis Rebuspublicis & Aulis, cum nominis quadam mei iactura chymica medicamenta ſum tutatus. Nihil ante quadraginta annos oleorum deſtillatorum, nullum extractum, nullus ſuccus hic in Pharmacopoliis eſt repertus. A me autem ita & Pharmacopæi & Medici, beneficio DEI, ſucceſſu medicationis edocti, vt nunc vbique parent, atque iis vtantur. Idem & Viennæ, & in aula Cæſarea me factitaſſe, & plurimum aduerſationis expertum veriſſimum eſt. Inſaniam vero Paracelſicam, qui ſummos in arte Medica magiſtros, imo artem ipſam Medicam propter arcana ſua, vt appellant, contemnit, & nouam nobis è fumis Medicinam fabricat, atque diſcentes à bonis autoribus ad fornaces ablegat, omnemque denique ſeculi noſtri excellentiam deiicere ſtudet, vt ſua medicamenta extollat, nunquam probaui. Artem enim ipſam Hippocratis, & doctrinæ Methodicæ Galeni acceptum ferre, vt eruditum Medicum oportet; Ita Paracelſica ſomnia tot verborum falſitatis inuolucris tecta, & tam monſtroſis nominibus variata fugere virum bonum decet. Modo enim illis ſulphur eſt oleum, modo Antimonium, modo aliud, ſed impoſturas iſtas & fraudes, quibus in nominandis ſaltem rebus vtuntur, recenſere longum eſſet, admirari τὰ περιγεγραμμένα ἀσφαλῆ καὶ ἀμφίβολα maxima àmẽtia. Ladanum de quo ſcribis, ἀνώδυνον eſſe remedium, & in ſummis doloribus neceſſario ſæpe adhiberi, ſicut Philonium & ſimilia opiata, non ignoro. Quem morbum curet & vnde indicatio in curatione ſumatur, non ſatis perſpicio. Doceri à te cupio. De tuo vero Oſtrutio, Thielæo, Orionio, quæ refers tenebræ mihi ſunt. De vi magnetica aduerſus Epilepſiam in natiua cinabari, quam minium quidam appellant, valde dubito. Montanum præceptorem meum inter chymiſtas receſeri miror, cum vix rationem aquæ roſaceæ conficiendæ illi perſpectam fuiſſe ex eo cognouerim. Error de libris deſtillationum illius vnde emanarit, iam antea oſtendi, & me vera ſcripſiſſe, omnes diſcipuli Montani ſciunt. Quid multis, cum ratione, non autoritate, eſt pugnandum. Si ſal minerale vt principium rebus omnibus ineſt, in eundem quoq; omnia reſolui neceſſe erit. Sed hæc myſteria de ſale, tãquam huic ſectæ propria, relinquamus. Quæ de epilepſia Ferſius diſputauit non vidi. Vtinam ante vitæ meæ exitum veram diagnoſin huius morbi, atque verum remedium aliquis oſtendat. Eraſtus obſtructionem oppugnauit. Quid ſit morbi, aut quid illa maligna qualitas nondũ declarauit. Sed nimius ſum, & vires infirmas affligo. Aliquot iam menſibus obambulare propter infirmitatem nõ potui. Dolorem pedum nullum, beneficio DEI ſentio. Calculus interdum vehementer excruciat. Nondum Chymiſtæ remedium, quod tuto frangat excogitarunt. Ventriculus meus inprimis laborat, & cor in conſenſum trahit. Vtinam Arragoſius aliquid, quo iuuet, de ſuis arcanis ſubiiceret. Sed aſpectus illius lucis æternæ, verum erit omnium noſtrorum malorum remedium, & immortalis vitæ perfruitio. Te autem oro, dum in his terris DEVS nos vult viuere, vt ſæpe per literas mecum colloqui ſtudeas, meique memoriam amanter tuis etiam literis & libris quos cum genium habeant, victuros ſpero, conſerues. Bene vale. Vratisl. die 19. Ianuarij, ſecundum nouos faſtos. Anno 1585.

Sulphuris malignitas.
Ambra ſulphurea pectoralis.
In chryſopœa caput artis ſulphuris præparatio.
Oleum ſulphuris vix recte præparatur.
Auxiliatur vitiis à Mercurio illatis.
Crato defenſor chymiæ.
Inſania Paracelſica deploranda.
Ladanum Zuingeri.
Minii vis magnetica in epilepſia.
Montanus chymiæ ignarus.
Sal minerale.
Diagnoſis epilepſiæ ignota.

EPIST. CXXXVIII.

IDEM EIDEM.

DE chymicis plane tecum ſentio, veruntamen iis quibus μαλαχθήσεως eſt ignota, magnam cautionem adhibendam puto, dum magna illa medicamenta ægris obtrudunt. DE SVLPHVRE quæ ſcribis ſcio & fateor, cum valde exiccet, atque omnes

Cauto de chymia.
Sulphuris vſus in vlceribus pectoris.

omnes partes corporis penetret, in vlcerib. pectoris ſummam efficacitatem habere, catarrhos etiam exiccare, verum cum inſigni vi diaphoretica præditum ſit, interdum vires plane exhaurire. exemplis edoctus ſum. Poſſem tibi duos Medicos nominare, qui ex illius vſu interierunt. Aliis etiam admodum nocuiſſe animaduerti. Itaque nunquã exhibere, niſi robuſtioribus corporibus, in peſte volui.

Eiuſdem malignitas.

Turpethi vſus.

Turpethum tibi probari, & te φορτικὰ iſta ſcribere atque recte & methodice exhiberi affirmare miror. Nunquam illo vllum corpus feliciter expurgatum vidi, niſi prius vel fumo, vel inunctione Mercuriali corruptum eſſet.

Nepenthe.

De Lavdano vel Nepenthe iam antea meam ſententiam expoſui. Impuris atque crudis corporibus nocere reipſa comperi. Sed, quid agimus de Ladano, cum, an noſtrum Opivm cum veterum congruat, ignoremus?

An noſtrum opium, cũ veterum congruat, dubium.

Pſeudochymicus.

Chymica magnifacio, & pluris fortaſſe, quam illi qui de chymicis plurima minime explorata ſcribunt. Vidi nuper libellum quendam chymicum, ex quo ſi philoſophica tollas, pauca chymica reperies. Proponit ille nobis tres nouos deſtillandi modos. Quis autem qui chymica tractauit, non videt, ineptiſſimum eſſe ſpiritu natiuo propemodum omni è cinnamomo dum aqua elicitur, exhauſto velle ex inſipidis fecibus oleũ deſtillare? & quantum olei ex ſemilibra poterit ſibi polliceri. Credo iſtos homines omnes alios ſtolidos, atque rerum imperitiſſimos exiſtimare. Secundus, quo potabile aurum, quemadmodum loquuntur vulgo, conficere docet, falſus & conuictus eſt. Ac quorſum opus quæſo iſtis putrefactionibus in ſpiritu vini, auro, gemmis, aut quis vnquam vidit ſpiritum vini aurum & gemmas penetrare. Certe quicquid ſpiritus vini penetrat, ex eo ſecum natiuum ſpiritum rapit, & tam diu retinet, donec vi caloris ſeparentur. Hinc apparet, quanto in errore verſentur, qui aquas vitæ, vt appellant, & Elixir per multiplices deſtillationes præparant.

Error in deſtillatione aqua vitæ.

De tertio modo nihil dicam. Verum oleum gummatum rectius appoſitis ſilicibus elicere omnibus eſt exploratiſſimum. De familiaritate medicamentorum ad noſtra corpora, quæ ſcribis, ingenioſe cogitata ſunt. Rectum tamen vſum medicamentorum ſolam propemodum experientiam monſtrare, & eas qualitates, quas guſtu & olfactu percipimus, nullũ eſt dubium. Sed de his plura nunc cogitare vel dictare non poſſum. Præterierã hoc quod de Epilepticorum curatione per Nepenthem ſcripſiſti. Multa, dum hic iaceo, de morbis à flatibus & corruptis vaporibus ortis cogitaui. Ladanum vulgare, Myrrham, ſpermaceti, quod vocant, inſignem vſum habere comperi.

Ladani vulgaris vſus.

In tuo vero Ladano ἐμφασις τῆς ἀναλυθείας nuſquam apparet. Peto igitur à te, vt clariorem facem mihi accendas. Bene vale. Vratislauiæ 8. Maii ſecundum nouos faſtos, Anno 1585.

EPIST. CXXXIX.

Io. Crato a Kraftheim, &c. *Thomæ Iordano Med. S.*

NVdiustertivs cum ad te literas darem, Claudius Bibliopola libellum tuum de morbo, quo multi in balneis veſtris correpti ſunt, ad me miſit.

Morbus in balneo contractus.

Non potui tunc legere, inſpexi ſaltem pauca, & diſplicere mihi magnificum iſtum ornatum oſtendi. Paulum deinceps vacui temporis nactus, totum libellum perlegi, mihique illud quod ſeni in comœdia accidit, vt incertior eſſem quamdudum. Iſta quidem ſententia concludis: Emerſiſſe hoc malum è ſubiecto putri, & vi balnei in alia corpora tranſmiſſum. Verum hoc non explicas. Nec video quid ad iſta faciant tam multa, quę de ſitu vrbis veſtræ, de hominum conditione, & conuictu, de morbis nouis, de erroribus medicantium, de ægrorum temeritate & inſcitia, niſi vt te vel autoritate ea, qua debebas, non eſſe; vel parum officio tuo perfunctũ eſſe oſtenderes. Nam quæ de pharmacopęi coniuge narras, curationem quam in ea inſtituiſti parum habuiſſe firmitatis, res oſtendit. Vnum autem mihi obſeruatione & conſideratione dignũ videtur, quod non alii, quam ii quibus ſanguis per cucurbitulas eſt extractus, infecti ſunt: & quod malum in eo loco vbi cutis vulnerata, & cucurbita affixa fuerat, cœpit, ac vniuerſam maſſam ſanguineam, id quod liuor corporum oſtendit, peruaſit, & neruoſas quoque partes grauiter afflixit.

Crationis de lue Morani ea quadam à quibuſdã appellata hypotheſis.

Huius vero mali cauſas inquirenti, duæ præcipuæ offeruntur, vel ſcabellum infectum, vel putridus vapor qui per vulnus ſubiit, atque ſanguini communicatus eſt. De prima dum inquiro, in memoriam mihi reuocas ea, quæ Diuus Ferdinandus S. M. Imper. de ſucco, non, vti tu ſcribis, napelli, ſed ellebori albi, quo venatores Hiſpani ſagittas inficiunt, & feras, maxime autem ceruos, interficiunt, commemorabat. Ineunte æſtate, inquit, ſuccum ex tota planta exprimi, eumque æſtiuis diebus in ſole præparari, atque in bouino cornu aſſeruari.

Succo ellebori albi ſagittæ inficiuntur.

Cautionem autem ſummam ab iis, qui vti volunt, adhiberi, ne odor qui è cydoneis expirat, hunc ſuccum attingat. Subito enim omnẽ lædendi viam amittere:

Odor è cydoniis ſucco malignitatẽ adimit.

[illegible]

Ceterum ſi lingua deguſtetur, nulli noxium eſſe, ſanguini vero communicatum, exitioſum. Addebat hoc, ſi quis acu ſaltem eo ſucco infecta punctim læderetur, & exiguum vulnus acciperet, paucis horis poſt extingui. Ceruos vulneratos primum quaſi obſtupeſcere & perturbari, ita vt viſus ereptus illis eſſe videatur, circumire in gyrum, concidere deinde, & ſummum intra dimidiæ horæ ſpatium extingui. Carnem innoxiam eſſe, ac tantum eam partem, quæ vulnerata eſt, abiici. Eadem hæc generoſiſſimus Palatii Imperatorii perfectus dominus Adamus Dietrichſteinius commemorauit, &

Hiſtoria 2.

confirmauit, atque hoc addidit: Aſello, cui ex oneribus ferendis dorſum attritum atque ſauciatum fuerat, impoſitum ceruum eo modo, vt dixi, vulneratum & interfectum, ſanguinem qui ex vulnere manabat aſini vulnus forte attigiſſe, atque iſto modo aſellum ſic infectum, & priuſquam impoſitum ceruum domum perferret, in itinere mortuus concideret. Fuiſſe etiam quendam peruerſe & ſcelerate malum, qui dum coniunx *κρεμυλιώτῃ* haberet, pudet dicere quomodo ſuccum iſtum ei admonuit, & mulierem extinxit. Imperatorem Rudolphum II. Auguſtum, vulneraſſe ſagitta cerui tenerum & lacteum cornu, eumque ſtatim fuga, tanquam nullum vulnus accepiſſet, elapſum. Poſt aliquot horas, cum ex venatione redirent, mortuum repertum. La-

Scalpelli infectio.

cteum enim humorem iſtum germanum eſſe ſanguini, Hippocrates nos docuit. Hæc atque his plura dum accurate cogitarem, & quæ ſit venenatæ qualitatis vis conſiderarem, ſane ne ſcalpellum, neſcio etiam eo, qui illo eſt vſus, vel ex homine cui adhibuit, vel ex alia re infectum ſit, ſubuereri in mentem venit. Nam ego aliquot memini, quibus ex ſcarificatione cum ſcalpello impuro, carnes computruerunt & exciderunt. Scio quendam in maximo periculo fuiſſe, cum ei ſcalpello, quo vlcus tonſor aperuerat, vena ſecta eſſet. Nec me mouent iſta, quæ tu affers, vim illam noxiam in infinitum extendi non poſſe, & dum vno ictu abſumi, quicquid impuri adhæſit, arbitraris. Potuit enim cum ab vno infecto ad alium nondum infectũ balnei miniſter tranſiret, & cum infecti etiam, vt eſt in tua narratione, iterum ſibi ſanguinem detrahendum curarent, de nouo quaſi, & iterum atque iterum ferrum inficere, atque ictibus deinceps multos lædere, denique cum obruſo aciem in core vel loro addididit, his inſtrumentis affricare, & deinceps aliis quæ vel acuere, vel mundare voluit ſcalpellis, ſordes communicare, vel etiam rurſus corpora impura & infecta vulnerando, virus iterum contrahere. Nequaquam etiam virulentia illa ſtatim, vt tu arbitraris, abſumitur.

Crato iam eidem auxilia ſua adhibet.

Sed video te fugitiuo velle ſubuenire. Quid autem, ſi hoc modo malum propagatum eſſet, in quis faceres? Inchoanti malum occurrendum cenſerem, & vulneribus illis alexipharmaca, ne vniuerſi corporis maſſæ ſanguineæ malum communicaretur, adhibenda. Primum vero ſtigmatis dolentibus animalium carnes calidas, quibus virus elici poſſet, admouerem. Deinceps vnguentis, quæ impuris vulneribus proſunt, mederer. Vſus ego ad hoc eſſem cardui vel veronicæ ſucco, aut deſtillato. Intra corpus exhibuiſſem, quæ progreſſum virulentæ materiæ prohiberent, & ſeroſis humoribus adiumento eſſent. Ad eam

Lap. Cancrorum.

rem inprimis lapides cancrorum cum aquis betonicæ, agrimoniæ, veronicæ, vel cardui profuiſſent. Purgandum deinceps fuiſſet corpus, primum per ea, quæ vniuerſam maſſam ſanguineam vacuant, deinde per *ἱδρωτικά*. Animaduerto quidem te in eo fuiſſe, ſed tarda auxilia interdum nulla ſunt vel ſucceſſu carent. Verum fac eſſe, in

An à putrido vapore infectio.

ſcalpello nullam fuiſſe noxam. Reſtabit igitur, vt in putridum vaporem cauſam referamus. Sed vnde is exhalauit? E corporibus, dices, infectis & ſeminarium exſpirantibus. Cur igitur ſolos ſcalpello vulneratos inuaſit? Cur primum in loco ſcarificato initium mali? Hic tibi aquam hærere puto. Mihi de analogia humorum & ſpirituum in contagione cogitanti in mentem venit, exſpiraſſe è ſanguine, qui per cucurbitas eiicitur, *μιάσματα*, eaque ſolis vulneratis, & ſanguinem mittentibus inimica fuiſſe, imo per vulneratam cutem primum ſubiiſſe. Fortaſſe etiam contagium cucurbitulis adhærere potuit, cum in mundandis illis perexigua diligentia à balneatoribus adhibeatur. Miram eſſe vim ſanguinis menſtrui & leproſi non ignoras: & cum doctrinam de contagio veteres non tradiderint, nos in noſtra oſcitantia multa ignorare & fugere non eſt dubium. Vehiculum vero contagionis fuiſſe in hoc morbo ſeroſos humores, torpor, faciei pallor & liuor, atque curatio, cum tu ſudore ſolo Polonum ſanatum dicas, indicant. Cur igitur vacuato corpore ad *ἱδρωτικά* non deuentum? Potio illa pharmacopæi non placet. Carduum Indico ligno admiſcere ſatius fuiſſet. Sed de his plura cogitare & ſcribere non vacat. Quam multæ autem ſint, vt Duditii verbo vtar, dubitationis fibræ, puto te ex hac epiſtola, quã, vt vides, ſubito exaraui, videre. Si alii quam ſcarificati infecti eſſent, facilior

con-

contagii eſſet explanatio. Sed ſi ſolos vulneratos ſcalpello, lues iſta attigit, quid reliquũ ſit præter inſtrumentum, vel ſanguinem, à quo inquinamenta exhalarunt, non video. Prædiſpoſita autem corpora & cacochymia oppreſſa grauius affecta non mirum. Veram curationem nullam, tot autem ineptas & pernicioſas te narraſſe, & tempus perdidiſſe doleo. Contagii ratio cum lue venerea nihil habet commune. An ad Gallicum igitur referenda ſit dubito. Ichores vehiculũ fuiſſe contagii & corruptionem totius maſſæ ſanguineæ conſecutam, res oſtendit. Nihil habuiſſe veneni, nec facultatem vitalem læſam, exempla demonſtrant. E tam multis ægris vero nullum tua opera vſum miror. Luem inſpiratione hauſtam, & cucurbita in vnum locum pertractam, ἀποδείξεως inſtar tibi eſſe, facile patior. Mihi nunquam hoc perſuadebis. Bene vale, & reſcribe. Pragæ, è Regia, 7. Martii Anno. 1580.

EPIST. CXL.

IDEM EIDEM

VICESIMATERTIA Ianuarii Ciui Prunenſi ad te literas dedi, Nudius quartus vero tuas accepi, perferente Italo, qui ſe Duci Florentiæ ait ſeruire, ex quibus & D. Baronis morbum & tuam quaſi deſperationem magno cum animi mei dolore cognoui. *Dolor inteſtinorum.* Re uero diligenter cogitata lapidem nequaquam eſſe poſſum exiſtimare. Liber fuit a doloribus tribus fere menſibus, quomodo igitur materia tam craſſa eſſe poſſet? *Calculi per aluum reiecti.* Recurrunt dolores. Quia calor naturalis eſt imbecillus, σκύβαλα duriora etiam in ſanis ſæpe produnt. Ego a Canonico quodam Vratiſlauiẽſi vidi per aluum eiectos plurimos calculos inſtar caſtanearum nucum, verum ſymptomata habebat alia, quam colica & iliaca, & multis deinceps annis vixit. Recte feciſti quod exhibuiſti apozema, nec abs re fuiſſet addere oxymel Geſneri cum Helleboro. Sed prius optime humectanda ſunt inteſtina decocto fœnugræci cum helenii radice & butyro vel oleo, item cum ſaturegia. Verum hæc atque alia multa fortaſſe prius ſcripſi. Inſeſſus in oleo haud dubie plurimum quoque adiumẽti afferret. Bene ego ſpero, cum tot diebus prius malum remiſerit. Itaque D Baronem iubebis eſſe bono animo. Nam illius mœſtitia nihil morbo adimet, plurimum autem de viribus detrahet, & ἀνορεξίαν augebit. Si poſſet impetrari à Cæſare libenter aduenirem; verum ſi quid conceſſerit, vix erunt decem dies. Non mirum ſi ſit languidior & animo abiectiore. Sed ſpero fore melius cum hic dies ſit decimus, ex quo epiſtolam ſcripſiſti. Opto ex animo, & quantum in me erit, omnia fidiſſimi & amãtiſſimi hominis officia exequar. Vale.

POST SCRIPTVM.

Interdum iniiciatur clyſter ex decocto ficuum, radice ireos & ruta cum oleo liliorũ alborum. Contundantur & vrantur in ſartagine iuglandes & vmbilico imponantur; vacuetur ſi opus erit catapotiis: oleum in quo colocynthis decoquatur, recte etiam vmbilico imponitur, & admiſceri poteſt zibethum. Spinæ dorſi diligenter prouidendum. Scis grauiſſimos dolores ſedari impoſita aqua frigida, ſed non tutum eſt, & ſequuntur paralyſes graues. Vnde vt obſtructiones auferantur, plurimum poteſt calamus aromaticus, ſed calori præternaturali quoque conſulendum. Iterum vale.

EPIST. CXLI.

IDEM EIDEM.

COENANTI heri peruesperi mihi tuæ literæ ſunt redditæ, quæ ſomnum ademerunt. Multa enim ſollicite cogitaui, non modo propter afflictam valetudinem Generoſi Domini, ſed quod te animo perculſo, ac quaſi abiecto eſſe video. Nullum vitæ genus eſt, quod non præmatur atq; opprimatur multiplicibus curis, & qui ſemper fortunatus, monſtri ſimilis. Ex recta autem conſcientia ſemper in aduerſis maxima petenda eſt conſolatio, verum de his ſatis. Catapotia non potuiſſe multum educere per aluum ipſe optime ſciui; oxymellitis vſum nõ improbo. *Colici cura. Coniunctio lunæ non impedit remedia.* Coniunctionem lunæ vereri non debebas, cum vrgerent dolores. Rarum vſum Enematum eſſe volui, non omnino nullum, cum laborantibus inteſtinis dolore, nihil iis poſſit fieri melius. Manna flatulenta eſt, eam nõ probo in colicis; ſed factum nequit infectum fieri. *Manna flatulenta.* Melius fuiſſet factum, ſi electuarium Epiſcopi dediſſet. Sed tamen paulo efficaciora enemata ingentibus doloribus magis probo, vt ex hiera cum decocto chamomeli, florum ſambuci, radice ireos, &c. Lixiuium etiam cum oleo oliuæ per clyſterem recte iniicitur. Oleo lumbricorũ addas, & ſpinam dorſi inungas. Nam vermes terreſtres plurimũ conferunt ad ſedandos dolores & roborandos neruos. *Vermes terreſtres neruos roborãt.* Accipiatur etiam Galbanũ, & imponatur quintæ eſſentiæ, vel vino optimo deſtillato & imbuatur hoc vino caſtoreum atq; colocynthis atque vmbilico imponatur. *Deſtillatum Galbani.* Fomẽtetur totus

venter lacte caprino vel vaccino cum melle cocto. Ius Galli decrepiti cum polypodio & carthamo etiam recte per clyſterem iniicitur. Intra corpus ad ſedandos dolores des Theriacæ ʒß. extracti calami aromatici ℈ß. Apponas ventri emplaſtrum, quod mitto, ex matricaria & meliloto. Extendatur ad ventris magnitudinem. Per ſuperiora des ſyrupum, ſi non ſedatus eſt dolor. Deſcriptio iſta eſt:

Syrupus dolorum inteſtin. ſedans.

℞. Summit. abſinthii pontici.
Camomill. a. p. j.
Thuris albiſs. ʒj.
Decoq. in ſ q. aquæ puræ.
Colaturæ ℞. gr. iiij.
Syrup. de ſucco chamomel.
ve Matricariæ ℥ß. Miſc.

Habes hic duas doſes. Ego maximos inteſtinorum & ventriculi dolores iſto ſyrupo ſedaui. Vbi conquieuerint dolores, tum poterimus de medicamentis purgantib. cogitare. Non ſemper purgandum laborantibus inteſtinis, etiamſi aluus ſit aſtricta. Maluaticum etiam cum oleo oliuarum, & ἀλὸς. ἄνθ☉. ℈ij. vel ʒj. per clyſterem iniici poteſt. Quæſo ne des mannam, rhabarbarum, vel ſenam, præſertim in potionibus, niſi prius bene roboratis inteſtinis. Mitto alia catapotia, quæ vt arbitror, melius ſubducent. Dabis primo ℈ij. deinde ad drachmam peruenies. Lubrica vbi facta fuerit aluus, vnus ſcrupulus ſufficiet. Deſcriptio non erat ad manus, ſed ego pillulas de ladano appello. Educunt pituitoſum humorem & bilem. Si eſſem mei iuris, ſtatim ad Generoſum Dominum aduolarem, ſed noſti mea vincula. Tum vxor heri primum lecto ſurrexit & menſæ aſſedit. Satis habes remediorum. Omnia perſcribere non poſſum, ſed prudentiæ commendo. Meum ſummum gratificandi ſtudium Generoſo Domino veriſſimum declarabo; viribus vt ratione victus conſulatur neceſſe eſt, ſi febris non adeſt, ex maluatico, vitellis oui, addita parum aquæ roſaceæ, pulu. cinnamomi & ſacchari fiat quaſi pulmentum. Poſſunt & alia excogitari, quæ palatui ſint grata. Bene vale. Poſonii 16. Octob.

Purgantium cautela.

Pilulæ de Ladano.

Virium reſectio.

Pillularum de Ladano quarum in hiſce literis mentio fit; hæc eſt deſcriptio:

℞. Ladani puriſſimi ℥ß.
Trochiſc. alhandal ʒ iij.
Maſtic. ʒj.

Maſtix & Ladanum ſupra carbones in mortario calefiant, & diſſoluantur; deinde Trochiſci cum Electuarii de ſucco roſarum ℥ß. incorporentur, & add. parum ſyr. roſac. ſolutiui f. maſſa.

EPIST. CXLII.

IDEM EIDEM.

SPERO te recte & literas & equos meos accepiſſe. De radice Mechoaca, quæ ſic dicitur ab inſula, 1524. à Ferrando Corteſio reperta, & à Monacho Franciſcano, qui in ea cœnobium habet, inuenta eſt, libellus extat Hiſpanus Nicolai de Monardis. Ducit aquoſitates ad duas drachmas exhibita. Genus eſt volubilis, & omnino ſpecies bryoniç videtur. Nam refert quodammodo radicem eius. Vidi apud D. Kiuenhillerum, & habeo Viennæ. Guſtaui, admodum nauſeabunda eſt viſa. Scripſit quoque de ea quidam Italus Marcellus Dunatus, ſed venio ad ægrum tuum. Etiamſi abſceſſus aliquis frigidus eſſet in inteſtinis, tamen illa remedia eſſent recta, quæ monui. Maxime decoctum fœnugræci cum ſaturegia & butyro addito croco. Heleniï vſum valde commẽdant practici, & electuarii de baccis lauri. Polypodii decoctum in iure galli decr. Interim diligenter ad viſcerũ obſtructionem videndum. Nam inappetentia illa & faſtidium cibi, item vrinæ craſſæ plerumq; eam demonſtrant. Quum tam diu duret malum, non tantum ad pituitam, ſed etiam melancholicum homorem reſpiciendum. Ad eum plurimum decoctum iuris galli decrepiti faceret. Ideo apozema ex iſto iure dabis. Significabis mihi an data ſit terebinthina, ſi non eſt data Cypriam à vidua Hoffſteteriana petas, & ſcribam quomodo ſit præparanda. Bene vale.

Mechoaca.

Abſceſſus frigidus inteſtin.

Obſtruct. viſcerum.

Melancholicus humor.

Terebinthina.

EPIST. CXLIII.

IDEM EIDEM.

MOno accepi literarum faſciculum, qui à vobis Vratiſlauiam eſt miſſus. Quid vero aliud reſcribam, quam me facturum Generoſi Baronis cauſa quç poſſum omnia? Non neceſſe eſt orare. Reiteretur clyſter. Practici nouem vncias vetant excedere nos debere. Ad libram vnam tuto olea damus, & aliquid medullæ addimus. Verum ea in frigidis inteſtinis concreſcit. Memini me deſtillatum è Galbano D. Marſchallero adhibere, ſed alia fuit cauſa. Potius ad vmbilicum cum lana xylina applicarem. Olei ſpicæ, olei nucis muſcatæ an. ʒß. caſtorei pinguedinis ℈j. ſpiritus vini optimi deſtillati ℈ß. *μαρδουαν* illa in crure cõſequũtur humores corruptos, & dum gingiuæ atq; fauces laborare incipiunt, morb. ille eſt, quem ſcorbutum quidam appellant. Proinde an aliquid mali in ore ſit videas. Vinum nauſeat,

Doſis clyſteru.

Inuncti.

neque

neq; etiam conuenit. A ſero lactis quod maxime conueniens eſt, abhorret. Parum in aqua coquatur zinziberis, & dum feruet in nodolo, vt vocant, imponatur cinnamomi. Hæc vt vides, reſcripſi ſubito, ἀλλ᾽ ἀνθ⟨ρώπου⟩ poteſt cum butyro in cereuiſia exhiberi, ſiquidem oleum Generoſus Baro nauſeat. Me generoſiſſimo Baroni commendabis diligentiſſime. De thermis poſtea agemus. Bene vale. Pragæ die 3. Martii Anno 70.

EPIST. CXLIV.

IDEM EIDEM.

CREDE mihi, mi Iordane, non mea voluntate, ſed neceſſitate quadã huc pertractum Henricum. Cur autem huc potius potius iter conuerterim, quam Poſonium, me valetudo mea monuit. Generoſo Baroni plurimum profuturum emplaſtrum ex radice altheæ cum butyro ventri inferiori adhibitum. Rationem ipſe intelligis. Vbi in Carolo febris nimium eſt ardens, fiant duo ſacculi ex farina hordei ad magnitudinem dorſi, & apponatur vnus toti dorſo, vbi incaleſcit, exponatur aeri, & alter applicetur. *Fomentum in febri ardenti.* Vermicularis etiam cum aceto & farina hordei contuſa atque dextro hypochondrio adhibita plurimum prodeſt. Experto crede. Iuſſi hic vermicularem inquiri. De alterius ægri curatione hæc mea eſt ſententia: Nihil ages, ſi ad ventriculi curationem ſolam reſpicies. Hydrops eſt præ foribus & epar corruptum. Sæpe appetitus cibi & potus ceſſat non tam ventriculo, quam epate laborante. Aqua cinnamomi, vitæ, &c. non vtaris. *Hydropis præſeruatio.* Des potus ſerum lactis cum cinnamomo & pipere infuſo. Oxymel nihil proderit. Elleboratũ nocebit. Maſtiche in vino minus. Caue ab oleo maſtichino iotra corpus. Nondum eſt tempeſtiuum, vt extracto calami vtatur. Pillulæ de tribus prodeſſent, ſed cum nequeat deglutire alia ineunda ratio. Decoctum calami cum vino rubro hic non habet locum. Quia vides, ſi hydrops non ſuperuenerit, hypochondriacæ paſſionis principia. Itaque neque oleum aniſi, aut ſimilia valde calida darem. Apage cum oleo Iuniperi & Naphthæ, ouum ſorbile cum Thure cararrhoſis prodeſt. In hoc caſu quid prodeſſe poſſit non video. Vnguentis foris recte vteris. Trochiſci de abſinthio & aperitiua quæ abſque manifeſta & multa calefactione exiccant plurimum proderunt. Bene vale. Mea tuam ſalutat. Credo bene omnia hoc difficilimo tempore tibi videri difficilia. Si in aula eſſes, aliud ſentires. Nobis non modo ſingulis annis, verum ſingulis horis mea familia conſtituenda. Viennæ 11. April. Anno 70.

EPIST. CXLV.

IDEM EIDEM.

HERI accepi tuas prid. Kal. Martii datas neſcio quo perſereote literas. Nullum vitæ genus maximis moleſtiis vacat, nec quicquam fortunatum ſine DEO. Itaque miror, cum ſcias Medicos ferendis miſeriis quaſi deſtinatos, te tibi in hoc vitæ genere ſuauia imaginari. *Miſeria medica.* Ego ex Theologicis maxime remedium ærumnarum in hac mea conditione capio. Sum autem admodum æger, & valetudinem meam vix ſuſtento. Itaque, D. Baronis & mea etiam cauſa, vt defatigationes ſaltem quotidianæ mihi minuantur, velim te hic eſſe. Ac cum eruperint variolæ, iam, niſi noua ſuccedant ſymptomata, naturæ cætera poteris permittere. *Variola cum fluxu alui.* Quando natura duos contrarios motus in corporibus inſtituit, videndum qui maxime ad vires ſuſtinendas faciat. Sic fluor alui in variolis non quidem comprimendus. Mitigandus autem iis quæ malignitatem humorum cõtemperant, & ad ſuperficiem corporis materiam pellant. Nihil hic raſura, ſeu puluere de cornu cerui, item margaritis cum auro conuenientius. Vbi pectus obſidet materia, decoctum raparum cum ficubus detur, vel decoctum lentium cum ficubus, vbi nimirum eſt humorum ebollitio. Ego in iſto caſu lapidi Bezoar non multum tribuo. Neſcis quam meus filius fuerit æger. In pueris vbi expulſiua virtus fortis, & mulieribus, in quibus natura ſui conſeruationem quaſi tuetur, non tamen deſperandum. *Bezoartico lapidi parũ Crato tribuit.* Gulielmo oleum matricariæ, quod fit ex multiplici infuſione florum, ſicut camomeli cum ipſis floribus vmbilico imponerem. *Ol. matricariæ.* Poteris deinde vti emplaſtro ex meliloto, ſed ne nimis incaleſcant viſcera, inungerem ſpinam dorſi oleo nenupharino recenti cum lacte & folium nenupharinum renib. applicarem. *Inunctio ſpinæ.* Sacculus autẽ ex furfure tritici dorſo. Quid præterea ſit faciendum non video. Ad ſoluendam aluum recte exhibebis meos orbiculos ex rhabarbaro, cum ſyr. de cichoreo cum rhabarbaro. Solos orbiculos abſque ſyrupo nolim. Superbibat aquam cuſcutæ vel agrimoniæ. Vale. Pragæ 7. Maii Ao. 71.

EPIST. CXLVI.

IDEM EIDEM.

IAM ſupra horam literæ meæ expectabant tabellarium, nam reuerſus demum

eas in menſa reperi. De vacuatione nihil ſcripſi. Quia re purgaſſe & ſanguinem miſiſſe indicas. Factum recte. Nam Galenus in libro de humoribus recte præcipit: Tenues & ſeroſos humores initio euacuas; In craſſis coctionem expectes. Reddit autem Oribaſius rationem, ne ſuperueniente febre acriores fiant. Scis autem Hippocratem 6. Epidemiorum malignas appellare tenues deſtillationes. In quibus de ſententia Galeni tempus non eſt terendum in lenibus remedijs. Nihil igitur alephanginæ, decoctum rapatum & ſimilia. Eſt periculum ne decumbant in principale membrum & ſuffocent. Neceſſe igitur eſt ſtatim & potenter reuellere atque intercipere. Gulielmo ſpero & opto iam bene eſſe D. Baronis edacitatem valde vereor. Tam auide ingerit cibum. Sed monui atque interdixi ſatis. Nihil poſſum facere amplius. Tumor pedum cum diſcederemus, exiguus vel nullus erat. Ille valde hilaris, ſed valetudo filiolæ ipſum deinde perturbauit. De balneo in formicis, ſeu, vt appellant, ouis formicarum, res omnibus vetulis in Sileſia nota. Et vtuntur etiam mulieres ad impræg nationem. Exiccat multum, ſi lubenter vtitur in ſeſſionib. non poterit nocere. Neſcio an de Begelianæ remedio ex floribus prunelli reſcripſerim. Ego aquam maluæ è papauere ſyluestri, & cardui longe prætulerim. non contemnendæ ſunt aquæ deſtillatæ, ſi probe diſtellentur. Miror quid de oleo vitrioli fiat. Certe bene præparatum multum ad maximas putredines inhibendas facit, ſed ſiccioribus corporibus caute propinandum. In humoribus nihil prorſus periculi. Dolores in paroxiſmo Gulielmi non poſſunt ab alia re, quam à flatibus oriri. Materia pituitoſa eſt impacta, ea à calore febrili, ſcilicet præternaturali flatuatur, & efferueſcit quaſi; inde tormina. Itaque vt pituita iſta educatur opera danda. Videndus autem locus affectus, vtrum per clyſteria, vel per ſuperius aſſumpta poſſit educi. Niſi bene præparetur prius, nihil ages. Oxymellite meo cum cinnamomo, cui imponas calamentũ noſtrum quod Matthioli eſt clinopodium. Extenuantur facile puerorum corpora, & cum calor innatus ad ſuam redit temperiem vires ſumunt. Sed de his ſatis. Bene ac felicer vale. 10. Maii. An. 71.

De balneo formicarum

Ol. vitrioli in ſiccis cautio.

EPIST. CXLVII.

IDEM EIDEM.

ENECOR curis & curationibus aulicis. At qui mea opera vtuntur, ſibi etiam aliquid pro iſta benignitate deberi exiſtimant. Itaque vix pauca poſſum reſcribere tuis literis. De Gulielmo habes omnia. Succedet vt ſpero res ex ſententia. Dominæ curationem, licet ſiccum ſit corpus, in aloe roſata poſuerim. Sed non fiat communi modo. Verum iſta Aloes decies ſucco roſarum imbuatur, ad duas drachmas aloes addatur vna myrrhæ ſumat ℈ j. ante cœnam, vbi aluus fuerit fluida, tandem ad mouendam vnica pillula ſatis erit. Non eſt quod ſiccitatem aloes verearis, valde matrici quoque & ſpleni conferet, ſi voles poteris medicam drachmam bdellii admiſcere. Non arbitror eam colicis doloribus infeſtari, & præſeruabit vſus iſtarum pillularum. Mitterem radices chamæleontis, ſed nullam amplius reperio. Modo non ſit humida, crederem in ſicca alia etiam iſtas eſſe vires. Sed iam radices minime eſſe bonas, & profudiſſe quicquid ineſt virium non ignoras. Non poſſum plura ſcribere. Vale, Pragæ 16. Maii. Anno 71.

Aloe roſata.

EPIST. CXLVIII.

IDEM EIDEM.

VESTER dolor meus eſt dolor, & cum tuas literas lego, optimi pueri cruciatus videre mihi videor. Quid agam? Heri oportuit mihi exire ad N. N. qui recidiuam patitur. Mutatione aeris ſperauit ſibi fore melius, & in poſſeſſionem ſuburbanam diſceſſit. Verum deterius multo foris, quam in vrbe valet, & me defatigat. Et heſterna vectione ita meum malum eſt auctum, vt necdum dolor deſinat. Quem obſecro languorem largius iter atrulíſſet? Miror tot & tantis remediis nihil mittigari grauiſſimos dolores pueri. In exhibitione myrrhæ ſpem bonam habeo, præſertim ſi adſunt vermes. De exhibitione lactis varia cogito; ſed vtile eſſet coqui flores ſambuci & lacti loco enematis iniici. Tanacetũ valde graue eſt medicamentum. Iumentis datur, quando ſuſpicio eſt vermium. Miror te non ſignificare, quo loco præcipue dolor, & quo tempore dolores magis augeantur. Scis vt arbitror remedium, quo etiam veteres vſos legimus, qui in grauiſſimis doloribus frigidam adhibebant. Memini cum quidam dolorib. cholicis oppreſſus iaceret, D. Iulium ad frigidam tamquam ſacram anchoram confugere. Linteamina triplicata madefaciebat frigidiſſima aqua & ventri apponebat. Sedabãtur dolores, ſed iſte poſtea paralyticus eſt factus. At paralyſis in puero facile poſſet curari. Scripſi nuper ſatis tuta remedia. Neque dubito

Vermes

bito quin iam ſint adhibita. Recta facias, nec cures ſermones, vel admittas nebulones imperitos. Si tantum eſſet olei calidi, vellem eum imponi. Sin minus, rectè illud, vt appellant vulgo, oleo incoquatur & apponatur. Adeps anſerinus certè bonus eſt, & vellem in iſto remedio vos perſeueraſſe. Sed pannus non placet, lanam ſuccidam eo imbuiſſem. A page ſis cum plantagine. Oleum aniſi nihil valet. Ego vidi datum puero, in quo ſudor diaphoreticus conſequebatur, & ad extremam debilitatem puerum adduxit. Facias quæ poteris. Cætera cõmittas Deo, & me excuſes diligenter. Obſecro vt de ſucceſſu curæ ſtatim ſcribas. Bene vale. Die 25. Maij. Anno 1571.

Adeps anſerinus.

EPIST. CXLIX.

IDEM EIDEM.

MIROR cur me eo voces, in iſta itineris difficultate, & cum ſcias mihi ad circumitiones non concedi tempus. Meus filius heri correptus eſt febri. Arbitror tertianam fore. Ego cruditate & laſſitudine moleſtor. De ægro tuo quid ſcribam? Satis mihi hic eſt moleſtiarum. Videndum quid ex purgato corpore per agaricum ſit futurum. Hypochondria dura & tenſa eſſe minime bonũ. Ego inunctionibus ſolis ex oleo chamomelino vterer, vel parum anethini & abſinthii adderem. Si ex vſu agarici ſe meliuſcule haberet, repeterem. Non debebas ſtatim in principio illa, quæ ſumma ſunt in obſtructionibus tollendis, vt cuſcuta, exhibere. Incidentibus & detergentibus primo fuerat vtendum. Oxymellitis ſimplicis vſus tutiſſimus; deinceps radicum; poſt purgãda materiã, & ad aquam cuſcutæ, ſi cætera parum iuuent, deueniendum. Puluis arantiorum cum zedoaria nimis eſt calidus. Nec conſequitur, ructus adſunt, ergo calida adbibenda. Velim igitur temperatis corroborari ventriculum, & ſpeciebus aromatici roſati aliquid galangæ addere, atq; conſeruam roſarum vel cichorij miſcere. Sed de his videbis. Fluor albarum humiditatũ ſiue rheumat ſinus vteri quod ego ſuſpicor, ſiue gonorrhœa ſit, nihil admodum proficietis ſarſa pariglia. Aſtringendum autem fluxum non eſſe, ſed cum materia ad vterum feratur, cruditates, & corruptionis humoris pituitoſi cauſas cauendas. Vſus aloës roſatæ cum decocto maſtichis magis Nobili fœminæ proderit, quàm ſarſa pariglia, & quicquid eſt eiuſmodi medicamentorum. Bene vale. Viennæ 7. Septembr. Anno 1571.

Hypochond. dura & tenſa.

Corroborãtia ventriculum.

Fluxus albus.

EPIST. CL.

IDEM EIDEM.

CVM tu curationem nolis aggredi, cur ad me ablegas? Præſcripſi tamen conſilia, & Dominum admonui, vt generoſam Coniugem hortetur, quo nobis obtemperet. Si per conſenſum à ventriculo facta eſt iſta conuulſio, proderunt hæc medicamenta; ſi à matrice, alia ineunda eſſet ratio. Nihil autem conuenientius vſu agarici, deinde Theriaca, & Thermis. Etiam peſſario ex mithridate, &c. Addidi ad tua catapotia ex aloë roſata & myrrha atque ſuccino, quæ maxime ventriculum & matricem iuuant, & ſyrupum de ſucco cardui cum extracto calami aromatici, quæ mirifice prodeſſe Epilepticis cognoui. Iuuant etiam ventriculum & pectus. Habes & alia ad pectoris affectionem quæ tuſſim excitat. Nolim illam vti ſena & ſimilibus nugis: coniunx mea interdum articulorum doloribus afficitur: iis oppreſſos iacere præſtantiſſimos noſtros Barones ex animo doleo. Profecto quantum ego longa obſeruatione & vſu didici, nihil ſudoriferis medicamentis, & continuo limaturæ cornu ceruini in potu infuſæ, conuenientius. Vtinam hoc medicamentum veſtri non negligerent. Monuiſſe enim me de eo arbitror. Quæ ſit cauſa cur tam immaniter hic morbus veſtros tractet, velim te conſiderare, & ad me, ſiquidem in viuis fuero, perſcribere. Lignum ſarſafras parum prodeſſe, ac ſæua quædam ſymptomata in multis concitaſſe cognoui. Proinde quid conſilij de eodem non habeo. Rectam victus rationem, tutiſſimam medicinam cum Hippocrate ſtatuo: Eam ſi non perſuademus, actum agimus. Plura alias. Hoc tempore enim ita eram infirmus, vt vix laborem proferendæ vocis ferrem, tam inclementer atq; atrociter τῆς καρδίας πάλμος, in quauis vel animi, vel corporis leui commotiuncula me infeſtat. DEO itaq; me conformat, ex animo precor. Mi Iordane non modo te amo, verum ab omnibus, qui me amant, te quoq; amari exopto. Quam vero dubius & fallax amor quorundam, in extrema mea ætate ſentio. Bene vale. Vratislauiæ die 4. Febr. Anno 1583.

Conuulſio Epilept.

Syr. de ſuc. cardui.

Limatura cornu ceruini.

Sarſafras noxa.

EPIST. CLI.

IDEM EIDEM.

HODIERNO die in Kalendario Romano aſcriptum eſt nomen Cratonis martyris, quem ſub Claudio Impera-

tore cruciatum pertuliſſe affirmant, ego me Martyribus non annumero, ſed ad diuturnum meum morbum, quo plane confectus iaceo, duo acceſſerunt mala, quæ tormenti vim habere Medici cenſent. Nudius tertius enim materia ad dentes defluxit, atque ingentes dolores concitauit, deinde auribus communicata omnia grauiora fuerunt, præſertim cum febris iſtas fluxiones comitetur, ea ne dum ſum liber. Itaq; etſi laborem proferendæ vocis vix ferrem: tamen literis tuis 5. Febr. datis perſoluendum eſt. De ligno ſarſafras ſignificaui id quod eſt veriſſimum, me nunquam eo vſum eſſe, nec videre quo pacto Inueteratarum morbum articularem curare poſſit. Fateor huius morbi præcipuam cauſam eſſe, ſeroſum humorem in corpore ſupra modum auctum, & certo modo, ſiue putredine, ſiue alio corruptum. Is facit vt craſſi & crudi humores ſint fluxibiles, & ad articulos deferantur. In quibus & ipſe inflammationis atque doloris autor eſt. Indicio nobis illud eſſe poteſt, quod ij, qui frequenter ſudant, vel copioſe vrinam emittunt, ab hoc morbo tuti ſunt. Simulac vero ſudor, vel vrina ſupprimuntur, malum præ foribus ſit. Itaque ſi, quod de ligno iſto affirmant, potenter illud vrinam educit, ac ſudores mouet, conſequens eſt magnopere iuuare poſſe. Cæterum cum calor natiuus in membris diuturnitate morbi exhauſtus eſt, & natura paulatim atq; continuo ad articulos humores deponere conſueuit, ſane non video, quid adiumenti afferre poſſit: ſed cum laudatores huius ligni affirment, coctiones omnes & maxime ventriculi illius vſum iuuare, caput roborare, cum etiam ſubducendo ichores, humores craſſiores & quaſi firmiores reddere neceſſe ſit, non obſto quin Illuſtris Dominus eo vtatur, modo rectam & exactam victus rationem teneat. Qui in his regionibus vſi ſunt, eos intemperantes eſſe conſtat. Proinde nihil mirum ſi non ſint adiuti. Ego me eo vſum non eſſe oſtendi, neq; libenter ignotis & peregrinis medicamentis vti ſolere ſæpe teſtatus ſum. Minime vero pertinaciter meam ſententiam tueor, ſed libenter rationibus cedo, & Illuſtribus Baronibus veſtris prodeſſe opto. Meam ſententiam de peſte ad D. Ioachimum Camerarium perſcripſi. Vera veris conſentiunt. Aliorum opiniones mihi non ſunt ignotæ, cum ſupra quadraginta annos de his cogitauerim. Febris non eſt genus peſtis. Quia neque morbus, neque cauſa, ergo ſymptoma: neque curationem ad febrem dirigimus, ſed vt per ſpirationem attracta peſtis ſeminaria, diaphoreſi expellantur, & cor aduerſus venenatam eius qualitatem muniatur & iuuetur. Miſſio ſanguinis, purgationes ex accidenti adhibentur. Miror te tot verborum facere de impoſtoribus ſceleratis. Nullum vidi, nec noui, neque vllius opera in chymicis ab hinc triginta annis vſus ſum. Poliatrum noſtrum Woiſelinum ſeniorem detrectaſſe colloquium, cum chymicorum ſit peritiſſimus, non mihi ſit veriſimile. Ac ſi fecit, indignos iſtos cauponantes & venditantes ſuas artes, cum quibus ſine ratione ageret, putauit. Ac cum ſuæ imperitiæ alia habeant, quam veri Medici, principia, demens eſſet, qui velit cum illis in contentionem venire. Tenent autem audaciſſimi homines illud: Eum qui verecundiæ fines ſemel tranſgreſſus eſt, hunc grauiter oportere eſſe impudentem. Hinc ante annos aliquot eiectos eſſe intelligo. In aulis reperire ſuos patronos nihil mirum. Baronem noſtrum ita duriter affictari doleo, & ei auxilium diuinum opto. Non poteram dictare plura. Bene vale. Vratislauiæ 15. Februarij. Anno 1573.

Sarſafras.

Arthritis.

Peſtis.

Woiſelinus chymicus.

EPIST. CLII.

IDEM EIDEM.

ACcepi à te tres epiſtolas, quibus 4. 8. & 10. dies Febr. eſt aſcriptus. Illas quas ex Zenekonis arce te miſiſſe ſcribis non vidi. Quæ de Baronis valetudine, credo te nō egere conſilio. Ad Baronem vero ſcripſeram me de morbo certum eſſe cupere, eum, eſſetne Arthritis, & te & illum dubitare animaduerterem. Nunc cum certo ſcias, noſti quæ curationis atq; præcautionis via ſit. Miror adhibere Baronem ineptum anabaptiſtam. Quid ſtultius quam in principio vti calidis. Quid ad augendum malum accommodatius, quam vel venæ ſectionem, vel cucurbitulas ad locum affectum trahere. Scio quoſdam exiſtimaſſe ſe iuuamentum ſenſiſſe, ſi aliquoties in anno, non tamen doloribus affecti, venam ſecarent in pede, vel cucurbitulas adhiberent: verum quam facti ſint miſeri, memini. Imuum venam ſecare in brachio rectiſſimum eſt, ſed tamen ſi ſæpe redeat malum propter intempeſtiuam, minime rectum. Medulla ceruina recte adhibetur ad præcautionem cum ſale, vt roboretur pars. Doloribus ingentibus non video quid prodeſſe poſſit. A ligni decocto quæſo abſtineas. Thermas nō improbarem, ſi ſcirem quibus vti velit. Commendantur Carolinæ. Ego in recta victus ratione & abſtinentia; hīc lotionibus capitis & ſudoribus totam rationē præcautionis poſitam exiſtimo. Su-

Vene ſectio & cucurbitula intempeſtiua.

Præcautio vera podagræ.

mo. Sudores neq; cardui ſucco,neq; veronicæ elicebis. Alia ineunda eſt ratio. De qua aliis literis. Nam nunc perpauca ſcribere mihi concedebatur. Expedienda erat D. Ludomilla,cuius venter & pedes detumuerunt. Epar nondum, vt velim ſe habet, ſed quantum poſſumus. Vale. Viennæ,16.Febr. Anno 1574.

EPIST. CLIII.

IDEM EIDEM.

TVAS literas perferente Godofrido accepi. A pueris illius curam habui. Nunc etiam me exercet. Venit & Baro præter meam opinionem. Is,cum domo non exeam,in meis quoq; eſt ædibus. Eſt cõfluxus pituitoſi humoris ad ventriculum,& poſt in flatus conuertitur. Paucis hic diebus hærebit,rurſus ad vos rediturus. Me nihil propemodum in omni vita delectat, & tædet rerum omnium. Caroli ſanitas me angit,oportet corpus bene nutrire. Mane lauare ex aqua dulci cum lecto ſurgit. Deinceps deſtillaro ex epate vitulino extenſo corpore fricari. In loco affecto & reliquum corpus poteſt oleo amygdalarum dulcium recenti fricari. Non poterit magis incuruari,quam ſingulis diebus frictione tollatur. Ligaturæ comprimunt, & membris ſpiritalibus nocent. Sed ex tela aliquid facere quod contineat,illud rectum. Nolo te hanc curam Anabaptiſtæ committere. Scribam breui plura, nunc non poteram. Bene Vale. 4. Iunij, Anno 1574.

Ligatura.

EPIST. CLIV.

IDEM EIDEM.

QVID ad te ſcribam, cum nihil reſpondeas? Et quid mihi ſit animi exiſtimare potes. Me abſente (vndecim diebus Eberſdorffij mihi apud Cæſarem fuit hærendum) coniunx in dyſenteriam ſæuam incidit. Hic dies ſeptimus eſt, à quo laborare cœpit. Nulla vel exigua indicia remittentis morbi. Vires autem valde debiles propter febrem, teneſmum,& alia ſymptomata. Itaq; propemodum meus animus à ſpe bona aberrat: valetudo etiam Cæſaris non ſatis firma. Et aliis moleſtiis oneror. Vix me ſuſtento. Miror Baronem,cum quam ſit audax & temerarius N. N. ſuo malo didicerit, ei ſalutem coniugis credere. Maximæ haud dubie ſunt obſtructiones in meſenterio, & fomentis nihil agitur. Fiat igitur clyſter primum ex ſolo decocto veronicæ cum multo oleo & ſacchato: deinceps huic addatur ſuccus cęparum coctarum cum oleo. Foris applicentur folia perſici cum oleo chamomelino cocta. Fiat deinceps clyſter ex vini maluatici ℥ x. olei amygdal. dulcium ℥ iiij. pul. ireo ℥ ß. ſucci rutæ ʒ ß. ebulliant & colentur. Poſſũt & baccæ lauri,vel electuariũ ex baccis lauri addi. Electuario ex baccis lauri inungatur venter; vel oleo laurino. Per ſuperna vt aliquid adhibeatur non poſſum ſuadere. Niſi velit ius Galli decrepiti cum polypodio & carthamo cocti. Vides? me quæ cupis ex animo communicare. Vellem cum conſilium à me petis te medicamenta, quibus ſis vſus, quæ iuuerint, quæ parum profuerint,perſcribere. Nam ita rectius meam ſententiam exponere poſſem. Nolui diutius tabellarium detinere. Bene vale. 23. Septemb. Anno 1574.

Obſtruct. meſenterii.

EPIST. CLV.

IDEM EIDEM.

EAS literas, quas 8. Maij de valetudinē Dn. Berckes ſcripſiſti, hac hora accepi. Iubeor reſpondere,cum ſim diſtentiſſimus, non modo valetudine Imperatoris, verumetiam aliorum. Tum & mea minime bona eſt. Si catarrhus tenuis, vt ego ex iis, quæ ſcribis, coniicio, vides generalem ſcopum. Si materia mixta,indicationes ſunt miſcendæ. In tenui materia nihil,præſertim cum ſuffocat,pillulis illis de cynogloſſa conuenientius. Fiunt de ℈j. pillulæ nouem, dantur tres horæ decubitus. Deinde vtilis bolus cũ ſyrupo de papauere, præſertim cum materia ſalſa in ſenibus,vel des lambendam gelatinam ex aqua violarũ cum puluere dragacanthi. Si mixta materia,diacodiũ Montani maxime prodeſt. Vſus veronicæ in materia craſſa, & quæ pulmones obſidet, præcipue valet. In tenui & ſalſo catarrho nolim adhibere. Diuerſiones autem fiant per frictiones, ligaturas, cucurbitas,&c. A calidis abſtineas, ſiue ſalſedo ſit propter admiſtionem ſeroſi humoris, ſiue propter putredinem. Iudico autem à ſeroſo humore eſſe, cum ſcribas de tumore faciei,lacrymis oculorum,& quod nulla ſint febris indicia. Ad caput nihil applices,quo incaleſcat. Roſæ, myrti baccæ,coralli in puluerem redacti ſatis. Item ſantali rubri, oxymel cum gummi ammoniaco dedi in materia craſſa. Hic omnia tenuis catarrhi indicia. Non poſſum plura ſcribere. Vale. 12. Maij. Anno 1573.

Catarrhus tenuis ſuffo.

Si miſta materia craſſa.

EPIST. CLVI.

IDEM EIDEM.

QVANTVM ex tuis literis intelligo; valde periclitatur tuus æger. Quan-

do catarrhus tenuis craſſeſcit, ſtatim ad tẽperata deueniendum: ſed factum infectum fieri non poteſt. Mitto oxymel compoſitum: dabis tuto in decocto fœnugræci vel iuſculo vnciam vnam. Purgabit pectus per ſputa & lotium, etiam fortaſſe aluum mouebit.

Dec. fœnugræci.

Habes etiam ſyrupum de carduo cum additamento ſucci calami aromatici, vt ventriculus iuuetur.

Syrup. de carduo cum ſucco calami arom.

Si catarrhus forte deſcenderet, commiſceas pulueres iſtos, quos mitto, cum fermento & parum aceti addas, ac capiti imponas. Profecto in graui eſt periculo. Si expectorare cœperit, ſtatim temperatis, vt decocto calami aromatici cum ſaccharo vel melle, decocto fœnugræci cum ficubus & ſimilibus vtaris, & inungas ventriculum, vel apponas ſcutum. Hæc poſſunt moneri, & ſatis eſſe puto Medico rationali & præſenti, qui videre poteſt, vtrum mandanti vel recipienti membro magis ſit ſubueniendum. Habes Galeni exemplum. Recte facis quod alium Medicum tibi adiungis. De tuo libro multo ante hoc reſcripſi, me cupere eum videre, ac deinceps meam ſententiam tibi aperire. Multa fortaſſe interea mutaſti.

Peſtis.

Certe peſtis alia eſt priuata, id eſt, quæ ab interna cauſa oritur, nec morbidam exſpirationem habet. Eſt tamen multis exitioſa: propterea quod multorum corpora malis ſuccis repleta, & eandem aëris intemperiem ferunt. Alia vero publica, in qua ex corporibus infectis emanat morbida exſpiratio, & relinquuntur ſemina huius in aëre, quæ pro conſtitutione aëris augentur & minuuntur. Hæc etiam ſanis corporibus, & in quibus nullum eſt ſymbolum, ſi ea attingant, pernicioſa. Licet agens non agat niſi in patiens prædiſpoſitum. Quibus autem modis alia corpora magis, alia minus diſponantur, videndum. Sed de his nunc non poſſum cogitare, cum hæc ſubito, & ſtans quaſi pede in vno (abeundus enim eſt Cæſar) ſcriberem. Bene vale 30. Maij, Anno 1575.

EPIST. CLVII.

IDEM EIDEM.

BENE feciſti quod hæc tua ζητήματα miſiſti. Reſpondi breuiter, Cur enim multis verbis agerem cum Medico. Multæ ſunt cauſæ quæ me domum reuocant, ac potius detrahunt. Vtinam ante diem Veneris diſcedere poſſem. Video Baronem in eo eſſe vt me detineat. Non dubito quin vſus aloë roſatæ plurimum ſit profuturus, ſi ad ℥j. ß. ℈ß. myrrhæ addideris. Radicem pæoniæ à Ioachimo Camerario habere poteris. Vngulæ aſininæ particulam adferam. Frictionibus matutinis vtaris. Item lotionibus pedum mane ex decocto bethonicæ. Ab oleribus abſtinẽdum. Vinum parciſſime bibendum. De decocto te cogitare velim. Bene & feliciter vale 15. Aprilis, An. 1577.

ZHTH'MATA.

QVORVM IN HISCE LITERIS MENTIO FACTA EST, HÆC SVNT, quæ ſequuntur.

1 *Moderate iuſsiſti vt carnibus veſcerer. Quid ex earum vſu periculi? Suntne quædam alimenta ipſa ἰδιοσυγκρασίᾳ noxia?*

2 *Sternutatoria an conferant, & quæ acria?*

3 *Vomitus an noceat? Ieiuno ne vel repleto ventriculo irritandus?*

4 *Omnibus ne prorſus odoratis abſtinendum?*

5 *Fumus è ſuccino in acceſsione an conducat?*

6 *Oleum ſuccini an ſumi poſsit cum fructu?*

7 *Ruta odorata, vel aceto tuſa an carpis vel ſpinæ alligari debeat?*

8 *Venæ ſectio, an crebro, vel bis in anno, vt conſueui, iterari poſsit?*

9 *Cucurbitulæ ſæpe ne repetendæ?*

10 *Lunæ mutationes an obſeruandæ, vel pertimeſcendæ?*

11 *Nunquam ne vehementioribus vtendum catharticis, & quouſque progrediendum? vel clyſmata ſufficiant acriora?*

12 *Quid de Thermis, ſudatorio Laconico, vel labro ſentiendum?*

13 *Suades ne vſum Ligni ſancti?*

14 *Venus prorſus ne abdicanda, vel quod tempus minus noxium?*

15 *Pæoniæ radix & grana quid virium habent?*

16 *M. Antonii Cortuſi remedium: Panem albiſſimum primum è furno exemptum parum fermentatum calẽtem vaſi vitreo include. Aquam è vapore condenſato collige. Eius ℥iij. accipe, Vnguis vel dentis maioris lupi puluerisati ℨj. ß. Ieiuno detur. Sanabiles epilepticos (ait ille) citiſsime curat. Quid videtur?*

Epilepſiæ remed.

17 *Vtor veteri ſyrupo de ſucco cardui, donec recẽtem conficere poſsimus. Poteſtne aqua milleſolii permiſceri, vel lambendo ſumi?*

18 *Theriaca quando & quoties vtendum?*

19 *Quamdiu cura continuanda?*

20 *An ſola ſpuma ſufficiens ſit nota προγνωστικὴ in Epilepſia?*

21 *Ad alendum vlcus in pede, ſi quid emplaſticum adhibendum, cum hactenus ſola lana carpta ſim vſus?*

Reſponſio ad ζητήματα præcedentia, D. Io. Cratonis à Kraftheim, &c.

1 *Carnibus moderate te veſci volui ſicut omnibus, quæ plurimum alimenti præbeant.*

Agnina

Agnina mala eſt, & præſertim epar cum capis paratum, ſicut omnia quæ caput replent.

2 *Sternutatoria non proſunt, niſi in acceſſionibus. Nam cerebrum quiete concoquit.*

3 *Vomitus coactus nocet. Spontaneus etiam caput pergrauat. Sed cum per conſenſum à ventriculo cerebrum afficitur, ex accidenti plurimum prodeſt.*

4 *Non omnibus odoratis abſtinendum, ſed quæ caput replent. Odor rutæ, aniſi, carui, &c. bonus.*

5 *In acceſſione fumus ſuccini adiuuat. Quia diſsipat vapores, & obſtructa reſerat. Extra paroxyſmum lædit.*

Orbiculi è ſuccino.

6 *Oleo ſuccini abſtinendum cenſeo. Cæterum ſi orbiculi ex gutta vna olei ſuccini, & gutta aniſi cum ſaccharo fierent, non improbarem.*

7 *Ruta odorata carpis, item ſpina adhibita, etiam cum aceto conducit.*

8 *Venæ ſectio ratione plenitudinis prodeſt. Per ſe non. Si in victu cauebis plenitudinem ita ſatis erit ſemel in anno venam ſecare.*

9 *Cucurbitulæ poſſunt ſingulis menſibus applicari.*

10 *Lunæ mutationes non quidem pertimeſcendæ ſed in iis cautius agendum.*

11 *Vehementioribus catharticis te vti nolim. Clyſmata ſufficient.*

Scillitidiú.

12 *De Thermarum vſu longe ambages. Tuciam Itali probant, haud ſcio quam recte.*

13 *Nihil vel parum valet Guaiaci lignum, niſi ad corporis habitum minuendum. Eſſet tamen illius vſus cum ligno viſci quercini conducibilis.*

14 *Venus modeſtiſsima.*

15 *Pæoniæ maris radicibus multum tribuo. Nostræ nihil.*

16 *Cortuſi experimentum nunquam ſum expertus. Tuto vti poteris.*

17 *Syrupum cardui, & è ſucco violarum, aqua millefolii poteris admiſcere. Aqua ſonchi è pediculis (caput Monachi appellant) deſtillata plurimum in æſtate prodeſt.*

18 *Theriaca in Nouilunio ſemel vtaris.*

19 *Cura ſemper tibi cura erit.*

20 *De notis noli ſolicite cogitare.*

21 *De vlcere agam in præſentia, volente Deo & inſpiciam. Noli vti ſiccantibus, quia conſolidant, vt lana carpta, ſed mundificantibus.*

EPIST. CLVIII.

IDEM EIDEM.

VERE vſurpo illud Poetæ;

Viuo equidem, vitamque extrema per omnia duco.

Iacui enim trimeſtre, oppreſſus catarrho & febricula lenta, ac totus macie contabui. Augetur nunc febris, & vires languidæ deficiunt. Itaque cogitare potes, quam ad ſcribeudum ſim idoneus. Viuo iam non ego, ſed viuit in me CHRISTVS. Baroni autem optime de me merito, & tibi amico chariſſimo morem gero, atq; hæc (cum vix ſuſtineam laborem proferendæ vocis) dicto. Vere autem & ex animo affirmo, mihi propoſitum fuiſſe omnino de vſu ligni Baronem monere, ſimulac certi aliquid ad meas literas mihi reſcriberet. Id eum nunc ſit factum, omnibus modis ſuadeo, vt Generoſiſſimus Baro ineunte Aprili decocto ligni Guaiacini vtatur, & quadraginta diebus ita, vt ſe abſtineat ab aere, & iis rebus, quæ ventriculum lædunt, quas nunc non nomino. Victus ratio non prorſus tenuis ſit, ſed boni ſucci, & in quantitate pauca. Paſſulas quotidie ante cibum aſſumat, etiam priuſquam lignum bibere incipiat. Vt vehementer purgetur, propter infirmitatem inteſtinorum & ventriculi, vix poſſum eſſe author. Velim tamen ea medicamenta adhiberi, quibus me vſum non ignoras, cum in obſtructionibus, & viis non patentibus, ſed humoribus repletis, vſum ligni tutum eſſe minime, Medicorum omnium ſit ſententia. Si non ſatis purgabunt, reiteretur, prout humoribus corpus redundare videbitur. Ad vniuerſam curationem ligni xv. vel xviij. lib. ſatis futuras arbitror. Infundantur autem xv. vel xviij. libræ in olla magna, affuſa aqua calida, & ſeruetur loco frigido, atque ita deinceps pro libra vna ligni macerati affuſis aquæ libris xv. & ad remanentiam ix. vel viij. librarum decocti pro prima potione vtatur. Ad ſudores interinitia non vrgeatur. Si tibi videbitur: feruens aqua ligni, tranfundatur ſtatim poſt coctionem in aliam ullam, & iniiciatur vel betonica, vel veronica. Pro ſecundo vero decocto, vnciæ duæ ligni ad iſtam libram iam decoctam affundantur, & ad remanentiam quindecim lib. decoquantur, adiiciaturque in fine decocto aliquid paſſularum. Errant longe, qui decoctione prima vires ligni exhaurire ſe poſſe arbitrantur. Itaque ſecundum decoctum primo interdum fortius eſt. Id ſi animaduerteris, abſtinere ab vſu recentis ligni in ſecundo decocto poteris. Primis decem diebus lente procedas, deinceps quindecim inſtes, & rurſus quindecim vel etiam decem paulatim deſinas. Vt aluus toto iſtius curationis tempore ſit fluida procures. Mihi beneficio DEI hactenus tua pruna præſtiterunt quod optaui. An deinceps prorſus viribus iacentibus

Potus ligni.

Prima decoctione vires ligni non ſatis extrahuntur.

Aluus fluida.

efficacitatem aliquam ſint habitura neſcio. Poſt decoctum ligni ventrem inungas cum vnguento noſtro ſtomachali & adipe gallinacea. Applices emplaſtrum de ladano cum ſpeciebus aromatici roſati completis, addita cera & oleo roſato. Exhibeas iam nunc interdum optimam myrrham. Quid præterea monerem nunc non erat. *Epilepſia.* Si Epilepticus quoq; tuus ligni decoctum cum ligno viſci quercini præparatum biberet, certe plurimum illi profuturum exiſtimarem. Cogites, & ſi quid poſſum illius cauſa facere, moneas. Cupio omnia. Plura non poſſum dictare. Si vires ſinent, aliquid Baroni reſcribam. Martij d. 26. 1578. è lecto.

℞. Paſſular. ʒ vj.
Flor. borrag.
Violar.
Cuſcutæ an p. j.
F. horum decoctio in q. ſ. aquæ puræ.
℞ Colaturæ ℔. ß. Infundatur:
Rhabarb. iu aqua cinam. macerati ʒ j.
Fol. ſenæ ſelectorum ʒ v.

Stent per noctem in loco calido, & rurſus mane ebulliant:

℞. Fortiſſimæ expreſſionis diligēter percolatæ ℥ iiij.
Mannæ Calabrinæ ℥ j. ß.

Addatur aloës roſatæ ad reprimendam dulcedinem mannæ & propter vermium ſuſpicionem ℈ ß. Miſc.

Prius tamen ſumat præparantia, vt decoctum radicum cichorij, & veſperi, quę diem purgationis præcedit, Enema ex iure gallinæ pingui, in quo decoquatur veronica addito ſaccharo.

EPIST. CLIX.

IDEM EIDEM

AEGROTAT iterum Bato. Quid putas? Eſtne tanta articulorum imbecillitas? Eſtne tam intemperans, vt vel ſubito tantam humorum copiam cumulet, vel quod ego puto, Funduntur ne humores vino, venere, vel iracundia? Ego cauſam exiſtimare non poſſum. Hippocratem puto te accepiſſe, etiamſi non ſcribas. Cuperem meliorem verſionem. Eam an Aubrius daturus ſit neſcio. *Peſtis cura.* Quidam contra Fernelium ſcripſit, Muſca in Elephantum. Putat peſtem ſolis frigidis curandam. Profecto qui in peſte, nihil præter obſtructionem, putredinem & febrem agnoſcunt, multis modis errant & nocent. Præpotens illa cauſa, vt Galenus eam appellat, communem medendi rationem plane euertit. *Cauſa peſtis.* Occultam illam vim cœlo ortam cum Fernelio non tueor. Morbidam exſpirationem præcipuam cauſam ſtatuo. Etſi ſcio ſæpe peſtes non ſolum totas ciuitates, ſed regiones ſubito inuaſiſſe. Sed hoc fit vel propter aëris vitium, exhalationes, aquas, vel cibum, vel communem cauſam corpora prędiſponentem, Verum quomodo dilabor in iſtam diſputationem? Quia libenter tecum per literas colloquor. Romæ iam magnis muneribus propoſitis remedia contra peſtem quærunt. In DEI & naturæ arcanis ſingulare & ἐξαίρετον latere puto. Nam ea quibus vtimur ſæpe ſpem fallere apparet. Legiſti ne aliquid apud veteres de viribus Munocerotis. Ego nihil memini. Et Turcos nunc non vti vel bolo, vel terra Lemnia audio, cum tantopere commendet Galenus. Bezoar in peſte parum cōferre animaduerti. *Bezoar in peſte parum confert.* Deus & Immanuel noſter Ieſus tibi & tuis hunc annum benigne fortunet. Pragæ, Kal. Ian. Anno 1580.

EPIST. CLX.

IDEM EIDEM.

MI Iordane, quæ ſint cauenda iis, qui Herculeo morbo affliguntur, noſti. Ægrum vero tuum nō eam adhibuiſſe cautionem, quam debebat, tuæ literæ 6. Febr. datæ teſtantur. *Epileptica remedia.* Obiurgarem illum grauiter niſi ægrotaret. DEVM oro vt ipſum conſeruet, & ne ille ſibiipſi deſit facito. Puto me tibi ſcripſiſſe in iſto morbo, *Epar perdicis.* epar perdicis in furno ſiccatum & puluerifatum com mēdari ex aqua millefolij. *Ranarum.* Quidam ranarum epar hoc modo in noua olla præparatum laudāt. Remedia naturalia in hoc morbo, ſicut omnibus, in quibus diuinum eſt ſecundum ſeriam diuini auxilij implorationem, maximi ab omnibus fere fieri animaduerto. De Thure recte æſtimant, qui mumiam arbitrantur. *Mumia.* Eſt enim veriſſima Mumia, & quidem ex humanis corporibus, conditis Thure, myrrha & aloë. *Vnicornu.* Vnicornu non reperiri in noſtris regionibus certiſſimus ſum. Vna pars eſt è cornu putrefacto, altera ex oſſe. Pellūt autem iſta ad extremas corporis partes, humores & ſudores mouent. *Cuſpides cornu ceruini.* Ideo in affectionibus cordis (vt exiſtimant quidam) conferre videntur. Hæc autem vis etiam in cornu cerui cōſpicitur. Ac credas mihi primas iſtas cuſpides in cornubus ceruinis cōtra venena plus prodeſſe, quam vulgare vnicornu, quod nihil aliud eſt, quam dens Elephanti ſeu Ebur. *Lapis ſerpentin.* Lapidem, quem miſiſti, adduci non poſſum vt ſententiæ illorum, qui à ſerpentibus conflatum eſſe exiſtimant accedam. Arte fabricatum eſſe, ac, ne quid diſſimulem, verticillum ſeu ſpondilum puto, quem mulierculæ fila ducentes fuſo applicant. Iacuit aliquandiu ſub ter... Itaque

cum

Digitized by Google

cum ſit teſtaceus, lapis videtur. Alter vero *Lapis cordis cerui.* lapis, quem miniſter oſtendit, qui in corde cerui repertus eſt, quiddam cum lapide Bezoar. commune babet, licet neque forma, neque colore eum referat. Nam is quoque ad hunc modum incruſtatus eſt, neq; dubito quin aduerſus venena proſit. De *Saphirus.* Saphiro nullam habeo experientiam, oculis prodeſſe ſcio, & admotum oculis puerorum, qui variolis aut morbillis laborant, ne ab iis infeſtentur, facere. Recitantur alia ab iis, qui de gemmarum viribus ſcribunt, verum mihi non ſunt explorata. Cardanus multa in libello de gemmis commemorat, eum nunc ad manus non habebam. De Chalcidonio quod ſcribam, non habeo. *Fungus ceruinus.* Sunt qui ſanguinem calcfactum in manibus ſiſtere exiſtiment. Fungo ceruino ad venena qnidam vtuntur, ſed plus ad venerea valere, & propterea aſſeruari conſtat. *Ol. vitrioli vſus tutus in humidioribus naturis.* Meum oleum vitrioli vobis non eſt defuturum, ſed quantum voles, & quod ſatis eſt, vt à me accipias curabo. Sunt iam octodecim anni cum illud factum eſt, & nunc plurimis prodeſſe animaduerto. In bumidioribus corporibus vſus eſt tutiſſimus. Sed paulo ſicciora minus crebro aſſumere debent. Tu ſingulis ſeptimanis bis vel ter recte, & magno, vt ſpero, commodo tuo eo vteris. Sed vide ne in parum recte factum incidas. Nam, vt promiſi, prius mibi, quam tibi defuturum eſt. *Dolores Nephritici. Dolores calculi.* Vſu decocti veronicæ nihil melius ad dolores à calculo ortos. Idem præſtat ſuccus inſpiſſatus. Exprimitur ex herba contuſa, & cum ſaccbaro ad ſpiſſitudinem coquitur, & in pillulas redigitur. Sumes ante cibum. *Dolor renū.* Si dolor vrget in labro vel lecto calefactus, decoctum veronicæ bibes, *Cat. apl. à cancris.* & adhibebis emplaſtrum ex cancris. Quod fit cancris coctis & contuſis & eorum ſucco expreſſo, panis medulla imbuta, additis oleo violaceo & vitello oui, applicetur boc renibus. *Hedera terreſtris.* Hederæ etiam terreſtris vſus in cibo, & iuſculis commendatur, & ſomnum atq; vrinam prouocat. Vreteres inungi poterunt oleo ſcorpionum, & foueri raphano vel rapis coctis cum adeſt dolor. Inſeſſiones in labrum non probo, propter dolores podagricos. Domino ſeniori iam meam ſententiam ſæpe de iſtis defatigationibus oſtēdi. Remedia frigida non ſunt tuta, licet ea catarrhus tenuis requirat. Calida prorſus non proſunt. Tutiſſimum eſſet à nimio ſermone abſtinere. Sed plura hac de re alias. Bene vale. 15. Febr. Anno 1580.

EPIST. CLXI.

IDEM EIDEM.

GRATISSIMVM mihi eſſe tuum literarum officium, omniaque grata mihi ſemper à te accidiſſe, veriſſimum eſt. Heri autem peruesperi tuas, quibus 28. diem Iunij aſcripſiſti, Glatio in Rucurianum meum perlatas accepi. Veni huc nudius decimus tempeſtate horrida & valitudine minime firma. Quam vero firmitatem hac ætate ſperare poſſimus, in qua vnum illud animo plane obfirmato nobis perſuadere debemus, nos eo vitæ beatæ viciniores eſſe quoad exitum huius vitæ & ſepulchrum accedimus propius? Vt quod ſupereſt æui abſque moleſtia, quemadmodum mihi precaris, tranſigam, cum vel corpus tot morbis afflictum, vel ſeculi noſtri miſerias intueor, polliceri mihi non debeo. Veram enim illam querelam eſſe ſtatuo, πᾶν ἐστιν ἄνθρωπος συμφορῆ. Ad meas autem miſerias hæc accedit, quod in tanta virium imbecillitate propemodum perpetuo decumbendum; & ſi quid ſcribere volo dictandum eſt. Ægre pedes officium faciunt; & tremebunda manu, perpauca abſque moleſtia exarare poſſum. *Emplaſt. epilept.* Præſcripſeram nuper cuidam puero emplaſtrum ſuturæ coronali apponendum. Is tentatis multis remediis, beneficio DEI, conualuit. Pharmacopœi coniunx emplaſtrum boc aliis pueris epilepticis adhibuit. Itaque tam multus de eo ſermo, vt etiam ſenes bono ſucceſſu vterentur. Erat eum his deſcriptio, qua ante triginta annos in fœmina Polona curanda ſum vſus & diu ſane oblitus, atque cum à me conſilium pro puero peteretur, in illam incidi. *Franciſcus Valleſius.* Franciſcus Valleſius Doctor Medicus in Academia Complutenſi fuit. Mortuum ante multos annos puto. Leges de eo in proœmio libri, quæ mihi comperta ſunt. Admodum ingenioſum res oſtendit. Neque dubito, ſi longior vita ei contigiſſet, quin multa in ſuo libro emendaturus fuiſſet. Ego in alterius labore hunc laborem ſumere volui. Mitto δεῖγμα typographicum. Spero ad mercatum autumnalem proditurum. Baronibus veſtris bene precor. *Diæta Podagricis optima.* Ego podagricis nihil niſi rectam victus rationem conſulendum arbitror. Quæ enim medicina vel materiam iſtam exbaurire, vel calorem roborare poteſt? Vſum fomentationis ex decocto myricæ cuidam valde profuiſſe ſcio. Sed alios iuuiſſe parum. *Thermæ.* Thermæ calorem natiuum adiuuant, verum ſua humiditate membra relaxant. Vtinam Nameſtius veſter heros à me iuuari poſſit. Nihil eſt quod magis velim. Si paulo valetudo eſſet firmior, in ſuo Brundiſio, eum inuiſerem. Sed vereor ne è Bohemia peſtis ſerpat. Valde magnæ & ſtra-

Eluuiones. quentes in his quoque locis eluuiones nobis malum minantur, & transeunt ſæpe, qui Praga veniunt, vbi ſæuire peſtem multorum literis nunciatur.
Oleum Solis. De oleo Solis multos glorioſe loqui audiui, verum ita confici poſſe, vt vere oleum ſit, & humanis corporibus conueniens, nunquam mihi perſuaderi patiar.
Lapis philoſophorum. Lapis autem philoſophorum multorum ingenia & opes attriuit. Nec præter vnum, qui de illius compoſitione ſcripſerũt, quenquam lapidem iſtum paraſſe cognoui. Vero hoc eſt conſentaneum, imperfectum ad quandam perfectionem poſſe deduci. Sed an lapis Philoſophorum (id quod chymiſtæ de eo affirmant) imperfecta metalla perfecta reddere queat, baud ſcio. Sæpe in paruo opere quædam quaſi perfectionis ſpecies oſtendi poteſt. Idem ſi in magno tentes, ſomnium videbis. Imo vix vnquam ſimilia elaborantur propter caloris & materiæ diſſimilitudinem. Quæ igitur eſt ſtultitia in iſtis deſudare.
Antimonium album. Antimonio albo, cum rationem, qua ſudorem mouere poſſit, non videam, & mihi illa cum Theriaca commiſtio ſuſpecta ſit, nunquam vſus ſum. Scio autem te ea pietate eſſe, vt non velis alteri nocere. Proinde ſi iis profuit, quibus a te datum eſt, ipſe periculum de eo facere poteris, vel quamprimum ad amicum illum tuum ſcribere, vt modum conficiendi integre tibi ſignificet. Nõ ſunt mihi Theophraſti libri ad manus, nec ſi eſſent poſſem in illis quicqnam legere. De ſpiritu antimonij quid reſcribam non babeo. Nam de vſu il-
Spiritus Antimonii. lius nihil plane conſtat. Retinebo igitur apud me donec aliquid certi cognoſcamus. Magna medicamenta eſſe oportet, quæ in exigua quantitate vim maximam exercent. Ne igitur naturæ vim afferant videndum. Tamen nõ video ſi antimonium album per ſe eſt antidotus, cur antidoto, videlicet Theriacæ miſceantur. Sed vtcunq; ſit, ea fide amicum illum tuum eſſe ſcio, vt non velit tibi nocere, proinde ſemel facere periculum, atque de ſucceſſu quamprimum ad me ſcri-
Extractum calami arom. bere poteris. De extracto calami aromatici arbitror me vos monuiſſe omnia. Vtor præcipue in affectionibus ventriculi & pectoris cum intemperies eſt frigida cum materia craſſa & tenaci. Ac tunc quidem non difficultatem ſpirandi, & coctionem plurimum valere, & longe alia medicamenta ſuperare
Ol. Chalcanthi. cognoui. Chalcbanti oleum totius corporis habitum permeat, putredinem tollit, & humiditates ſuperfluas conſumit. Hoc minus crebro vtaris, cum te exteouari aliquomodo ſcribas. Non defuturum tibi eſt, etiamſi ipſe eo non abundem. Nam nihil mibi tam eſt charum in omnibus rebus meis, quod non libenter ad ſuſtentandam valetudinem tuam velim impertiri. Bene vale, & literas tuas ad me mittere non intermittes. E Ruculiano, 16. Iulij. Anno 1582.

Empl. Eg.

℞. Succini albi,
Thuris,
Maſtich. ana ℥j.ß.
Galbani,
Opoponac. ana ℈j.
Viſci quercin. ℥ ij.
Ambræ g̃. vj.
Muſch. g̃. iij.
Sem. pæoniæ maris ʒß.
Ladani ʒj.ß.

Olei nucis muſcatæ parum, aſpergatur puluere cubebarum, & extendatur in aluta.

EPIST. CLXII.

IO. CRATO A KRAFTHEIM, &c.
Clariſsimo viro, D. Petro Monauio, Med. Cæſ. S. D.

QVi ad reprehendendum alios paratiſſimi ſunt, plerunque in ſe parum animaduertunt. Scripſiſti omnes omnia bona de meo libello Germanico dicere, laudare ſtudium iuuandi plurimos; denique vt recuderetur autor fuiſti. Nunc poſteaquam ego laborem iterum ſupra vires ſumpſi, & huic alterum quaſi, qui me ad languorem ita dedit, addidi, vt haud ſciam an vnquam vires recuperaturus ſim, neſcio quem ordinem, & quæ alia in eo deſiderare curiales noſtros commemoras. Niſi aulam noſſem, & quam multi ſint, ſcirem, qui vere iudicare poſſint, aut harum rerum, de quibus agitur, periti eſſent, ſane animo perturbarer; ſed cum quid in boc Theatro fiat, & quam rerum omnium imperitiſſimi cupidiſſime alios reprehendant non ignorem, non valde commoueor. Te vero iſta nunc ſcribere miror, poſteaquam ipſe libellum præconio tuo publice ornaſti; & typis deſcribendum Typographo dediſti. Ac exploratiſſimum tibi eſt, me bunc librum nunquam ita habuiſſe in manibus, vt quæ accurate perpolire ſolemus. Relegi, & cum quid mutandum videretur, dictaui. Fateor propter valetudinis imbecillitatem non potuiſſe ſcripta recognoſcere; ſed ſperabã, ſi quid forte emẽdandum eſſet, facile hoc præſtare poſſe, qui curam editionis ſuſciperent. Legi tuas correctiones; verum ne quid diſſimulem, à mea ſententia alienas. ſed de his nunc non agam. Qua de ratione libelli Germanici, in prima parte præcauẽdi rationem
Methodus libelli præ. monſtro, duplicemque pono; vnam quæ ad Magiſtratum politicum pertineat, alteram propriam Medici. In iis quid deſide-
ren-

rent neſcio. Ad extremum vt cupiditati hominum ſatisfacerem, formulas remediorum, quibus ſummi Principes vſi ſunt, cum multis communico. In altera parte cum de curandi ratione agam, primum Peſtem nomen generis eſſe, atque ſub eo contineri multos morbos plurimis exitioſos, quod ante annos quadraginta etiam ſcripſi, ſtatuo.

Peſtilent. priuata.

Deinde febres peſtilentes duplices eſſe dico, vnas à putredine ſola dependentes & à cauſis internis plerunque ortas, eas priuatas appellaui, quod minime ſe efferrent, & contagioſæ eſſent, licet plurimis exitioſæ. Has febres interdum in vno vel plurimis ad eum putredinis gradum peruenire oſtendo, quē morbida exſpiratio conſequatur.

Publica.

Itaque tum ex iis non tantum putridæ peſtilentes, ſed contagioſæ fiunt, id eſt, quæ morbida exſpiratione ſimilem affectum ſeu febrem peſtilentem, bubonibus & carbunculis inſignitam in aliis corporibus, quæ inſpiratione morbidum illud, ex corporibus infectis exhalans, attrahant, inducunt. De his febribus peſtilentibus me in meo libello agere profiteor. Itaque cum inſpiratio morbida exſpirationem ſeu Diaphoriſin ex lege contrariorum indicet præcipuam curationem indicatiuam in eo conſiſtere, vt ſeminarium hauſtum per inſenſibilem tranſpirationem vel ſudorem; quo omnes fere contagioſi morbi curantur, expellatur atq; malignitati ſeminarii hauſti reſiſtatur; & cor contra illius malignitatem præmuniatur. Primum medicamenta ſimplicia recenſeo, deinde pauca remedia, quibus hic & alibi vſus ſum, & cum autoritate & experientia moueri homines ſciam, vſu atq; experientia comprobata in medium adfero. De phlebotomia meam ſententiam, recitata prius veterum; expono, ac ipſe fateor, cum initio hanc partem non attigiſſem, me in emendanda quoque cornicum oculos noluiſſe configere. Admonitiones autem vtiles, etiamſi fortaſſe inepte iterentur in medium affero, atque iſta ſententia concludo. Me nō videre quid in peſtilentibus contagioſis, & à ſeminario hauſto oris phlebotomia magnopere iuuare poſſit, cum malum inſpiratione hauſtum non exhauriat. Ad extremum de cura ægrorum non tam medicamentis, quam victus ratione habenda pauca ſubieci. Cæterum in poſtrema parte, qua cum chirurgis prodeſſe ſtudeam, iterum de ratione mittendi ſanguinem iis eadem inculco, & quam cautionem adhibere debeant, monſtro, cum quam incauti & temerarii ſint reipſa compererim. Atque ad extremum de carbunculorum & bubonum cura, quæ profecto in hoc morbo curationis caput eſt, ago. Quæſo quid habes, quod in iſto ordine repræhendas? Si quædam reperita ſunt, eaq; magnum vſum habent, & digna quæ obſeruentur doctis videantur, quid obſecro illorum iudiciis, qui in verborum mirifico ſplendore atq; apparatu omnia collocant, iniuſtius? Sed mitto iſta. De tuis dubitationibus magis quomodo tibi in mentem venire potuerint, quam vlla de re miror. Primum quæ de homonymia vocabuli contagii & contagionis ex ſententia Eraſti ſcribis, ea nihil ad me attinent. Tueatur Eraſtus ſua, Ego de vocabulis cum nemine pugnabo.

Morbi contagioſi cauſa.

Rem autem ita ſe habere ſtatuo: Omnes morbos contagioſos oriri à morbida exſpiratione, quam inquinamentum ſeu ſeminarium appellamus, eamq; morbidam exſpirationem ſimilem affectum & morbum in corporibus, inprimis vero prædiſpoſitis, etiamſi ſymptomata omnia non ſint ſimilia, inducere, putredinem vero huius morbidæ exſpirationis cauſam eſſe, verum non ex quauis putredine ſimilia μιάσματα exhalare, aut etiam omnia eodem modo contagioſa eſſe, multo minus peſtilentia. Alia enim ſunt quæ ſcabiem, alia quæ morbum gallicum, alia quæ lepram, phthiſin, &c. adferunt. illa vero quæ febrem peſtilentem, (non dico putridam peſtilentem, ſed contagioſam) inducunt, reſipere non putredinem ſolam, ſed ſæuam corruptionem, quam hauſta ſubito in corpus humanum, quod cōtingunt, inducunt. Itaq; iam non putredinis, vt ſit cum ex peſtilentibus putridis (aliquando initio peſtis) perueniente putredine in corporibus humanis ad iſtum gradum, vt morbidam exſpirationem contagioſam emittant, ſoboles ſunt, verum pernicioſiſſimæ corruptionis, omnem putredinis cōditionem ſuperantis. Hinc ſæpe ſubito, etiam ſanis & mediocriter cōſtitutis corporibus exitium adferunt. Ex nulla autem alia re exitioſa iſta μιάσματα, quā è corpore humano, dum natura vaporoſum illud excrementum expellere poteſt; prodeunt, atque ab iis inquinamentis, quæ vel præparent ad ſuſcipiendam peſtem, vel ſeminaria peſtis non contagioſæ, verum putridæ febris ſunt, diſcernenda. Cæterum q̧ putas, me in errore verſari dum contagioſas febres ab inſpiratione, qua ſeminarium attrahitur, quęque carbunculis vel bubonibus inſignitæ ſunt ortas, vt plerique omnes in peſtilentiis; quæ in noſtris regionibus graſſantur, eſſe apparet, ignotas veteribus ſtatuo, minus accurate meam ſententiam te conſideraſſe, rationes tuæ oſtendunt. Fateor cum Galeno non vacare periculo conſuetudinem cum putridis morbis laborantis

bus, ſed vbi Galenus ſcripſerit, ex omni putredine exhalare morbidum, quod contagione ſimilem affectum in corporibus quæ attingit, inducat, imo quod febres peſtilentes contagioſas excitet, non reperio. μιασμάτων, inquies, meminit, & Hippocrates ἀτμίσματα λοιμοῦ nobis oſtendit? Quid hæc obſecro probant ſpeciem hanc febrium peſtilentialium contagioſarũ, quæ nobis infeſta eſt, & quam omnes Medici refugiunt, veterib. notam fuiſſe? Multa μιάσματα ex variis rebus putridis exhalant, quæ corpora humana ad ſuſcipiendas potius febres peſtilẽtes præparant, quam peſtilentes contagioſas, de quib. nos agimus, inducũt: ſic ἀτμίσματα τοῦ λοιμοῦ feruntur ex variis locis, & corpora plurima, vt variis febribus peſtilentibus putridis laborent, idonea reddunt, verum vt ſubito quaſi ad iſtum modum laborent, & morbidam exſpirationem, quæ hauſta inſpiratione aliis contagioſa & exitioſa ſit, & ſimilem plane affectionem aliis corporibus induceat, habeant, non facile mihi perſuadebis. Nihil dicam hic de diuerſis quaſi gradibus malignitatis, deque intentione, & remiſſione μιασμάτων, & neque omnibus temporibus neque omnibus in locis eandem vim atque effectionem habere res ipſa loquitur. Galenum non intelligere de inquinamentis, quę ſunt contagionis ſeminaria, ſeu contagione contaminant, & ſubito vim vitalem in omnibus, qui per aerem ea attrahunt, oppugnant, verum vitium aëris ad peſtilentem putredinem, corpora præparantibus, cum air, aërem cõtinere ἀτμίσματα τοῦ λοιμοῦ minime dubito. In Thracia ſummæ ſæpe ſunt peſtes, etiam in aliis regionibus nrienri magis vicinis quę multa millia hominum è medio tollunt, contagioſas tamen febres peſtilẽtes ab inſpiratione ortas raro eſt obſeruatum conſequi. In caſtris ad laurinum innumerabiles propemodum peſtilentibus febribus perierunt, contagione illas diſſeminatas atque ideo exitioſas fuiſſe, etiamſi quotidie cum ægrotantibus ſæpe multumque fuerim, non animaduerti. Ac profecto ab iſtis ſummis Medicinæ autoribus non parum peccatum, ſi vim illam contagionis febrium peſtilentialium verè cognouiſſent, neq; vllum verbum de contagione poſteritati ſcriptum reliquiſſent. Quod ad extremum addis (tua tibi verba propono) fortaſſe inter peſtem & febrem peſtilentialem contagioſam diſtinguis. Apage te cum illo fortaſſis, cum apertiſſimis verbis hoc vbiq; agam, & an non genus à ſpecie diſtinguere? Te vero per quicquid poſſum oro, vt parcendum ſeni, & animam agenti, exiſtimes, & modum in animaduertendo, atq; ſtudium aliorum dicta in bonam partem interpretandi iuſtitiæ conuenientem, pulcherrimam virturem putes. De meis obſeruationibus cum toties ſcripſerim non eſſe eas in mea poteſtate, verum diſiectiſſimis chartis, & variis libellis inſcriptas, quæ in poteſtate filii ſunt, contineri, quid me toties vrges? Ipſe bonam earum partem, cum multa tibi recitauerim, in memoria babere deberes, & ſcis familiaribus meis nõ ſolitum reticere. D. Ioachimus Camerarius & ſuas & aliorum ſe colligere nuper ſignificauit, opto vt poſſit. Vnam inſignem & mearum obſeruationum præcipuam tibi modo proponã, quæ in hoc meo morbo (non quod me ſummis Imperatoribus & Heroibus æquem) ſæpe in mentem venit. Veriſſimum hoc eſt; Diuum Ferdinandum Imperatorem, priuſquam lecto decumberet (cui vix tot menſibus, quot ego annis affixus fuit) catarrho & difficultate ſpirandi laboraſſe, & macie totius corporis contabuiſſe, magnum etiam aceruum in renibus atque veſica calculorum collegiſſe. Ἀτονίᾳ autem tanta laboraſſe, vt viribus omnibus exhauſtus, inter loquendum placidiſſime exſpiraret. Quid optimo Imperatori euenit, quod ego non ſim paſſus, & etiam nunc patiar? Ante ſeptennium Cæſare grauiſſime ægrotante, cum ſingulis fere noctibus tempeſtate horrida iu palatiũ vocarer, catarrhum contraxi grauiſſimum, & magna difficultate ſpirandi laborare cœpi. Cupiebam obſtare principiis, ſed totum triennĩũ aliud ex alio malum. Itaq; meam valetudinem poſt habere & negligere coactus ſum. Supra vires omnia me feciſſe ſciunt, qui me in Palatium perduxerunt, & quibus geſtandus ſæpe fui, cum per ſcalas aſcendendum eſſet. Cum autem à catarrho ventriculus nõ admodum afficeretur, vires mediocriter cibo & potu ſunt ſuſtentatæ. Eo vero die, quo ab aula diſceſſi, cũ amici plura à me poſtulaſſent, quam præſtare poſſem, ita me miſere afflixi & defatigatus ſum, vt ſimul ac flumen ſuperaſſem & currum aſcendiſſem, in profundum ſomnum inciderem. Poſt eum diem perpetuo cum aduerſa valetudine confligandum fuit. Catarrhus auctus eſt ſimulac domum redii Perſuaſerunt autem mibi mei, vt relicto Rucuriano huc irem. Memineram quæ valetudinis pericula in hoc aëre ſuſtinuiſſem, morem tamẽ geſſi. Corpus, cum nõdum plaoc iacerem, macie cõtabeſcere cœpit. Ventriculus ita difficulter cibum cõcoxit, vt per συμπάθειαν quandã cor mirifice in labore coctionis afficeretur. Medici πυλμον exiſtimarunt, verũ nunquam vere fuit, nec hoc malum his 4. annis à me diſceſſit. Catarrhus alias mitius, alias

Obſeruationes Cratonis.

atro-

atrocius mecum egit, & ſæpiſſime ita ſpiritum eripuit, vt nihil morte ſit factum propius. Poſteaquam tabida membra, & omni ſucco natiuo exhauſta mouere non potui, mihique lecto decumbendum fuit, renes calculus cuxiſſe animaduerti. Quos dolores & cruciatus dum eliderentur, accedente ingente mole flatuum, qui vniuerſum corpus penetrarunt & affluxerũt, ſenſerim, nequeo narrare, nec ſi queam propter acerbitatem recordationis velim. Certe hac in parte Diuo Ferdinando Imp. fui infelicior. Nam is magnos atq; multos lapillos quotidie fere, ſine omni tamen ſenſu doloris egiſſet, neq; eos cruciatus, quos ego à flatibus perpeſſus ſum, ſenſit. Ac haud dubie ſacratiſſ. Imperator diutius morbum, quam ego ferre potuiſſet, cum & corpore paulo firmiori eſſet, & minus annoſus, niſi infelix illa medicatio, qua catarrhus eſt ſuppreſſus, acceſſiſſet. Catrichterus enim quotidie decoctum florum prunellorum ſylueſtrium dabat, item alia in ruſtico corpore vix ferẽda. Cum autem ex illius libellis appareat, quo artificio ſuis rebus fucum faciat, quam Medicinæ ſit imperitus, miror amicum fratris tui, quem nuper donatum Phyſico libello mihi quoque conciliauit, illum iuuentuti commendare, & Turnheuſeri conficta de herbis & earum deſtillationibus mendacia tanquam rem admirandam pueris proponere. Sed ſæpe fallimur ſpecie recti, & facile admiramur, quæ non intelligimus. Ego vt materiam catarrhi in hoc tenuiſſimo corpore expectoratem, hactenus operam dedi. A medicamentis, præterquam iis, quæ ventriculi vires cõſeruant, plane abſtinui. Nunc cum & pectus & ventriculum parum medicamentis iuuari animaduertam, & nocturnis horis calorem præternaturalem atq; difficultatem ſpirandi augeri ſentiam, id quod Diuo Ferdinando Imp. euenit, & inprimis humanum eſt, quin ſit conſecuturum non dubito. Paro igitur me ad ea, quæ ſunt ſuperanda. In Diuo Ferdinando Imper. pulmo fere totus gypſeus erat, meus vt ſit neſcio. Renes an tantum calculis abundent haud ſcio. Calorem illum præternaturalem & ἀνορεξίαν vires valde, ita vt optimo Cæſari, frangere ſentio. Itaq; ne breui deficiant vereor. Hoc modo nos Dominus cœleſtis oberrantes in his terris inter falſa & fugacia ad ſe reuocat, & facit vt dierum, vt D. Petrus ait, commorationis noſtræ ſatietas nos capiat. Bene vale. Vratiſlauiæ ſub Æquinoctium autumnale. Anno 1585.

Infelix curatio Imperatoris. *Carrichteri imperitia.* *Herbarium Turnheuſeri.*

EPIST. CLXIII.

IDEM EIDEM.

LIBELLVM de Quinta eſſentia legi non tam mea cauſa, cui labor eſt hæc cognoſcere, quam vt tibi gratificarer. Autor eſt ingenioſus, ſed, vt ego iudico, iudicio parum confirmato præditus. In vniuerſalibus oſtendit ſe ratione & experimento non deſtitui. Ad particularia cum eſt ventum, friget. Obſecro inſpicias definitionem, & videbis quam ſibi conſtet. Quid quæſo hoc eſt, poſita definitione in dubium vocare, an res de qua quæritur ſit? Deſtillationis finis eſt, ſeparare purum ab impuro, ſeu ſpiritum naturalem, qui præbet vitam rebus, ab elementari materia ſegregare, quantum ſegregari poteſt. Solus enim ſine ſubiecto conſiſtere nequit, ſed vel in materia oleagenoſa, vel in aquea pura, aut viſcida reſidet. Hunc ſpiritum ego quintam eſſentiam duco, & ſi quid aliud eſt, mihi demonſtrari cupio. De nomine nullam litem moueo. Scio ſpiritum vini, maxime à Chymicis ita appellari, & recte quidem, cum ex omnibus rebus, quas penetrare poteſt, quintam eorum eſſentiam, vel ſpiritum naturalẽ ad ſe pertrahat, & ſibi iungat. In iis vbi ſpiritus naturalis aqueo vel oleagenoſo humido inſidet, deſtillatione per aſcenſum, vt vocant, euocatur, dum vapor vel in aquã, vel in oleum reſoluitur. Cæterum cum viſcido inhæret, quemadmodum in radicibus & ſeminibus quibuſdam, nulla re melius, quam affuſo ſpiritu vini elicitur. Hinc facile illorum error apparet, qui aquas vitæ ſeu Elixæ affuſo vino, variis ſpeciebus, vt nominamus, additis, imo auro & precioſis gemmis, ſæpius deſtillant, & præſtantiores aquas ſe efficere arbitrantur, cum ſolus ſpiritus vini, iis quæ penetrare poteſt, affuſus, intra paucas horas hoc præſtet; in multiplici vero deſtillatione ſubtiliores partes exhalent. Quod autem Carolus de Petra alba ſibi ſomniat ſpiritũ vini poſſe aurum, margaritas vel gemmas penetrare, in eo illum opinione falli certum eſt. At tres nouos deſtillandi modos quos ponit, vere nouos, id eſt, falſos & confictos ratio atque experientia monſtrat. Primus plane ridiculus eſt, cum ex libra media Cinnam. ſpiritum aqueo humori inſidentem extrahit, ac deinde ex fecibus putrefactis, ac plane inſipidis, in quibus vel paucus vel nullus ſpiritus remanſit, oleum ſe elicere poſſe arbitratur. Alter vero modus, quo rationẽ conficiendæ quintæ eſſentiæ oſtendit, erroribus manifeſtis plenus eſt. Nec ipſe affirmare audet, ſe iſto quintam eſſentiam auri & precioſorum lapidum atque aromatum vnquam præparaſſe, vel ſibi panaceam hanc viſam eſſe. Hauddubie ſi ea vſus fuiſſet, exempla eorum, quibus pro-

Quinta Eſſentia. *Error communis chymicorum.* *Carolus de Petra alba.* *Deſtillationũ modi conficti.*

fuiſſet non reticeret. Cur autem obſecro ſulphur commune miſcet ſpiritui vini, vt aurũ attenuet, vel in cinerem redigat? Scio & fateor ſpiritum ſulphuris aurum penetrare, atque aliquo modo mutare; ſed ſpiritum vini ſulphuris ſpiritum ad ſe attrahere, nec ab vllo perito chymico didici, multo minus re ipſa comperi. Confici flores ſulphuris, dum eo ſpiritus vini affunditur, & crebro inflammatur, atque deflagrat non ignoro. Sed hanc eſſe verã præparationem vix puto. Magis eam probo, cum vel oleo tartari, vel cera affuſa ſulphur præparatur. Sed de his nunc non eſt propoſitum ſcribere. Tertium deſtillandi modum gummatum, quem tradit, non improbo, cum ratione munitus videatur, ſed rectius dum gummata deſtillamus, ſilices addi, reipſa comperi. De margaritarum diſſolutione in communi errore verſatur, ſi acetum deſtillatum, vel alios ſuccos acidos hoc præſtare putat, niſi vt Chymici nominant, radicati ſint. De ſuccis quidem non contendo. De aceto certum eſt humorem, qui aſcendit eſſe inſipidum, & diſſoluendis margaritis minime idoneum. Cæterum partem eam, quæ poſt deſtillationem aceti in fundo reſidet, & acetum radicatum à Chymicis appellatur, ſua acrimonia, & vi corroſiua atq; cauſtico, non modo margaritas, verum alia etiam diſſoluere, & in cinerem quaſi redigere, atque quemadmodum Chymiſtæ loquuntur, calcinare poſſe nullum dubium. Hoc autem non eſt ſpiritum margaritarum elicere, ſed totam earum ſubſtantiam corrumpere. D. Woyſelius ſenior mihi narrauit epiſcopum Vratislauienſem Caſparum Logum Magiſterium hoc perlarum, perſuaſum à fratre, ſæpe porrectum à Paracelſiſta quodam bibiſſe, atq; demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuiſſe. Eodem euentu vſam eſſe Marchionis Ioannis coniugem, in qua ventriculi tunicæ plane fuerint eroſæ. Raro certe vllum vitrum, in quo aſſeruatur, tam eſt firmum, quin erodat, & in cinerem conuertat. Longum eſſet omnia iſta perſequi, quæ imperitiſſime de gemmarum atq; auri diſſolutione dicuntur. Certe artis imperitia, atq; inſcitia potius ſe manifeſte prodit, cum nondum periculum, quod in æreis vaſis eſt, dum ea deſtillationib. adhibemus, animaduertit, & præcipuum gradum ignis, maximeq; conuenientem, videlicet ex arena, reticet. Poſſem alia, quaſi puerilia errata demonſtrare; ſed ſentio me nimium & legendo & dictando defatigatum eſſe. Si vera eſſe ſcit, quę de Panacea affirmat, ægros ſuos & alios, qui illius opera vtuntur, iniuria afficit, dum illis medicamentum hoc non præbet. Verum vides quam in refutandis obiectionibus ſit languidus, ne dicam ineptus. Nouam propoſitionẽ erudite tractat, & medicum rationalem oſtendit. Quæ vero attexit, vt cõſentiant veris ipſe viderit. Doctum eſſe iuuenem arbitror, & in Philoſophia atque Chymicis verſatum, verum vſu, atque μεταχειρίσει non inſtructum. Nam ſi eſſet, nihil firmitatis in autoritate Ferneliana, quæ refutata eſt à quodam edito ſcripto contra librũ de abditis rerum cauſis, multo minus incongrua Philoſophia Cardani, eſſe animaduerteret. Quid multa? Magis memor eſſet propoſiti, neq; totam Philoſophiam cõpendio proponere, quam de chymia inſtitutam ſcriptionem hoc modo abrumpere mallet. Nimis enim pauca de Chymia ſcribere, & vbi ad rem ventum eſſet, vela vertere quis non videt? ἀντιλογίας crebras, diſtinctiones imperitas, & alia plura non libet reprehendere. Non enim me φιλέριδος delectat. At hæc tu ſatis eſſe, & miſero atq; ægro ſeni parcendum putabis. Valde enim hic labor, quem ſuperioribus menſibus facile ferre potuiſſem, me ad languorem dedit. Bene vale. Vratislauiæ pridie Kal. Februar. Anno 1584.

Spiritus ſulphuris.

Flores ſulphuris.

Margaritarum ſolutio.

Acetum radicatum.

Magiſter. perlarum ventriculi corrupit.

Panacea.

EPIST. CLXIV.

IDEM EIDEM.

DIE Ianuarij 25. literas ad te miſi, quas, vt ſpero, à Dn. Schonfeldio accipies. Bene de te ſentit. Itaque illius perſuaſioni ſatisfacere ſtudebis. Non quæuis Gonorrhœa eſt Gallica, ſed ea quæ cum vitiũ languore, vrina nigricante, & graueolente affligit. Tum inſignem ardorem affert, & leuibus remediis non cedit. Nihil tale in noſtro ægro animaduerti. Deinde dolor vlceroſus circa veſperam eum non moleſtat. Sed hoc tu conſiderabis, & me admonebis. Obſecro mi Petre, vt quod ſæpe de lectione veterum monui, memineris. Legi non omnino Medicæ artis imperitus Galenum prius, quam in Italiã irem. De iis, quæ meam cognitionem effugiebant, Præceptorum ſententias exquiſiui. Ex Italia reuerſus Periochen atq; alia ſcripſi, neq; tunc veterum ſcripta depoſui. Cum in Aulam veniſſem, & D. Iulium Galenum in manibus perpetuo habere viderem, atque in omnibus colloquiis medicis magis me autoritate Galeni, quam ratione vrgeri, ipſe totum Galen. iterum totis nouem annis ita mihi familiarem reddidi, vt nulla dies abierit, quin non aliquot pag. ſingulari attentione perlegerẽ. Vbique in itineribus, caſtris, &c. mecum aliquot libellos circumtuli. Nec minori ſtudio in

Gonorrhœa Gallica ſymptomata.

Lectio Cratoniana.

Praxis optimus Hippoc. commentarius.

dio in Hippocrate ſum verſatus, ſed vt veriſſime dicam, quod ſentio, nulla commentaria tam me in lectione Hippoc. adiuuare potuerunt, quam ipſa praxis. Hæc cum iis, qui nunc Hippoc. nobis illuſtrare ſtudent, deſit, quam frigide ſępe nos doceant, animaduerto. Scribo iſta, quia te amo, & amorem meū perſpicere cupio. Nemo multa ſimul agit, & eadem recte. Cura ſit animulæ, cura multorum corporum, quæ tuæ fidei ſe committūt. Hoc ſi feceris, non dubites, quin cætera ſit adiecturus Deus. Non dat omnia omnibus, neque omnia vult nos nobis ſumere. Feras æquo animo ſi alii te fortunatiores ſint. Te oro, ſi tibi de paralyſi poſt dolorem colicum non ſatisfeci, vt furioſos ſpectes, qui in animi perturbatione magnas machinas, & maiora viribus mouent, cum ad ſanam mentem redierunt, & materia ad exteriora delata, nihil virium habent. Videas in illis παρειμένας χεῖρας, ſatis apparebit cauſam non eſſe in neruorum principio. Quid igitur communem methodum curandi in paralyſi ſequimur? valde ſum debilis, & hæc ſumpto cibo ſcripſi, cum mihi paulo validior videret. Boni conſulas, & vberrimas tuas gratiſſimas mihi futuras exiſtimabis. Bene vale. 11. Febr. Anno 1582.

Paralyſis poſt colicam.

EPIST. CLXV.

IDEM EIDEM.

DVAS à te habeo epiſtolas, quibus Kal. & 5. diem Martii adſcripſiſti. Non poſſum ad omnia reſcribere, cum hæc affixus lecto, quo hoc octiduo raro ſurrexi, dictare cogar. itaque breuitatem epiſtolę boni conſules. De paralyſi poſt colicam miror te dubitare, cum ſacris ſententiæ meæ ſuffragetur. Dubitationes tuas vnica illa ſententia Hippocratica diluit: In corpore humano viuo omnia eſſe transfluxibilia & tranſpirabilia: Quidui æque ab inteſtinis ac à neruis ipſis in totum corporis habitum hęc materia deferri poſſet? Non colligitur in muſculis, & eorum neruis ac tendinibus, ſed magno impetu, ſicut alia multa ab interioribus corporis partibus deferri videmus, hæc quoq; ad exteriora defertur. Neque materia plane craſſa eſt, ſed ichoroſa & bilioſa, etiam ſi deinceps in exterioribus refrigeretur, & craſſior euadat propter primam originem & caloris defectum. Abſurdum quod tibi videtur: expellere inteſtina excrementa, quæ recipere apta & nata ſint, mihi non videtur: Nam cum in inteſtinis ſit obſtructio in colico dolore, & ea materiam per ſuas vias depellere nequeant, expellit natura eo, quo maxime poteſt. Non autem eſt vera criſis. Multa enim craſſa materia remanet, ad quā attenuandam calidis iſtis oleis vtimur. Non nego materiam ex capite & aliis locis affluere, neq; hoc, vt arbitror, ſcripſi. De conſiliis memorem admones: faciam quod potero. Sed ita maraſmo conficior, vt vix oſſib. hæream. Itaque raro lecto ſurgo, & cum paululum me commoueo, ita debilitor, vt concidam. Dn. Callopedius literas ad me miſit, quibus ſe iter velle ingredi, vt in aulam veniat, monet. Mœſtus & triſtis eſt parens, ac valetudinis ſuę, vt ego arbitror, non eam rationem habet, quam habere debebat. Mea conſilia tibi oſtendet. Caput hoc eſt, vt rectam victus rationem teneat, & potu illo ex ſarſapariglia, glyzyrrhiza & paſſulis vtatur toto hoc tempore veris. Si deinde ſerum lactis biberet, & infuſo ſenæ atque epithymi cum ſyrupo violaceo purgaretur, recte mea ſententia valetudini conſuleret. Abundat aduſtis humoribus, atque eos victus ratione auget. Me hæc de valetudine illius ad te ſcripſiſſe indicabis. Dictarem plura, niſi hæc ipſa nimis multa eſſent, & nihil difficilius facerem. Te oro vt amicos ſalutes, & vberrimas literas quotieſcumque recte poteris, ad me mittas. Bene vale. Vratislau. 18. die Martii. Anno 1582.

Transfmiſſio materia morbifica in paralyſin poſt colicam.

EPIST. CLXVI.

IDEM EIDEM.

EAs literas, quas diſceſſurus Praga ad me miſiſti, hic in Rucuriano, quo nudius quintus veni, accepi. Vberrimas autem Vratislauiæ ad te dedi, quas ſpero præfectum equis diſpoſitis, tibi redditurum. Cum vero in tuis deſiderium mearum litterarum mihi demonſtres, gratum eſt de ceſſatione me appelari. Quis enim literas ab inimico expectet? Quis de eo quem non amat, & à quo amari deſiderat, quæritur? Non libet in hanc ſententiam ſcribere plura, cum mea manu nequeam; ea quidem infirma eſt, vt nihil niſi vacillantibus literulis exarare poſſim. Ad ζητήματα tua quod attinet, quid reſpondeam? De exhibito aliquibus decocto corticum frāgulæ aliquid audiui. Si aluus nigra eſt, vt Anglici Herbarii exiſtimant, nullum dubium, quin vi purgante ſit prædita: Quis autem ægroto purgans medicamentum toties velit propinare? Pena quidem & Lobelius in ſuis ſtirpium aduerſariis frangulam cortice nigro, glaucis maculis aſperſe, libro ſubtus flauo, vomitum ciere, & aquas ſeceſſu deturbare ſcribunt; & Tragus noſter huius arboris flauum & medium corticem cum aceto tritum & illitum, ſcabiem intra paucos dies ſiccare & ſanare, tanquam ſingulare experimentum recitat: Putredini etiam dentium decoctum corticis in a-

Cortex frangula.

Villebrochium.

ceto mederi, dolorem mitigare, & dentes purgare aſſerit. Scio Villebrochium habere quædam peculiaria, verum me tuta amplecti noſti.

Coctio humorum.

Ad alteram tuam quæſtionem, De coctione humorum in chronicis morbis, plurima poſſem reſpondere, ſi vacuo animo eſſem, ſcis coctionem naturæ opus eſſe, non medicamenti. Quæcumque igitur ad quandam æqualitatem calorem natiuum perducunt, ea coctionem haud dubie adiuuant, cum concoctio, teſte Galeno, nihil aliud ſit quam maturatio quædam humorum, qui præter naturam adſunt. Sed de humorum præparatione quæ ſerapiis & ſimilibus medicamentis fit, te ſcribere arbitror. Sunt autem in chronicis morbis duplices humores peccantes: vel aduſti vel craſſi & pituitoſi.

Aduſtorum.

In vere aduſtis rectiſſima eſt præparano per victus rationem humectantem & frigefacientem. Ea re in quartanis recte decoctum raparum, ſuccum pomorum & decoctum radicum borraginis, vel potius radicum eryngii exhibemus, quæ minus quam borraginis lentoris habent.

Bilioſorum.

In Bilioſis nihil præſtantius decocto radicum cichorii, etiam obſtructionibus ac crudis humoribus præſentibus.

Pituitoſorũ.

Semper enim in chronicis morbis ad obſtructiones reſpiciendum. Cum vero redundantis pituitæ manifeſtæ ſint notæ, quid oxymellite, & præſertim tenui Cinnamomiſato, vt ita loquar, quid ſucco & decocto cardui præſtantius? Cæterum cum de præparatione humorum agitur in chronicis morbis, de iis humoribus, qui ad naturalem ſtatum redite poſſunt, & quos contrariis alterari oportet, vt craſſum & viſcoſum incidere, &c. loquimur. Nam qui nullo modo alterari, & ad naturalem ſtatum redire poſſunt, iis epicraſi, ſi purgari nequeant recte, neque hoc vires concedant, medendum.

Villanouani liber elegans de coctione humorum.

Sed noctuas Athenas ferre prohibemur. Habes de his præſtantem monitorem Michaelem Villanouanum, qui præſtantiſſimum libellum de coctione humorum & vſu ſyruporum ſcripſit, vt de doctrina excellentiſſimorum duorum Medicorum Patauinorum Joannis Baptiſtæ Montani, & Bernhardini Paterni nihil dicam. Pagellas noſtras Valleſianas accepi, in quibus quo plura lego, eo

Valeſii ſtylus.

magis ſtyli duritiem, & ſcolaſticã quandam obſcuritatem, Theologis quidẽ propriam, Philoſophis barbaris nimis vſitatam, auerſor. Sed cum laudatus ſit à nobis, & res bonas eſſe, quas proponit, nemini dubium ſit, duritatem orationis in iis, qui nullo vſu ea, quæ in animo ſunt explanandi præditi videntur, ferre æquum eſt. Vtinam ſeculi noſtri Doctores in iis, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, cautius loquerentur, nec res diuinas, per quas ad DEVM, & veram lucem accedimus, obſcuritati verborum inuoluerẽt, ac tanquam noctuæ in tenebris latere perpetuo, quam lucem aſpicere deſiderarent. Certe oblatam lucem illos refugere, & veſpertiliones eos, qui offuſa ſempiterna nocte euolare, neq; in tenebras profundas ſcientes atque volentes ſeſe conIicere ſtudent, nominare eos apparet. Sed mittenda ſunt nomina vera vel falſa, & Deus orandus, vt in veritate atque luce nos conſeruet. Bene vale. E Rucutiano x. Iulii, Anno 1582.

EPIST. CLXVII.

IDEM EIDEM.

NONDVM quod ſciam Ribiſchil auriga aduenit, neque poſt eas literas, quibus v. Decemb. d. adſcripſeras, vllas à te habui.

In fluxione Podagricorum purgandum.

De quæſtione tua ſit ne durantibus doloribus podagricis atque affluxu materiæ medicamentis purgantibus fluxus diuerſione inhibendus, à multis eſt diſputatum. Rationi vero atque experientiæ contrarium, vel leuioribus, vel fortioribus medicamentis hoc tentare videtur. Leuiora enim materiam commouent, & magis ad membra dolentia præcipitant. Fortiora in imprimis corporibus non præparatam materiam, vim naturæ inferunt. Itaque rectiſſimum puto, ſumpta indicatione à natura rei, cum podagra ſub genere fluxionum & inflammationum, licet interdum non ſatis proprie, comprehendatur, enemate aluum, ſi aſtricta ſit, mouere, & ſanguinem è media cubiti vena, cæteris conſentientibus, quæ ad miſſionem ſanguinis requiruntur, mittere. A purgantibus vero medicamentis, niſi hoc euidens ratio ſuadeat, & neceſſitas poſtulet, abſtinere.

Purgatio periculo ſa motu humorib.

Scio Practicos, & inter hos Bayrum mirifice medicamentum quoddam vehementiſſime purgans commendare, ac memini non diſſimile Duci Ferrarienſi à Medicis pręſcriptum fuiſſe, hancque audaciam multos imitatos. Verum naturę vim facere, atq; præſcriptum artis negligere, minime medicum puto. Hiſtoriam, quam tu mihi narras, de quodam cacochymia laborante, qui articulari morbo oppreſſus neque purgatus, in Carum inciderit, quo triduum laborans extinctus ſit, veram eſſe credo.

Podagricus Caro extinctus.

Iuuari ne purgante medicamento potuerit, vel malum hoc modo auerti, cauſas conſideranti non eſt obſcurum. Defluere plerunq; materiam morbi articularis à capite conſentaneum eſt, licet magna pars ex reliquo corpore vel deiiciatur, vel ad membra affecta deponatur. In hoc ægro ſomnolenta affectione cerebri affecto caput laboraſſe, &

ma-

materia obrutum fuiſſe, non eſt dubium. Per Enemata autem diuertendam à capite materiam fuiſſe, quis non videt? Et quantum putas ea medicamenta, quæ humores omnes ſimul in toto corpore commouent, è capite elicere poſſe, præſertim ſi humor ſit craſſus, frigidus, & humidus, qualem in Caro eſſe, quem Latini Veternum, Arabes Subeth appellant, neceſſe eſt? Non diſputo de vocabulis; ſiue carum, ſiue coma appelles. Coma interdum febrem præcedere, ſæpe comitari conſtat. Humorem frigidum & humidum eſſe, cum ſit ſomnolenta affectio, nemini ambiguum. Tranſmiſſum vero, vel cum impetu ad partem principem delatum non arbitror, ſed potius tenacius in cerebro hæſiſſe, neq; potuiſſe à natura ad partes ſubiectas ex pugnari puto. Itaq; in calefaciendo capite tota curationis ratio, mea quidem ſententia, conſiſtebat. Deinde membrorũ ſeu articulorum affectorum frictione, vt materia quaſi ad fluxum concitatis doloribus irritata & repulſa à capite diſcederet. Mouenda autem ſternutamenta deinceps in eiuſmodi affectione, cum anteriorẽ partem cerebri affectam eſſe conſtet, idoneis medicamẽtis, ac ſicut in catalepſi poſteriori parti cerebri calorifica remedia admouere conueniens, ita in caro anteriori adhibenda. Habes breuiter quæ lecto affixus, librorũq; ope deſtitutus ad tuam quæſtionem reſpondere potui. Bene vale. Vratislauiæ Kal. Ianuarii, Anno 1583.

EPIST. CLXVIII.

IDEM EIDEM.

NVDIVS quartus ad te ſcripſi, & literas ad Wolzogium miſi. Interea aduenit Hobergius qui tuas attulit. Cõſilium quod Comiti Gurcano dedi in febri Maraſmode, nihil de arthritide habet, neq; is ea laborat. Oſtendere igitur volui, mihi diſplicere noua iſta medicamẽta ſine iudicio adhiberi. Quid vero de ligno ad D. Iordanum ſcripſerim addo, ſunt autem hæc: De ligno ſarſefras ſignificaui id quod eſt veriſſimum, me nunquã eo vſum eſſe, nec videre quo pacto inueteratum morbũ articularem curare poſſit. Fateor huius morbi præcipuam cauſam eſſe ſeroſum humorẽ in corpore ſupra modum auctum, & certo modo, ſiue putredine ſiue alio corruptum. Is enim facit vt craſſi & crudi humores ſint fluxibiles, & ad articulos deferantur, in quibus & ipſe inflammationis & doloris auctor eſt. Huius rei illud indicio nobis eſſe poteſt, quod ii, qui frequẽter ſudant vel copioſe vrinam emittunt, ab hoc morbo tuti ſunt. Simulac vero ſudor & vrina ſupprimuntur, malum præ forib. ſit. Itaque ſi quod de ligno affirmant, potenter vrinã educit, ac ſudores mouet, conſequens eſt magnopere iuuare poſſe. Cæterum cum calor natiuus in mẽbris diuturnitate morbi exhauſtus eſt, & natura paulatim, imo continuo ad articulos humores deponere conſueuit, ſane non video quid adiumenti adferre poſſit. Sed cum laudatores huius ligni affirment, coctiones omnes, & maxime vẽtriculi, illius vſum iuuare, caput roborare; cum etiam ſubducendo ichores, humores craſſiores & quaſi firmiores reddere neceſſe ſit, non obſto, quin illuſtris Promarchio eo vtatur, modo rectam & exactam victus rationem teneat. Vides, mi Monaui, me cum ratione vſum ligni non improbare. In ſacculis de Arſenico nullam rationẽ reperio, præter illam, vt cor veneno aſſueſcat. Quam autem hæc infirma & periculoſa ſit, & hominem rectæ conſcientiæ ſtudioſum minime ea vti deceat, ipſe intelligis. Etiamſi igitur ſexcentos autores, qui idem fecerint, commemores, mihi non perſuadebis. Ac cum tantopere me vrgeas, narro tibi vere Creckouium ita ex eo debilitatum, atque in pectore exulceratum fuiſſe, vt cum magna indignatione in arce Grauenſteiniana ſacculum abiecerit. Poſſem alios recenſere. Theſſalum illum feliciter vſurpaſſe nõ credo, etſi minime dubito, quin iſta ſit audacia vt hæc atq; alia exhibeat. Nam ante paucos dies puero cuidam puluerem epilepticum ex cinnabare viua confectum dedit. Non velim hoc facere ſi omnes homines mihi autores eſſent, cum robuſta etiam corpora vix illius vſum ferant, & quam grauiter ferant viderim. Sed cum audacia illi pro ſcientia ſit, atq; in arte ſua medica Fierouantum, nebulonem peſſimum, qui Venetijs eiectus eſt, Magiſtrum habuerit, hæc atque alia ab eo deſignari minime nouum. Ea vero vt homines celet, nullum ſibi in curatione adiunctum eſſe patitur. Sed de inſomnium, Braſſicanus male tibi narrauit de folijs ſi hyoſcyami eſſe dixit. Non ſatis commemini qualia fuerint. Iberidis vel Tabaci fuiſſe arbitror. Certum nõ ſcio, nec cauſam, quod in me memoriam tam longam & firmam requirere debeas puto. Dictarem plura ſi poſſem. Nam ad meum grauiſſimum morbum nudius tertius acceſſit dentis dolor, is deinceps autem & vniuerſum caput occupauit, abſceſſus in ore eſt conſecutus, itaque paululum quidem dolor remittit. Sed febris, quæ has fluxiones comitatur, ita me debilitauit, vt ægre ſpiritum ducam, imo ſuperiori nocte ſpiritum Deo,

Sarſafras non curat arthritidem.

Sacculus de Arſenico periculoſus.

Puluis è Cinnabare.

meo redditurum exiſtimauerim. Bene vale. Vratislauiæ xv. qui dies Cratoni Martyri in Calendario Romano eſt dicatus, Febri Anno 1583.

EPIST. CLXIX.

IDEM EIDEM.

AMo tuam in ſcribendo diligentiam: & tibi gratias ago, cum frequentes literas ad me mittis. Accepi autem eas quibus tu xxvi. diem Ianuar. v. & vii. Febr. adſcripſiſti. In iis vnum te agere video, vt me ad editionem conſultationum mearum Medicarum excires. Ego vero, mi Monaui, ſemper fui eo animo, vt prodeſſe quã plurimis ſtuderem, ac nunc ſum maxime. Sed quid poſſumus non valentes? Eſt Wendrichius noſter elegauti doctrina & ingenio præditus, & poſſe illum aliquid præſtare fateor, ſed vbiq; meum ſenſum ipſum callere atque tenere non poſſe ipſe intelligis. Ac ſi me iacentem videres, profecto deterreres potius à labore, quã ad eum ſuſcipiẽdum mihi autor eſſes. Cum belle valere aliis videor, in eas anguſtias ſubito redigor, vt de reddendo ſpiritu Deo meo ſit agitandum. Nolo narrare meas miſerias, cum tuis epiſtolis ſit perſolueudum. Illud vnum affirmo & confirmabo, ſi vitam & vires Deus ſuppetet, me officio meo non defuturum. Iſto modo iacens & lecto affixus, ac dum ſurgere nequeo, vel ad meos libros reſpicere poſſum, quid faciam vel pollicear non habeo. Ad ζητήματα Medica tua nihil reſpondeo, ſatisfaciet tibi, vt ſpero, exemplum epiſtolæ ad Ioachimum miſſæ, quod cum his erit. De Podagra vel articulorum morbo, cum præcipue indicationes à nocentibus & conferentibus ſumantur, & omnibus qui veram corporis ſui curam gerunt, perſpectũ ſit, tum minus à morbo periculum eſſe, cum vel ſudant, vel multum vrinæ reddunt; Imminere autem malum quando ſeroſa excrementa non expurgantur; ſatis euideus & magnum eſt indicium, ſeroſorum humorum retentionem vel copiam in corpore auctam, huius morbi præcipuam cauſam eſſe, & totam præcautionis rationem in eo conſiſtere. Nee vel in corpore accumlentur, vel tempeſtiue expurgentur. Deinde vt craſſi quoq; & crudi humores non ſint nimii, atq; membra exteriora vel debilitentur, vel calor naturalis in illis deficiat. Id ſi cauebimus, craſſi humores abſq; tenuioribus non fluent: neque membra laborantia eos ſuſcipient, niſi longo morbo debilitata paulatim natura in ea deponat. Malo autem iam confirmato, præſertim in intemperantiorib. labor Medicus eſt irritus; ſicut & in illis qui nimio vſu venereorum, vel commotionib. animi humores præcipitant, & calorem natiuum exhauriunt, vel vino ſeſe obruunt. Actu ægrotantes in tanta diuerſitate humorum curare difficile eſt, præſertim cum vix vllus Medicus tam ſit perſpicax, vt tempora vera fluxionum poſſit diſcernere. Sed de his ſcripſi nuper, & profecto non ſine magno labore iſta dicto. Tibi tamen deeſſe, quando tanti facis nugas noſtras, non debeo. Scribo nunc admonitiones quaſdam de valetudine N. N. tuenda & recte curanda. Multa enim obſeruaui, quæ fortaſſe aliorum cognitionem effugerunt. Alias etiam vias veræ curationis perueſtigaui, & remedia tutiora & faciliora reperi. Illud de Antimonio in Hydropicis, non ex animi mei ſentẽtia, verum aliorũ ſcripſi, ſemel hydropico perſuaſus dedi. Nihil profuit. Ne nocuerim Deo gratias ago. Medicamentum è raparum ſucco atq; camphora fateor me præſcripſiſſe multis. Sine vlla noxa datur: ſed ratio iuuat. Multo plus tribuo floribus perſicis, qui ſiccati etiam & infuſi mira facilitate humorem aqueum ex vniuerſo corpore per ventrem educunt, neq; vllam noxam inferunt. Ad exiccandum autem ſi quid intra abdominis muſculos detinetur, Emplaſtrum è caprarum ſtercore cum cimino & aceto plurimum valet. De Thermis ac potius aquis frigidis Manderſdorffenſibus cum multis erras. Perdunt articulorum doloribus oppreſſos, neq; quicquam aliud, quam nitrum continent, parumque ab omnibus fontanis aquæ Viennæ, quæ omnes nitroſæ ſunt, differunt. Sed apud multos opinio vim veritati affert. Nũquam his quatuor menſibus grauius & periculoſius laboraui, quam ſuperiorib. proximis diebus. Heri, cum inedia cõfectus, multas libras pituitæ toto morbi tempore eiecerim, vino tẽperatiſſime ſim vſus ac aliquot diebus ab eo plane abſtinuerim, carnes modice attigerim, ac ne vnciam quidem toto hoc menſe comederim tamen, vt dixi, heri, materia delata eſt ad dextrum pedem, & inflammatio conſecuta, quæ tantos dolores fecit, vt etiam ſomnum mihi ademerit. Profecto hoc in corpore macie contabeſcente fieri, monſtri ſimile eſt. Paulatim cor quietius eſt, & πταλμὸς minus grauis. Quid de me futurum ſit, Deus nouit, ad quem omnia refero, & illius benignitati me committo & commendo. De Thracia adeunda, miror tibi ea quæ ſcribis in mentem venire. Quid à barbaris præter barbariem referimus? Et quæ ſtultitia eſt, tot periculis ſe obiicere, vt ea videat quorum recordatio per omnem ætatem.

Podagra.

Antimoniũ in hydropicis.

Succus raparũ cum camphora.

Flores perſici.

Thermæ Mãderſdorffenſes.

Aquæ fontanæ Viennæ omnes nitroſa.

ætatem doloris ſenſum adferat? Mirifice ineptos eſſe, qui ex eiuſmodi rebus laudem quærunt, vel ſcientiam, & magnarum rerum vſum ſe conſequi arbitrantur, exiſtimo. De Valeſio certe comperi, eſſe in eo aliquot pagellas typis deſcriptas. Itaque cum Procemium mutare non poſſem, epiſtolam tuo nomini inſcriptam, qua meã vehementiam corrigo, addidi. Medici Poſnanienſes me de valetudine Comitis Andreæ Curcani conſuluerunt. Non ceſſit feliciter vſus illi ligni Sarſifias. Iterum Indica quædam ædita ſunt Venetiis, vt ex inſanis ſtulti fiant. Sapientiæ tamen de Cotoneo ligno non accedo, & in decocto plura ſunt inſigni vi prædita, vt Zedoaria radix, Guaiacum, &c. quæ longe vires Cotonei ſuperant. ſed de his ſcripſi nuper. Non video quid præterea tuis literis reſpondendum ſit, & dictando ſum defatigatus. Bene vale, & amicos ſaluta. Vratiſlau. 12. Febr. Anno 1583.

EPIST. CLXX.

IDEM EIDEM.

EAs tuas literas quibus Scutellarii addideras accepi. Nec habeo quid iis reſcribam. Cum autem Scutellarii ſit perſoluendum, nolui ſine meis ad te peruenire, & ne quid me tibi denegare, & inuidentia mea occultare, vt falſiſſime accuſor, arbitreris, peruulgata etiam recitabo. Non pauci Medici lignum ſanctum, quod & Palũ ſanctum appellant, atq; Guaiacum, eiuſdem eſſe arboris arbitrati ſunt, verum Conſaluus Ferrandus Hiſpanus, qui ipſe in Indiis fuit, diuerſa eſſe oſtendit. In Ferneliani libelli Cõſilio 12. quod Dn. du Perat ſecundo dedit, bis, ni fallor, Palmæ ſanctæ meminit. Illud vero conſilium cum ſit ſcriptum Anno 50. nec dum temporis ligni ſancti frequens vſus fuerit, Guaiaci vero maximus, plane exiſtimo Fernelium lignum Guaiacum & ſanctum pro eodem habere. Poſſum in hoc errare. Certum eſt autem, poſteaquam multis perſuaſum fuit, medullam illam nigram Guaiaci plurimum gallicis prodeſſe, raro deinceps lignum ſanctum cum Guaiaco allatum. Cæterum quod in ea deſcriptione potus, quæ folio vigeſimo primo eſt, Palmã ſanctam, & Guaiacum ponit, Typographi errore factum puto, qui ſæpe pro cinnamomo Guaiacum in iſto libello ſcripſit. Quid enim tres drachmæ Guaiaci ad libras aquæ ſex facerent? Sed vt vt ſit, Guaiacum à Ligno ſancto differt, & ſanctum lignum magis ventric[illegible]lum roborare, atq; in articularibus morb[illegible], & omnibus, quæ à fluxionibus oriuntur, [illegible]rodeſſe, cum Guaiacum tantum

Lignum ſanctum et Guaiacum diuerſum.

Guaiacum falſo Gallicis prodeſſe, ſed ſanctum lignum [illegible]

in lue Venerea adiuuet; exercitatis Medicis re perſpectum eſt. Reperiri vero etiam nũc inter Guaiacum lignum ſanctum animaduerti, & ipſe ſatis magnum palum Ligni ſancti ante annos quindecim Venetiis accepi. Pondere, grauitate, & duritie parum differunt. Sed ſanctum nigram medullam non habet, & cortices cineritii ſunt. Affertur ex inſula S. Ioannis, quemadmodum Conſaluus oſtendit, & Indos in lue Venerea exiguis ramulis deſciſis vti atq; ſingulari ſtudio aerem & mulierum cõſuetudinem fugere affirmat. Magis profuiſſe ad multos alios morbos quam Guaiacum idem autor affirmat, & inediam atq; copioſum potum atque abſtinentiam ab acidarum vſu in primis præcipit. Habes quæ de palma ſancta ſcire voluiſti. Vlmi decoctum nunquam propinaui. Corticum vero cum aqua ſalis decoctũ dolentib. articulis felici ſucceſſu ſæpe adhibui & contra defluuium capillorum in lixiuio ſum vſus. Camutius poſt reditum ſuum ex Hiſpania, cum febre correptus eſſet, ſibi ipſi ſexagenario 25. vncias ſanguinis detrahere eſt auſus. Nugatorem eſſe eum, qui de terra ſigillata Anvvaldenſi ſcripſit, ex literis Ioachimi, & aliorum intellexi. Verum bolum & veram terram ſigillatam Turcas nobis inuidere ſatis eſt perſpectum. Bene vale. Vratiſlauiæ 27. Maii. Anno 1583.

Vlmi uſus.

Terra ſigil. Annualdi.

EPIST. CLXXI.

IDEM EIDEM.

CREDE mihi, mi Monaui, ipſo morbo grauius eſſe hoc quod de fluxis & caducis bonis meo afflictiſſimo iſto tempore cogitare cogor. Itaque & ſæpe oraui, ne quid de negotio meo diſputares, vel ad me ſcriberes amplius. Verum tu ibi temperare non potes, ſed mitto iſta. De cura febrium peſtilentium ſignificaui antea me ſententiam meam Magnifico do. Schonfeldio ſcripto expoſuiſſe. Non video cur eam mutem. Sæpe dedi puluerem lapidis Bezoar. Nihil profuit. Diaſulphure vtatur qui volet. Sulphur noſtrum quomodocumque præparetur, etiamſi ſudores propellat & ſiccet valde, maxime humanis corporibus eſt noxium. Imo vina fumo ſaltem imbuta non ſine periculo bibimus. Decoctum lentium laudo, ſed tamen non eſt ſimilis ratio in exanthematis & petechiis vtendi. Vnguentum ex Nitro Aetii in Italia miro ſucceſſu ſemper eſt adhibitum. Poſt 9. vero diem elicere velle maculas inane eſt. Sacrificationes & omnes cutis exulcerationes plurimum laudo. Viriũ cõſeruatio præcipue nobis debet eſſe curæ. Crede mihi potus continuus in quo ſit cornu cerui, plus auxilii, quã omnia alia

Petechiæ.

Sulphuris uſus.

Vnguentum exuſtum.

Cornu cerui.

Pill. Iuuentutis. medicamenta affert. Terræ Lemniæ, ſeminibus napi & acetoſæ plurimum tribuo. Vinum fugiendum. A capite materia omnib. *Fluxiones Peſtil.* modis diuertenda. Arnoldum mnltis annis non inſpexi, ſed ni fallor ille pilulas iñ iuuentutis Aloem roſatam vocat. Locum certe non poſſum ſignificare, cum meos libros attingere nequeam. Tuas medicationes à Deo fortunari opto. Peſtilentes fluxiones alui frequentes in Auſtria animaduerti. Ad præcautionem conſeruam roſarum veterem cum Mithridato dedi. In curatione ad præpotentem cauſam reſpexi, ſtatim papirum Mithridato illitum vel vmbilico, vel ventriculo appoſui. Clyſterem ex decocto hordei in iure carnis veruecinæ cum radicibus Tormentillæ & vitello oui ſemicocto per clyſterem inieci. Pueris pulderem è Zedoaria, margaritis, & terra ſigillata dedi, addidi interdum Tragacantham. Multos beneficio Dei ſeruaui. Ab iſtis magnis compoſitionibus Enematum, lacte vſtulato, & cæteris nugis abſtinui. Facile læduntur inteſtina, & ne lædantur adhibitis clyſteriis *Turpethum minerale.* cautio eſt. De turpetho minerali ſcripſi publice Gallicos qui hermetica cura ſemel vſi ſunt, eo iuuari interdum non diffiteor. Audaciam noſtri N.N. & N N. me nunquam probaſſe, non obſcure illis oſtendi. Neſcio an ipſi eo ſint vſi, ſed vt perierit vterque non ignotum eſt. Alios etiam commemorare poſſem, niſi animus meminiſſe abhorreret. Nuncius de domini Trautſonii morbo valde me ſollicitat. Error eſt putare ſemina carminantia, vt vocamus, decocta, dolores à flatibus ſedare. De vino & vſu myrrhæ puto me monuiſſe, & ſi quid volet plenius ſcribam. Melamocephalus abeat & valeat cum ſuo Alchermes. Suaſi ne vtantur lapide Lazuli & ſerico tincto granis chermes, veraſq; rationes oſtendi. Si ſequentur conſilium meum haud dubie gratam & ſalutarem cõpoſitionẽ præparabunt. Vellem Claudium & Aubrium Fallopii opera ad me mittere, cum Aubrii rogatu præfationem ſcripſerim ægerrime valens, ac potius vno die dictauerim. Adegit me maledicentia N.N. vt quædam ſcriberem, quæ ſcripta nolim. Ego periochen methodicam, vt pro D. Iulio Argenterio reſponderem, foras dedi. Mea cauſa cum nihil amici faciant, dum viuo mihi ipſi deeſſe non debeo. Mallem autem alios pro me ſcribere & loqui. Sed dormit vetus gratia. Bene vale. Vratislauiæ 14. Octob. Anno 1584.

EPIST. CLXXII.

IDEM EIDEM.

HAc propemodum hora, ea quæ tibi in libello meo tamquam parum explicata aut ſcribendo deprauata notare, meque de his monere viſum eſt, accepi. Vellem literas tuas paulo firmiorem me reperire; quam ſum. Plane enim me tibi ſatisfacere poſſe conſiderem. Sed cum ea ſim valetudine, vt nec ad libros, nec ſcriptum illud quod miſi, reſpicere nunc poſſim, quid faciam? Satis autem certo ſcio, mihi nunquam in mentem veniſſe ſcribere: Contagii vocem apud Galenum in Epidemiis reperiri. Priuatas febres, ſeu ἰδίως πυρετοὺς καταλαμβάνοντας τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρὶς γνωμῶν, appellare peſtilentes quaſdam, è putredine ortas, *Publica Peſtil. febres Gal. quæ.* oſtendi. De contagioſis, quas ego publicas dixi, nihil ſcripſiſſe, ſæpe repeto. Cæterum peſtilentes à putredine ortas, ſiue ſunt ἀρρειδεῖς, ſiue plurimis pernicioſæ, diſcernere ab iis quæ grauiter graſſantur & vere peſtilentes ſunt, de illius ſententia me colligere poſſe indicaui. Quod autem tu obiicis, ſi ex publica cauſa oriantur peſtilentes; non recte priuatas dici: ad iam antea à me reſponſum eſt, fateri me, priuatas peſtilentes ex communi cauſa oriri, videlicet ex aere vel victus ratione; etiamſi non ſint contagioſæ: de voce, priuata & publica, me nolle pugnare. Hoc vnum ſatis eſſe duco oſtendere, eas febres quæ contagione corpora contaminant, longe alias eſſe quam iſtas, de quibus veterum ſcripta nos docent, imo veteribus fortaſſe ignotas. Febres enim, in quibus etiam eſt ſumma putredo, niſi ad illum gradum deueniant vt ποιότητα λοιμικὴν habeant, neque nobis neque veteribus fuiſſe contagioſas apparet. De morbida vero exſpiratione ſeu μιασμάτων natura, alia eſt diſputatio.

Quod vero arbitraris ex mea ſententia conſequi, vt peſtilentem contagioſam, peſtilens non contagioſa ſemper præcedat, erras. Nam peſtilens non contagioſa, nunquam erit peſtilentis contagioſæ cauſa: niſi (vt dixi) putredo ad eum gradum perueniat; vt ποιότητα λοιμικὴν habeat, ſeu vt ſeminarium contagii in corpore generetur, & ſimilem affectum in alio corpore excitet. Vbi vero contagioſa peſtilens propagatur; nihil niſi contagioſam peſtilentem excitat. Et contagium ad cauſas externas; putredo ad internas cauſas refertur. Miror tibi hæc obſcuriora videri, cui nõ modo verba mea, verum intimum etiam animi mei ſenſum perſpectiſſimum putabam. Sed ætas nos ad omnia ſegniores facit. Itaque in ſententiis quoque noſtris explicandis difficiliores ſumus: & in verbis etiam parci. . d ad rem redeo.

In

In priuatis corruptionem humorum ſanis corporib. aduerſam eſſe, ſcio me ſcripſiſſe: verum quod inde colligi cenſes, priuatas peſtilentes omnes contagioſas, nequaquam tibi concedo.

Contagione autem contaminatis corporibus aerem per admiſtionem inqninamentorum, quæ continuo exhalant, eiuſmodi concipere poſſe vitium, vt deleterius & inimicus naturæ euadat, ingenue profiteor. Raro vero id accidere, niſi per ſe aer quoque mutetur, ſeu in ſubſtantia ſua corrumpatur, quocumque nomine iſtam corruptionem voces, exiſtimo. Contagioſis autem peſtilentibus vrbe vel regione infeſtis, ſubinde nouis fomentis quaſi aeris malitiam augeri dum plurima corpora laborant atque extinguuntur, tibi largior: & ante multos annos ſcripſi, ex hac vna cauſa peſtilentis conſtitutionis incrementa dependere.

Petechia. De Petechiis ſeu maculoſis febribus exigua ſignificatione hoc oſtendi: eas, in quibus initio ſtatim maculæ apparent plerunque contagioſas eſſe. Vbi vero quarto die primum erumpunt, minus contagionis periculum. Statuo vero cum Ariſtotele & Galeno: omnes peſtilentes, ſiue à ſumma putredine oriantur, ſiue à contagione ſola, periculo non vacare. Ideoque conuerſationem ſeu conſuetudinem cum illis minime tutam eſſe. Nam & corpora prædiſpoſita à peſtilentibus febribus, quæ à ſola putredine ortum habent, poſſe affici, etiamſi ſimilis morbus, vt in contagioſis non conſequatur nulli dubium eſt.

In voce contagii nolui ſuperſtitioſe Grãmaticos imitari: qui contagium tamquam effectum: contagionem vero tanquam cauſam exponunt. Ego quid de rebus ipſis ſentiam, perſpicue oſtendere conatus ſum. Sine hoc aſſequutus, neſcio. Libentius vero & liberius vocabulo latino contagionis, quam contagii me vſum, fateor.

De putredine totam diſputationem ſciens & prudens non attigi. Omnia mutare in libello, dum eum ad te mitterem, quæ mutanda videbantur, cum in ſumma valetudinis infirmitate vix relegere poſſem, non potui. Veniam vt ſpero dabunt æqui lectores: qui me ea valetudine eſſe ſciunt: vt neque libros ipſe adire, neq; manibus diu ſuſtinere oblatos poſſint: & ſatis eſſe putabunt me de peſtilentib. febribus à putredine ortis: atq; è contagione hauſto inquinamento multis exitioſis, ſententiam meam oſtendiſſe.

Ea qu. :corpus εὐέμπτωτον reddunt generatim cenſere facile eſt: verum ad indiuidua quaſi accommodare, non mediocris ingenii & iudicii præſpicacitatis. Nihil dicam de prouidentia diuina verum ἰνργατφορίας iſtas, imo quod quædam corpora plane non afficiuntur, habere peculiares atq; abſconditas cauſas non eſt dubium.

De formulis Medicamentorum addendis, iam antea quo ſim animo expoſui: nec mutor. Nihil doctis præſcribere volo. Indoctis autem & audacibus illa tradere, quid eſt niſi inſcitiam armare? Verum ſi tibi aliter viſum fuerit, morem geram, cum paulo firmiorum, quam nunc eſt, valetudinem Deus cõceſſerit. Hæc ſubito iis, quæ in ſcheda tua annotaueras, mihiq; inſpicienda tranſmiſeras, pellectis dictaui. Vt ſatis faciam infinitæ iudiciorum multitudini, non laboro. Te iſta in bonam partem accipere, operamque dare ne meus libellus cum meo dedecore exeat: etiam atque etiam deſidero. Bene vale. Vratiſlauiæ VI. Septemb. Anno 1585.

EPIST. CLXXIII.

IDEM EIDEM.

AD nodos Medicos ſoluendos nunc nõ ſum idoneus, cum & libris cæteam & tempore egeam. *Sanguinis nigri mictio.* Scis ipſe ſanguinem extra venas in colorem nigricantem per ſe propter eorum ſubſtantiam magis nigricare, contra putiorem eſſe eum, qui ex collo veſicæ excernitur. Itaque cum in iſto ægro haud dubie renes affecti ſint, non mirum ſi atet ſanguis excernatur. Pater tuus aliquot menſibus ante vitæ exitum ſanguinem atrum mingebat. Sed dubitauimus, vtrum è renibus, an ex vicinis locis prodiret. Vena rupta erat ex onere, & ſcis dicto illo Hippocratico: In corpore humano omnia eſſe confluxibilia, medicos multos nodos ſoluere. De gingiuis difficillima quæſtio: Sunt quidem τὰ σπερματικὰ μέρη: verum non ex toto. *Gingiuarum exulceratio.* Nam & carneas partes, & venulas inſertas habent, & vulnera τῶν ἕλκων ſanari videmus. De remedio quæris? Si gingiuæ à defluxione è cerebro laborant, nunquam reſtitui caro gingiuarum poterit, niſi fluxione ceſſante. Nam dentis nuditas, eſt vel temperie ipſius dentis ita læſa, vt gingiuæ quoque ratione dentis abſumantur, & minime adhæreſcant, vel neruoſis partibis læſis, vel ipſa ſubſtantia gingiuarum deperdita. Haud dubie nimis acribus epuloticis medicamentis chirurgi ſunt vſi. Molliora igitur & ſuauiora his cum ſarcoticis adhiberi oportet, & reliquum naturæ, quæ ſola carnem generat, committere. Habes meam ſententiam. De Me-

An melancholia & Apoplexia poſſint eſſe morbi hæreditarii.

lancholia plane diſputaui cum N.N. & de apoplexia poſſitne ea eſſe morbus hæreditarius. De Melancholia plane ad meam ſententiam acceſſit, & ab aliis interrogatus iiſdem propemodum verbis, quibus ad enm ſcribens vſus fueram, ſuam ſententiam expoſuit. De Apoplexia pugnat, & ad anguſtiam ventriculurum cerebri, qua propagetur, cauſam referr, minime recte. Sed de his plura ſcribere non vacat. Hippo. 4. Epidem. in ipſo dente Hegeſiſtratii nodos generatos recenſet. Cur igitur non in gingiuis? Vale.

EPIST. CLXXIV.

IDEM EIDEM

VT Medici, dum curatiua remedia parum proſunt παραχωρούμενα adhibent: ita & ego, cum N.N. conſilium a me expeteret, faciẽdum putaui. Victus rationem tenuem præſcribere, ne in mentem quidem mihi venit, imo ſi quotidie bouina, veruecina carne veſceretur, nõ repugnarem. Tuam iſtam regulam: In victus ratione magis ad quantum, quam ad quale reſpiciendum, nuſquam legi. Quis enim ſana mente præditus, niſi puer ſit, vel admodum famelicus, nimia quantitate ſe oneret? Certe qualitatis errata etiam prudentibus obrepere ſolent. De potu, cum præcipue ambigat æger, me tibi ſatisfeciſſe lætur. Vides quam Iulius Scaliger, qui 20. annis lecto decubuit, in iſto morbo plura viderit, quam ſani videre potuerunt. De topicis quod ſubſcribis meæ ſententiæ gratum eſt. In cauteriis adhibendis dum repugnas, & autoritatem Eraſti adducis, non moueor. Plurima enim exempla proferre poſſem eorum, quib. cauteria conſolidata lethalia fuerunt. Si cerotum raſo vertice adhiberetur omnino efficacius eſſet. Sed prodeſſe quoque poterit pilis ſuperpoſitum. De vaporario cur illud in hoc ægro non probem, rationes afferre poſſem. Scio plurimis ea profuiſſe, & me ſuaſiſſe etiam, nec ego obſto quin vtatur. Sudores autem in loco conuenientiores iudico. Puluerem Italicum, ac potius Tritemii, qui autor eſt melli acido non admiſcendum, iam antea monui. De margaritis & gemmis preparandis in mortario marmoreo nimis multa adfers. Inſpice magaritas præparatas poſt vnum vel alterum menſem, & videbis an non metalli color appareat. Vomitum ſubſecutum ex emulſione margaritarum, non propter margaritas, ſed quod aqua Cinnamomi in mortario æneo admiſta fuit, me commemoraſſe puto. Si non ratione moueris, fac periculum & aquã cinnamomi quæ in vaſe æneo ſtetit, exhibe. Videbis quam grata ſit ventriculo futura. Non quæ nobis apparent recta perpetuo recta ſunt. Vale.

Regula diætæ.

Cauteria conſolidata lethalia.

Aqua cinnamomi infuſa æneo vaſi mouet vomitum.

EPIST. CLXXV.

IDEM EIDEM.

DE ſtudiis recte ignota inſtituẽis oſtendi me nõ poſſe multa monere. Ita te doctiorem rediturum, ſi plurimum in Germania prius didiceris, & ſcripta Montani, Trincauellæ ac Donati Altomari legeris. Nam ſi peruulgata iã ſcias, tanquã quorundam commenta non admiraberis, & veterũ ſcripta cũ maiori iudicio leges. Methodus vna eſt nobis à Gal. monſtrata. Itaq; & mihi propoſitũ fuit eam perſpicua breuitate illuſtrare. Recte facis, quod profectionem in autumnum differs, non propter æſtiuos calores qui Patauii non ſunt magni: verum quod æſtate nemo propemodum docet. Propoſita ad diſputandum à D. Eraſto vidi. Galenus de rerum οὐσίᾳ diſputationes refugiſſe videtur, & cauſas atque accidentia morborum quæſiuit. Mouit hęc Fernelius & multos cõmouit. Ego Fernelio nõ applaudo, prodeſſe poſſe diſcentibus eius ſcripta iudico. Nec tueor Valeriolam, etiam ſi conatum illius laudem. De iis & cogito, & inquiro accurate in arte, quę vſum in vita habẽt. Vellem tamen ſcire, cũ omnis actio fiat in tempore, nec tẽperamentum ſubito poſſit diſſolui, cur venena & morbida expiratio in peſte ſæpe ſubito extinguant. Cur pulmo marinus ſolum pulmonem, cantharides ſolos renes, & veſicam exulcerent, illæſis aliis partibus corporis. Sed de his cogitationes meas explicabo, vbi propoſitiones legero. Illas de contagione legi. Et ſi recte memini putridum [illegible] totam potentiam ſubſtantiæ putrefactæ cõtinere dicit. Concedit putredinis gradus; vtinam eſſem ocioſus. Vale.

Fernelius.

Valeriola.

EPIST. CLXXVI.

IDEM EIDEM.

IN omni Melancholia τὸ πρῶτον δεινὸν cerebrum eſſe ſtatuendum. Sed cum cauſa antecedens eſt in hypochondriis, hypochoadriacam affectionem dicimus. Hoc vero nomine Arabes, non meſenterium tantum, & eius venas atque ventriculum: verum etiam Epar, lienem, & vterum muliebrem complectuntur. Humor vero qui in iſtis partibus continetur, & fontes morbi eſt: etſi frigidus & ſiccus ſit, plerunque tamen vapores, qui ad cerebrum aſcendunt,

Hypochondriaca [illegible]

&. [illegible]lius

& illius ſpiritus alterant: atq; imaginatricem turbant, corq; terribilibus ſpeciebus in conſenſum trahunt, non manifeſtis qualitatib. hoc facere imagines declarant. Hic hęrem⁹ propter imaginum diuerſitatem quæ vnã ſibiq; perpetuo ſimilem cauſam habere nequeunt, & hæc explicanda, ſi veras curationes indicatiuas elicere volumus, nobis ſunt. Tum neq; Gal. neque veteres ſemper μεσάραιον putauerunt inflammari; & ipſe Diocles hoc improbare videtur. Venas autem meſeriacas plerunq; obſtrui conſentaneum eſt. Inde feruor quidam præternaturalis calorem naturalem imminuens. Hinc flatus, ſapores acidi, vt Trallianus explicat. Locus iſte in Hippocr. de Leucophlegmatia corruptus eſt. Nam ſequentia cum iſtis non erant coniungenda, de quo Mercurialis me monuit. Maliem te artem, quam didiciſti præclare, agendo, quam diſputando confirmare. Vale.

EPIST. CLXXVII.

IDEM EIDEM.

CVM noſtro N. N. vereor ne actum agatis. Dictaui conſolationem podagricam, quando conſilia nihil iuuant, & de recta victus ratione imprimis egi, pauca remedia propoſui, quibus non tam curentur, quam iuuentur ægri. Probo vſum olei vitrioli, & cur probem veras cauſas habeo, eas ſcripto expoſiturus ſum; & ad D. Scutellarium, cum is omnia mea cauſa velit, atq; faciat, atque de his aliquid à me cognoſcere deſideret, miſſurus. Interea ne deſim, noſtro N. N. pauca de vſu mellis acidi ad eum ſcribo. Compoſitio autem mellis acidi hæc eſt: Accipiatur mellis roſati, vel quod in hoc corpore conuenientius eſſe videtur, ſyrupi de betonica ℥ iij. His adiiciantur nouem guttæ olei vitrioli. Accipiat primum de hoc vnum cochleare matutine ieiuno ventriculo. Deinde duo cochlearia. Poſtea tria, atq; ſic eo vt pergat, ab vno denuo incipiendo. Vſus illius eſt tutus ac ſuauis, & ventriculum humidum mirifice adiuuat, atque pituitam è corpore remouet. Non libenter interpono meum iudicium, cum vos curationem inchoaſſe intelligam. Si aqua illa quam bibit, meatus vrinarios non tranſit, nequaquam ſudoribus fidendum. Tam enim vrina, quam ſudores prouocandi ſunt, non ſudor ſolus. Vale.

Oleum vitrioli.

Mel acidum.

EPIST. CLXXVIII.

IDEM EIDEM.

NON ita dudum ad me ſcripſit Medicus quidam de Nuce vomica; & ego illi paulo ante meum diſceſſum Vratisl. reſpõdi, eſſe ſpongiam, quæ adnaſcatur frutici. Eius rei certa eſſe indicia, necare ſtrangulando, non canes tantum; verum etiam ceruos. Velim te mihi de chalcitide reſpondere; An ſit chalcitis illud, quod vulgo Calitzenſtein dicitur, & in Pharmacopoliis vitriolum album nominatur? De Melancholia hypochondriaca hoc reſpondeo, Non in ea vnũ locum affici; ſed epar, lienem, & meſaraicas, ventriculum etiam, & cerebrum per conſenſum; neq; vno & eodem modo illa ſemper affici. Inde illa ſymptomatum varietas. Sanguinem autem melancholicum, & feculentum in corpore eſſe oportet. Is efficitur talis cum maſſa ſanguinea vel aduritur, vel refrigeratur, vel proprio excremento non expurgatur. Aduritur ratione caliditatis epatis, ſicut ratione frigiditatis refrigeratur. Non repurgatur propter obſtructiones, quę à cruditate plerunq; proficiſcuntur. Vtcunque vero ſic ſemper relinquitur aliquid in meſeraicis erat, quod vel efferueſcit, hinc φλεγμονώδης διάθεσις, vel propter debilitatem caloris ſtatuatur. Vnde & φυσώδης illa Melancholia appellatur. Ac niſi hoc fieret, vapores qui proprie melancholiam illam ſeu; tenebras interiores in cerebro excitant, & metum atq; triſtitiam inuehunt, in cerebrum non ex hypochondriis aſcenderent. Hinc igitur cum propter conſenſum hypochondriorum afficitur cerebrũ, melancholia hypochondriaca dicitur, & ab ea melãcholia, qua cerebrum, vel ex toto venenoſo genere humore, vel vapore ad cerebrum delato, vel etiam in ipſo cerebro collecto laborat, diſcernitur. Flatus autem & βορβορυγμοὺς circa hypochondriaca eſſe; atq; hypochondriaca μετέωρα, vt Hippocrates inquit, non mirum. Cum autem materia non ſemper calida ſit, ideo neque ſemper feruor & inflammatio in venis meſeraicis, & ea ſymptomata atque melancholicæ ſpecies, quam Galen. ex ſententia Dioclis deſcripſit, apparent. Nam & pituita craſſeſcens melancholica ſymptomata creat. Imo putreſcens in pueris Quartanam efficit. Vapores autem delati per vniuerſum corpus, cum ſint craſſi, nec facilis illis exitus, laſſitudines, & ſegnitiem afferunt. Sicut cum in cerebro ab illis obſcurãtur ſpiritus, mœrores, & triſtitiam. Hinc in leucophlegmatia quoque præſagiendam melancholiam 6. Epidem. Hippocrat. ſcripſit. Quando autem non melancholici cruditatibus & flatibus laborant? Non poſſum nunc de his ſcribere plura. Sed illa ſatis ſunt præmeditata, quando cum hoc malo

Nux vomica.

Chalcitis quid.

Melancholia hypochondriaca.

mihi graue eſt negotium. Vtinam meas cogitationes cum doctis communicare, atque de iis, quæ me cura afficiunt, ſcribere liceret. Sed ſcis quid mihi interdicat. Bene vale.

EPIST. CLXXIX.

IDEM EIDEM.

Pretioſi lapides non in ære contundendi.

VEnit nunc mihi in mentem, quod de precioſorum lapidum contuſione in ære quæſiuiſti. De quo breuiter hoc reſpondeo, poſſe bene comminui gemmas, ſicut alia multa, quæ in ære corrumpuntur, in lapideis inſtrumentis, etiam ſi hoc difficultatem aliquam habeat, & Pharmacopeis moleſtum ſit. Sed crede mihi, moleſtia illa vtilitate magna non vacat. Amittunt enim gemmæ, plurima etiam ſemina, contuſione in ære, vires ſuas, & ab eo quod perpetuo reſudat ex ære, ab aere etiam adhæret, & in ſordes contrahit, malignitatem contrahunt. Id quod manifeſte apparet ex iis, quæ in ære diutius remanent, atq; p[illegible] eximuntur. Addo hoc, quod in vaſis æreis deſtillata cum aliis medicamentis tutu non miſeentur. Curauit hic Medicus quidam emulſionē margaritarum cuidam ægru fieri. Ea in mortario æreo eſt facta, ſimul ac vero æger aſſumſit, vomuit. Deguſtauit Medicus, idem ei euenit. Poſſem multa exempla recitare. Vtinam in obſeruatione talium rerum diligentiores eſſemus, melius nobiſcum, & cum ægris ageretur. Dn. N.N. de Lacomco ad me ſcripſit. Nihil agere iſtis ſudoribus, cum à capite materiam defluere ſentiat. Velim aperta ceruice, vel veſicatorio, vel ruptorio, exitum materiæ parari. Plurimis hoc remedium prodeſſe ad præcautionem re ipſa cōperi. Ne hoc negligatur moneo. N.N Viennam eſt miſſus. Ei de vino pueino mandata dedi. Parciſſime mihi vino eſt vtendum, Nam ventriculus multo difficilius coquit, dum vinum cibo miſceo, quam cum cereuiſia vtor. Ac quod mirum eſt, quæ nis calida calorem quendam præternaturalem in corpore augent, & me magis debilitant, quā adiuuant, cum tamen inſitum calorem diminutum eſſe certiſſimum ſit. Spiritus lucidos eſſe; ſed pertenues & paucos animaduerto. Itaque cogitationes etiam diu in nullam rem intendere queo. Vale.

Emulſio in mortario æneo facta mouet vomitum.

EPIST. CLXXX.

IDEM EIDEM.

Putredo Galenica & Ariſtotelica.

QVæ tu de putredine ſcribis, recte cogitata ſunt; ſed cum res differre videamus, quomodo definitiones congruere dicemus? Mutationem ad corruptionem, ſeu, vt rectius dicam, motum & naturalium rerum interitum, an idem dicemus? Et quibus modis probabit Eraſtus; calorem innatum de quo agit Ariſtot. & totam ſubſtantiam, de qua Galenus, idem eſſe. Certe reclamat Galenus in 8. de placitis Hipp. & Platonis, & 5. de ſimpl. medicam. facultatibus, cum calorem innatum ſanguineam, ſimulque aeream ſubſtantiam vna cum ſpiritu eſſe ſtatuit. Longe aliter autem calidum innatum Ariſtot. 2. de ortu animalium definit. Adhæc Ariſtot. cauſam efficientem putredinis ponit calorem aeris, & aquæ, ac omnia putreſcere, quæ infra Lunam ſunt, præter ignem, affirmat. Formam item eam ponit, vt putreſcentia primum humidiora fiant, euocato ſcilicet humore ad ſuperficiem, deinde abſumpto ſicciora, donec in fimum & cinerem redigantur. Quid horum ex Galeni definitione elicere poterimus. Quid quod Galen. tantum ea putreſcere exiſtimat, in quibus eſt humor excrementitius, laxa ſubſtantia, aut perſpiratio impedita. Nihil hic addam de fœtore, nihil de Auerrhoidis ſententia. Suntne obſecro Præceptores tui in ea ſententia, vt putredinem in occultis proprietatibus, atq; adeo in tota forma & ſubſtantia, qualis eſt peſtilens, item ab ictu venenatorum, &c. eandem eſſe, cum illa, quæ in manifeſtis qualitatibus eſt, exiſtiment? Et quomodo hoc probant? Mihi proportione quadam Galenica ad eam, quæ eſt ab occulta totius ſubſtantiæ proprietate accedere videtur. Ariſtotelis vero definitionem illam repræſent[illegible] qua res externo circumfuſi aeris calore depaſcente calorem naturalem, ſeu innatum, in fimum & cinerem rediguntur, alterationibus mediis intercedentibus. Itaque quæ ſpecie & cauſis differunt, vna definitione comprehendi nequeunt. Ac vnam partem definitionis Ariſtotelicæ Galenum amplecti, cum de ſanguinis putredine agit, oſtendit. De his nimis multa. Scribo autem iſta ad te vt Præceptorum tuorum ſententiam cognoſcam. Erras ſi me vel prolixiſſimis epiſtolis, vel meæ ſententiæ repugnantibus offendi exiſtimas. N.N. ſe Guaiaco vt ſignificauit. Nunquam ego recte guſtaui, multo minus bibere volui, & miror, homines hæc inſtrumenta ſanitatis tanti facere. Eraſtus Phthiſicum ſe curaſſe affirmat. Vt pulmonis vlcus ſanare poſſit, ſcite velim. Nam & ego mihi male ab iſto morbo metuo. Iam multis diebus purulenta mane magno conatu, & cum tuſſi reiicio. Caput tamen in iſto motu expurg[illegible]ri ſentio. Bene vale.

Eraſt. phthiſicum cu[illegible].

EPIST-

EPIST. CLXXXI.

M. MARTINO WEINRICHIO *Vratisl. Io. Crato &c.* S. D.

GRATVLATIO de reditu meo tua, amoris in me, & humanitatis pleniſſima, tam mihi grata atque iucunda fuit, quam ſolent eſſe omnia optatiſſimæ mihiq; chariſſimæ beneuolentiæ erga me bonorum virorum documenta, maxime cum ſciam, ab animo mei perquam ſtudioſo, eoque integerrimo proficiſci. Deus pro egregia hac tua voluntate tibi tuiſque benefaciat, boniſque omnibus cumulet. Ego certe quidquid in me eſt, ita in tua poteſtate ero, vt me optime tibi velle facile poſſis intelligere. De libro ad me miſſo magnam habeo gratiam, daboque operam, vt te ἀντιδώρῳ aliquid remunerem. Ad quæſtionem tuam quod attinet, malo, vbi ad me veneris, coram tibi ſententiam meam de eo exponere. Nuper eum Senatus idem rogaſſet pauca hæc ſcripſi Etſi maius malum eſſe videtur, quam vt naturalib. remediis tolli poſſit, tamen cum appareat ἐπιγένημα, vel potius μετάστασις eſſe epilepſiæ, adhiberem ea remedia, quæ epilepticis conferunt, prognoſtico prius prolato, periculum eſſe ne vel cum morbo vitam finiant, vel omnium membrorum πάρεσις cõſequatur. Purgarem initio corpus, prius tamen exhibito ſyrupo de ſucco cardui, deinde rectam victus rationem præſcriberem, ac ne quid præter decoctum ligni viſci quercini, atque cardui biberent, ordinarem. Exhiberem tandem vſitatos pulueres, qui dantur epilepticis, atque periculum etiam pulueris cum cinnabari natiua facerem: ſi quid hæc remedia prodeſſent ad alia deinceps prouenirem. Preces etiam piorum huic curationi plurimum adiumenti afferrent. Hęc tum ſubito exaraui, ſed cum caſum ipſum te pleniſſime audiuiſſe ex iis, qui iſtic viderunt triſte illud ſpectaculum, intelligam, coram, vt ſcripſi, colloquemur. Tu vt quam ſæpiſſime mecum eſſe poſſis vide, neque id mihi modo gratum fore confidas, verum tibi etiam non iniucundum aut inutile. Synopſin febrium, quam tibi communicaui, quamprimum retuleris, faciam, vt pleniorem habeas. Bene vale.

Epilepſia.

Decoctio ligni viſci quercini & cardui.

EPIST. CLXXXII.

IDEM EIDEM.

EX Illuſtri Domino Dudithio, cui te innot[...]ſe eſt quod læteris, intelliges, quo in loco hic res noſtræ ſint. Ego maxima contentione hoc egi, vt ex aula tandem dimitterer, Cæſar contra ſumma clementia me retinere, dum in Auſtriã eã ſuauiſſimis & humaniſſimis verbis ſtudes. Itaq; cum ad Monauium noſtrum ſcripſerit, huc te venturum, ſi ſcires, an me offenſurus ſis, id tibi ſignificare volui, ſatisfaciamq; voluntati tuæ ex animo, modo ne vltra hunc mẽſem protrahas. Valetudini ſororis tuæ συμπάσχω, ſed nihil periculi eſt, niſi grauius quiddam ſubeſt, quod ſubticuiſti. Fiunt dolores capitis plerunque per conſenſum, & in fœminis præſertim, ventriculi & vteri. Quando per conſenſum ventriculi, tum dolet fere pars anterior. Quando ab vtero eſt per conſenſum, non eſt curanda pars illa, quæ dolet, id eſt, caput, ſed membrum, à quo oritur conſenſus: ſi à matrice, propter vaporum aſcendentium copiam. Ergo matrici ſubueniendum, & ſi obſtructio, illa tollenda & aperiẽda eſt: ſi vetus intemperies, tum etiam vetus malum eſſe coniicimus. In veteri porro morbo eſt remediis lenibus, diuturnis, & paulisper ſubtrahentibus & alterantibus vtendũ. Si à ventriculo dolor eſt, medetur vel vomitus, idque ſubito, ſicut grauiſſimos dolores dentium videmus ſubito, ſimul ac euomit aliquis, tolli. Si a cruditate ventriculi eſt, imperanda eſt quies, ſomnus, abſtinentia & roborandus ventriculus aut fotu, aut inunctione. Fotus poteſt fieri eiuſmodi:

Dolor capitis per conſenſum vteri & ventriculi. NB.

℞. Roriſmarini.
Menthæ a.p.j.
Roſar.p.ß.

Fotus ventriculi, in cruditate.

Decoq. in vino ſ.q. & fomentetur ventriculus humectata ſpongia cum decocto, ſed expreſſa inter duas quadras. Si caput per ſe dolet, non conquieſcet dolor, niſi materia ad aliquam partem deriuetur à natura, vel eadem euacuetur. Euacuationes capitis non tendandæ, niſi vel bene euacuato toto corpore; vel medicamentis paulatim educentibus, eaque ſunt tutiora, ac recte dantur ante cœnam, vel poſt cœnam exiguam & parcam, quatuor horis ante, ſeu hora decubitus. Fuit hoc Fernelii ſecretum, quod multis profuiſſe aiunt:

Fernelii ſecretum.

℞. Aloes roſat. ʒ ß.
Spec. Elect. de gemmis ℈ ß.
Miſc. & reformentur pill. num. vij.

Sumantur autem, vt dixi, ſemper diebus alternis. Deinde & caput recte expurgetur, & tuto per apophlegmatiſmata, inter quæ tutiſſimum eſt vti iſto gargariſmate:

℞. Origani.
Rutæ.
Hyſſopi.

Apophlegmatiſmata.

Roſmarin.a.m.ß.
Roſar.rubear.p.j.
Pyrethri ℥ iij.
Zinziberis ℥ j.

Decoquantur in lib.ij.aquæ puræ ad decoct: conſumptionem mediam. Colaturæ expreſſæ & depuratæ adde aceti aceti ſml q. ſ. & detur in vitro. Hæc iube vt diligenter vſurpet, additis iis cautionibus, quas addidi. Quod ſi grauioribus remediis deinceps opus fuerit, mature me moneto. Vale & ſocerum tuum ex me ſaluta. Dab. Prag. Kal. Nouemb. Anno 1581.

EPIST. CLXXXIII.

IDEM EIDEM.

MVLTVM diuque Beniuenium de mirandis morborum curationibus, quæ ſiui in bibliotheca mea, neque vllis veſtigiis reperire potui. Sed quia te eius lectionem expetere animaduerto, iterum atq; iterum curabo inquiri, & niſi quis eũ abſtulit, quod in multis conqueror, fouentum ſtatim mittam. Nunc mitto magni illius Philoſophi contra grauiſſimum Germaniæ noſtræ Philoſophum diſputationem, in quibus ſane eſt aliquid, vt videbis, quod non prorſus conſideratione indignum videtur. Tu capita accurate conſignato, vt ſoles, & ad methodum tuam reuoca. Quod ad catarrhos attinet, quorum in priore tua epiſtola mentionem faciebas, illud cogitare te volo, & in catarrhis, & ſputo ſanguinis, non ſatis mihi tutum videri nimium diu & ſæpe eclegmatis vti, quia non tam illabuntur pectori, quam ventriculum & epar debilitant. Inde cruditatibus auctus caput magis repletur, & obſtructiones propter eclegmatum dulcedinem, quæ facit vt ſimul crudi humores attrahantur, fiunt, ac non raro ita temperamentum epatis corrumpitur, vt hydrops conſequatur. Itaque tutius eſt in iſto caſu vti bechicis, quæ in ore retinentur, & fumis, vt ex tuſſilagine ſicca & ſimilibus. In pauperum curatione, qui colicis doloribus infeſtantur, allium teratur cum ſale, & vmbilico applicetur. Si dolor eſt ex ventoſitate tantum, ſoluitur recondito milio in ſacculo & calide adhibito. In fluxionibus obſeruabis materiam ſæpe mixtam eſſe, & maxime ad tenuem eſſe in curatione reſpiciendum. In craſſis fluxionibus N. adhibuit decoctum hyſſopi & rutæ cum melle pro gargariſmate. Id recte fit in craſſa materia, quia valde abſtergit. Vtatur autem iſto decocto pro gargariſmate:

℞. Furfur. tritici m. j.
Decoq. in aqua pura, addito melle, & bene deſpumetur. vbi reſederit, percoletur. Vulgo in principiis fluxionum vtuntur tali, quia ſemper in principiis fluxionum aſtringentia vel roborantia ſunt adhibenda:

℞. Aquæ prunell. ℔. j.
Diamor.
Dianucum a. ℥ j. ß. Miſc.

Vbi graues ſunt exulcerationes ad detergendum admiſcetur mel, & interdum vna vel altera gutta olei vitrioli. Oleum enim vitrioli melli cum iſtum ita, vt ad vnicum vnam mellis roſati gutta vna vel altera adiiciatur, plurimum in vlceribus oris & gingiuarum valet. De Podagra nuper tibi multa communicaui. Dolorem podagricum ſedat, & cito ad maturitatem perducit, ſi vitellus oui miſceatur vino, & tepide applicetur. Vſitatum remedium eſt applicare, panem album imbutum lacte, cum vitello & croco commiſtum. Sed quia relaxat, & fluxioni quaſi aditum parat, non tutum iudico. Omnia vero quæ in doloribus adhibentur, priuſquam ſiccentur, detrahenda ſunt. quia ſiccata cum poros obſtruant, dolorem augent. Tu vero συμματικῶν Montanicarum lectionum, quam adeo feliciter me Authore in manus ſumpſiſti, & bonã earum partem in optimum ordinem redegiſti, ne deponas, etiam atque etiam oro. Mea opera ſi egebis, nullibi tibi deero. Bene & feliciter vale. Anno 1583.

Anodinum in dolore podagrico.

EPIST. CLXXXIV.

IOHANNES CRATO MED. *Caſ. &c. Laurentio Scholzio, Med. S. D.*

SI poſſem eſſe vt volo, nihil facerem lubentius, quam tibi tuiſque ſimilibus, quos vt par eſt, amo, & de illorum ſtudiis præclare ſentio. ad ζητήματα Medica reſponderem, verum cum me aula durius, quam velim exerceat, & curarum onus grauius, quam vires meæ patiantur premat, quæſo σχεδίασμα hoc boni conſule. Medicamentũ illud non eſt Helidæi, ſed Nicoli Florentini, qui ſi recte memini, ex continente Rhaſis deſcripſit. Sanguinem ex illius vſu craſſiorem fieri conſtat. Sitne autem hæc vera intentio in curatione ſputi ſanguinis, ſiue rupta, ſiue exeſa vena ſanguis reiiciatur, ipſe exiſtimare potes. Ego vſum diuturnũ chamædrios longe huic Electuario præfero, & ipſum Helidæum timidius illud exhibere, etſi vt ſua omnia ex Nicolo deſumpta magnifaceret, & venditaret, animaduerti.

Experim. Helidæi in ſputo ſanguinis.

Chamædrys in ſputo ſanguinis, &c.

ti. Non erat ſolide doctus Helidæus, ſed vſum artis magnum, propter hominum opinionem, ſibi eomparauerat. Fit enim maximus concurſus ad illos Medicos, quorum opera ij, qui ſapere videntur, licet interdum egregie deſipiãt, & ſtolidæ credulitatis pœnas dent, vtuntur. Bene vale. Pragæ è Regia. xv. Decemb. Anno 1579.

EPIST. CLXXXXV.

IDEM EIDEM

GRATIAM tibi habeo cum mei memoriam retines. Nihil ego amplius facere poſſum, quo vel mihi, vel aliis proſim. *Ἀτονία* tanta, vt ne excogitare quidem aliquid, quo paululum recreer, concedatur. Catarrhus acerrime me vrget, & ſingulis diebus, imo horis propemodum ad vitæ exitum vocat. De Erica puto me tibi dixiſſe. Reperitur in multis veterum libellis, & tutiſſimum remedium eſſe arbitror. Non feci periculum, neq; ſcio, qui ea ſit vſus. De nobili fœmina quã ſignificas, non dubites eam laborare Melancholia hypochõdriaca. Varius & difficilis eſt hic morbus, & ſæpe indicationes curatiuæ miſcentur. Rectius emplaſtris, quæ me ſcis adhibere ex ladano & cera, quæ calefaciant & humectent, vteris. Ad balnea, fomentationes & vnctiones iſtas varias nondum deuenirem. Bene factum quod in meo libello vertendo operam non ſumpſiſti. Litigant nunc de eo Typographi Norinbergẽſes & Francofurdenſes. Hæc conciuit D. Monauius, qui nimis magnam poteſtatem ſibi in meum libellum ſumpſit. Latinum quoq; ſcriptum eſt Francofurti editum. Eo me ſuis quæſtionibus D. Monauius redegit, vt duas epiſtolas libello addere fuerim coactus. Peſtis Pragæ præcipuas ſummorũ luminum Aulæ familias inuaſit. Itaq; magna trepidatio. Quid hic fiat neſcio. Inter chirurgos ſummas contentiones eſſe ſcio. Male igitur de ægris agitur. Meæ ædes in maiori ſunt periculo propter vicini malum. Deus nobiſcum ſit in tribulatione, & eripiat nos. Nihil poſſum ſcribere amplius, parcendum eſt ſeni, & qui ea curat tantum, quæ ad breui morituros ſpectant. Bene vale. Vratislauiæ 7. Octobr. Anno 1585.

EPIST. CLXXXVI.

DN. NICOLAO HAVNOLDO

Vratisl. Ioh. Crato S. D.

EXEVNTE Octobr. perſolui Epiſtolæ tuæ, quam frater tuus, è Polonia allatam, mihi reddidit. Interea eas tuas literas, quibus 4. diem Auguſti aſſcripſeras, ex aula mihi miſſas accepi.

DE BOLO ARMENA, afferatur ne ex Armenia, & an ex vicinis locis in Thraciam perlata adulteretur, multi ambigunt. Si quid explorati potes cognoſcere, quæſo vt perſcribas. Non pauci ſunt in ea ſententia, terram Caphenſem quæ non longe ab vrbe Conſtantinopolitana effoditur, adulterari & tingi, atque ita ad exteros pro bolo mitti. Non arbitror. Quæſo de his cum aliquo Medico agas. Affirmant nonnulli terram Lemniam, ſeu ſigillatam, vt vocant, eſſe bolum, qui ad nos adfertur. Hoc vt mihi perſuadeam adduci nequeo. Galenus cum in Lemnum cognoſcendæ huius terræ deſiderio nauigaſſet, à ſene quodam ſcriptum ſe accepiſſe affirmat, in quo fuerit hoc, Vomitum terram ſigillatam ciere aſſumptam, præſertim ſi veneni ſit ſuſpicio. Turcas vero in cibis vti, à multis nobis ſignificatum. Bolum autem Armenam cum peculiari quaſi priuilegio aduerſus peſtilentiæ contagium donatum Galenus affirmet, tamen Turcos in peſte plane & bolum Armenam, & terram ſigillatam negligere, neq; etiam lapidi Bezoardiço aliquid tribuere, noſtri homines, qui iſthic fuerunt, perſuadere conantur. Iterum oro, ſi potes, vt de his ex Medicis aliquid explorati cognoſcas, & ad me perſcribas. Multas terras in Hungaria, Sileſia, & aliis locis, ſimiles bolo Armenæ reperiri certum eſt. Verum deuehi eas in Thraciam non puto. Bene vale. Vratisl. 5. Decembr. 1582.

Bolus Armena. — *Terra Caphenſis pro bolo venditur.* — *Terram ſigillatam vomitum ciere.* — *Bolus Armena ad peſtem confert.* — *Lapis Bezoar.*

EPIST. CLXXXVII.

IDEM EIDEM.

QVAM mihi officium tuum literarium gratum ſit, mallem reipſa, quam verbis declarare, ſi in magnis locorum interuallis, & valetudine mea afflicta hoc recte fieri poſſet. Vix enim tantum eſt virium, vt dictare Epiſtolam, qua tuis humaniſſimis perſoluam, poſſim DEVM oro vt mihi occaſionem concedat, qua animum meum, ita vt erga te eſt affectus, oſtendere queam. Valde mihi gratum eſt, cum in literis tuis lego Illuſtriſſimum tuum Dominum miſiſſe Pharmacopæum in Lemnum, vt de terra ſigillata certi aliquid referret. Miror autem noſtrorum hominum oſcitantiam, qui tot & tantos viros in Aulis ſummorum Principum iſta terra honorant, & quaſi beneficio ſibi deuincire ſtudent, neque explorati quicquam quid donent, cognoſcere. Valde cuperem exiguam ſaltem particulam veræ terræ ſigillatæ, atque boli

inſpicere. Iſta quæ ſcripſerint Medici & tu ex amicorum ſermonibus refers, diu multorum literis ſunt conſignata. Rem ipſam nos habere vere, ſiue veterum, ſiue recentia iudicia conſideremus ſatis euidens eſt. Bene vale. Vratislauiæ 14. Maij. Anno 1583.

EPIST. CLXXXVIII.

IOH. SCHROTERVS, MED. CELEberr. &c. Iuſtino Petzoldo, Med. S. D.

EGo cum videam hoc tempore febres populariter graſſantes eiuſmodi conditionem habere, vt protinus omnes humani corporis actiones proſternant: primum equidem non caloris remiſſionem quærendam: ſed maximo ſtudio ſine vlla cunctatione in hoc incumbendũ eſſe iudico, quod antea ſæpe ſimilibus in caſibus me facere memini, vt augmentum venenoſitatis prohibeatur, ne hoc longius ſerpat, membraq; principalia corroborentur, vt ipſa ſe à venenoſitate tueri poſſint: non neglectis poſtea tamen, quæ moderate refrigerent. Nam hanc reſolutionem, quam febres hæ afferunt, omnino ſtatuo peſtiferam, ipſamq; venenoſam malignitatem eſſe, inficientem omnes ſpiritus & horum virtutes. Vnde in his exquiſite & copioſe euacuare nullo modo tutum erit, maxime cum alui fluxus copioſus eas ſæpiſſime comitetur, & ſi natura morbi, ægrique euacuationem patiuntur; illa qualiſcunque, vel per venæ ſectionem, vel pharmacum inſtituitur, moderata & ſine vlla violentia ſit oportet: adhibeanturque ſemper, quæ venenoſitati reſiſtunt. Operæ pretium itaque eſt: ſemper partium principalium corroborantia, & horum ſpiritus recreantia exhibeamus ægris cum in cibo, tum potu & pharmacis. Quare recte aluo ſubducto ſequentis pulueris in aquis ſcabioſæ, acetoſę, borraginis bis terve in die è ʒj. ad ʒj.ß. & ʒ ij. pro natura indiuidui exhibemus:

Pul. Alexia pharmacus

℞. Succini alb. ℈ ij.
 Sem. ocymi garyophil. ʒj.ß.
  acetoſæ,
  card. bened.
  citri a. ʒ ij.
 Rad. tormentill.
  diptami,
  gentianæ a. ʒ ij.ß.
 Boli armen.
 Terræ Lemniæ,
 Cinnamom. a. ℥ ß.
 Margarit.
 Hyacinth. præpar.
 Oſſ. de corde cerui a. ʒ ij.
 Sandal. omnium a. ʒj.ß.
 Miſc. f. pulu. ſubtilis.

EPIST. CCLXXXIX.

IVL. CÆSAR ARANTIVS, MED. Bononienſis, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.

CVm tabellarius Patauinus ad nos rediens, nullas mihi abs te literas tradiderit, id contigiſſe ſum arbitratus, quod in itinere diutius fueris, Patauiumq; nondum perueniſſes. Eo igitur hinc diſcedente, nolui committere, quin has ad te literas deferret, vt quid poſt tuum diſceſſum hic actum ſit, innoteſceret. Doleo primum maxime quod toto Martio menſe apud nos non fueris. Nam cum hinc, vt arbitror, decima nona Martij receſſeris, ecce quod vigeſima quarta eiuſdem grauida mulier expletis omnibus numeris in vtero fœtum continens, ex ſyncope, quæ vexari non raro conſueuerat, iam imminente partu; inter prandendum periit, paucoque interpoſito ſpacio acceſſitus, ea ſpe vt viuentem fœtum ſecto ventre extraherem: Cum igitur eam omnino deceſſiſſe perſpicuum eſſet, Deo adiuuante, fœtum marem, adhuc motu cordis aliquo præditum, extraxi, ſacromentoque Baptiſmatis inſignitus eſt, ſed, o bone Deus, quam cupiebam te meo lateri tunc adhæreſe, quemadmodum ex tuis cõdiſcipulis aliqui interfuerunt. Facile enim, quæ in commentario meo ſcripſi, vndequaque veritati reſpondere conſpexiſſes. Ad hæc vigeſima octaua eiuſdem mẽſis, facinoroſus quidam ſuſpendio mulctabatur, in quo præter cerebri, oculorum, & inſtrumenti auditus anatomen, pleraq; alia obiter, quantum pro aëris tempore licuit, adminiſtrata in diſcipulorum gratiam ſunt. Vide obſecro quanta acciderint. Quaſdam etiam notatu dignas curationes prætermitto. Interim me certiorem reddes, cui capſulam, in qua imago muſculorum recõdita eſt, tuo nomine reſignari velis. D. Franciſcus ad S. Victorem ſalutem plurimam tibi dicit. Ipſe vero tibi omnia, ſecunda cupio. Bene interim vale, & me, quod facis, ama. Bononiæ, quarto Nonas Aprilis, Anno 1579.

Cæſarea.

Anatomia capitis priuata.

EPIST. CXC.

IVSTINVS PETZOLDVS PHYSICVS Gothanus, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.

GRATISSIMÆ mihi literæ tuæ fuerunt, vel ob id inprimis, quod in fouendis

dis

da augendaque amicitia nostra constantiam tuam animaduerti. De qua etsi nunquam dubitaui, ea tamen animi tui significatione nihil mihi iucundius accidere potuit. De me viciſſim tibi perſuadebis velim, me ſanctam & perennem nominis tui memoriam apud me culturum eſſe: Et ζητήσεις mutuas laudo, quibus vis quædam ineſt, vt ea ratione ſcribendi officium continuetur, & amicitia confirmetur. Quæſtiones propoſuiſti duas. 1. Quid ſit id plantæ, quod Schroterus palmæ Chriſti nomine crebro in medicinæ exercitatione vſurpat. 2. An diuretica in calculo conueniant. Ad priorem antequam reſpondeam: amanter te rogo, vt D. Schroterum, quod ad tuas literas nihil ſcripſerit, excuſatum habeas, nihilque ſiniſtri de ipſius erga te animo ſuſpiceris. Coburgi eſt infinitis negotiis aulicis quaſi obrutus. In illuſt. principum Saxoniæ valetudinis ſuſtentatione Simonio ſucceſſit. Et animaduerti illum principibus & à corporis cura, & à conſiliis eſſe, ita vt ob plurima negotia rariſſime animum ad ſcribendum appellere poſſit. Palma Chriſti igitur ipſi eſt ex triorchidum ordine: mucronata folia habēs, porri ſimilia, latiora tamen, incurua, & humum reflexa, maculata: flores purpuraſcentes, odoratos, ſpicatos. Menſe Maio folia & flores emittit. Digitos citrinos Auicennæ eſſe arbitratur. In melancholicis & pituitoſis affectibus etiam nos vſu ab ipſo edocti vſurpamus. Syrupum enim è bulbulis illis confectum in officinis noſtris habemus, cuius deſcriptionem apud te eſſe opinor.

1. Palma Chriſti.

2. Diuretica in calculo.

Ad alteram vero difficilius mihi eſt concinne reſpondere, propter multiplices fallaciarum tricas, quæ dictu moleſtæ ſunt: vt tamen quod ſentio dicam, aſſenero: Diuretica proprie ita vocata, etiam purgato corpore in calculo perfecto & abſoluto non conueniunt. Id vt probem. 1. Diureticorum facultates, 2. calculi eſſentiales cauſas oſtendam. Diuretica proprie ſunt, quæ ſerum, aut craſſum, aut viſcidum, aut ſanguini permixtum, (hæc enim vitia ſunt, ob quæ vrina à renib. attrahi nequeat) attenuant, incidūt, fundūt & ſeparāt, & præterea vt alte ſubire poſſint, tenuium ſunt partium, & eximie ac inſigniter calida. Horum enim eſt eliquare, fundere, diſiūgere heterogenea, vt Daucus, petroſelinum, Ammi. De improprie diureticis, vtpote quæ ex accidenti, dum obſtructiones tantum expediunt, vrinæ emiſſioni conducunt, eamque non per ſe prouocant: nihil hic dicam. Nec de mediis, quæ frigida ſunt, & abſtergendi facultatem aliquam habent, vt ſunt quatuor ſemina frigida, halicacabus, radix graminis. Nam & hæc diuretica proprie dici non poſſunt, dum calorem alienum tantum reprimunt, & ad temperantiam ducunt, vt commodior deinde ſeroſi humoris ad renes fiat attractio. Sūt igitur nobis proprie diuretica tantum illa, quæ ſunt calida & ſicca tertio ordine. Calculi cauſa effectrix, præter inſitam diſpoſitionem calculoſam, & arenoſam, eſt ignea renum & partium circumſtantium caliditas, vt Aëtius, Alexander, & Paulus vno ore aſſerunt. Materialis vero eſt non tenax, viſcidus, & pituitoſus humor. Hic enim nunquam, etiamſi intenſiſſime vratur, lapideſcet: ſed craſſum, terreum & ſiccum ſerum. Iam ſi calculis curari debet, (fingamus enim illum cum Fernelij & Argenterij venia morbum) requiruntur proprie medicamenta attenuantia incidentia, ſubtilium partium citra manifeſtum calorem. Quæ enim calida ſunt, cauſas morbificas non auferunt, ſed augent: ita vt magis calculus excoquatur & dureſcat. Efficitur igitur diuretica proprie vocata in calculi perfecti curatione neutiquam conuenire. Perfecti dico. Nam vbi calculus leuiter concreuit, nec tenaciter compactus eſt, valido calore & exiccatione illud glutinis quo leuiter cohæret conſumitur vt in puluerem is collabatur. Deinde vbi ſunt multa calculorum fruſtula, quæ aut cauitati aut meatibus inhærent, vt ablutione & abſterſione opus ſit: diuretica conuenire poſſunt, vt violentia longi vrinæ profluuij calculi quaſi eluantur. Atque hoc modo ad propoſitas quæſtiones reſpondendum mihi eſſe iudicaui: quæ ſi iudicio tuo ſatisfactum non eſt, etiam atque etiam rogo vt amice me monere velis. Sententiam enim tuam lubenter audiam, nec doceri erubeſcam. Verum vt ζητημάτων aliquid etiam viciſſim tibi proponam, ex Aretæo vetuſtiſſimo ſcriptore ſententiam excerpam, eius enodationem abs te peto. Multis (inquit lib. diuturn. c. 12. ſub finem) in hydropicum morbum podagra cōceſſit, quibuſdam in deprauatam ſpirationem ſeu aſthma. Hæc vero ſucceſſio immedicabilis eſt atque ineuitabilis. Hoc pronunciatum Aretæi eſt de tranſmutatione & ſucceſſione hydropis & aſthmatis ad podagram ſeu dolorē coxendicis. Tu mihi data occaſione, expone cauſam huius ſucceſſionis & veritatis. Nam nuper in magno quodam viro hic obſeruatum eſt, quod vterque morbus & hydrops & aſthma ſimul dolori coxæ ſucceſſerit: & hæc vitia omnibus etiam dexterrime peractis fuerint inſanabilia. II. Cur hydrops nonnunquam Aſthma ſequatur. Ego quæ de hortuli tui

Diuretica quæ.

Calculi cauſa.

Diuretica in calculo perfecto non conueniunt.

Translatio hydropis & aſthmatis in podagram.

cultura ſcripſiſti, lubentiſſime legi. Habeo quidem elegantem & ſpacioſum hortum, qui multa capit, verum tamen quia, DEI gratia, pater familias ſum, non tantum Medicinæ ſtudioſus, nunc magis ſapida pyra, & longæua poma requiro, quam ſpecioſos rerum inutilium flores, & ſumptuoſa exotica. Studium tamen rei herbariæ non abijcio, & voluptatis cauſa non nulla colo. Helianthemum ad maximam altitudinem aſſurrexit, & nunc perpulcre floret, ſemina vix puto ad maturitatem ventura. De tuis rebus ſi mihi quid nundinis hyemalibus Lipſenſibus miſeris, grato id animo accipiam. Nihil autem quod mihi magis placeret donare poſſes, quam bulbum Tulipaceum. Nam è ſeminibus nihil mihi pullulat. Habemus hic febres vulgares de quibus ſententiam mihi ſuam D. Schroterus miſit ex aula, cuius exemplum tibi pro amicitia mitto. Eius filius Philippus cum magna laude & felicitate Ienæ artem medicam & publice docet & exercet. Diſputauit aliquoties cum magna omnium admiratione. Habes etiam hic Theſes duas, quas nuper propoſuit. Iohannes Fridericus Schroterus Baſiliæ etiam rem optime geſſit, & ob eruditionem, cuius aliquot diſputationibus inſignia ſpecimina edidit Doctoratus gradum adeptus. Rediit autem, vt Zuingerus mihi ſcripſit, in Italiam, qua curſim luſtrata. Monſpelium ſe conferet. Schneppius Iſnaci Medicinam exercet. Bene vale, mi amantiſſime Laurenti, & meo nomine officioſe & amanter ſaluta Dn. Schillingum, 7. Kal. Octob. An. 1581. Gothæ.

EPIST. CXCI.

IOHANNI CRATONI MED. CAEſareo, *&c. Manlius Conſtantinopolitanus. S. D.*

Brudi Luſitani de lapide Bezoar iudicium & experientia.

BRVDVM Luſitanum, medicorum huius regionis facile principem, & Sultanicis aromatibus præfectum, de lapide Bezoar, de terra Lemnia ac bolo Armena, aliisque id genus, iam aliquoties ſum allocutus. Itaq; quæ ille copioſe, ſed tamen confuſius, narrare ſolitus eſt, ea ſi meo more aſtrictius, &, vt arbitror, ordine paulo meliore tibi viro doctiſſimo referam, voluntatem meam & ſtudium boni conſules. Rem autem iudicabis, vt voles. Aiebat lapidem huoc apud Indos in maſcularum caprarum, non ſtomachis, aut cordibus, aut oculis, contra quam alii volunt, ſed veſiculis fellis naſci. Temperamento eſſe, iuxta ſuum quidem iudicium, frigidum primo gradu verſus ſecundum, ſiccum in medio ſecundi, & vltra, ita enim aiebat. Reuera autem de ſiccitate viſus eſt mihi dubitare quum nunc in principio, nunc in fine ſecundi gradus eum ſiccum faceret. Perſtitit tamen in medio ſecundi, & vltra, vt iam dixi. Roborare virtutem vitalẽ, atq; adeo adiuuando vim expultricem cordis, prolicere ſudores, facultatem eius alexipharmacum etiam contra ipſum Napellum ab aliis ſatis decantari. Se expertum præter hæc, in initio febris peſtilentialis magno cum ægrorum commodo exhiberi, in augmento vero datum, non tantum non iuuare, ſed nocere etiam. Laudari quoq; ab aliis in epilepſia, palpitatione cordis, deliquio animi, adde & calculum renum atterere. Accepiſſe ſe à nonnullis fide dignis, multum conferre pleuriticis & peripneumonicis. Quam tamen illi experientiam iactarent, ſe nondum eſſe conſecutum. Doſin eſſe à granis iiij. ad grana xij. Plura ex homine iam ſexaginta quinq; annos nato, & variarum profectionum iactato periculis, & admodum, ne ſuis verbis, tanquam per naſum, capiatur, vt vulgus loquitur, circumſpecto, elicere non potui. Mox ſciſcitanti plura, Nicolai Monardi, medici Hiſpalenſis, de ſimplicis Indicis Hiſpanice conſcriptam farraginem, nimirum malum cibum in os famelicum obiecit. Sed cur, inquam, tam parua quãtitate medicamentum hoc corroborans ac alexipharmacũ, & quaſi trepidanter ſumitur, omnibus ſuis facultatibus, vt putatur, innocuum? An vero Luſitano illi medico Abrahamo, qui in India aliquot annis egit, accedendum putas, qui à Regulis ipſis ibi lapidis huius drachma vna ad expurgandam inferne bilem atram ſumi aſſerit. Idem ego inquit ille, frequenter in Luſitania audiui. Quod vero ad reliquas facultates attinet, nimis ſunt fabuloſi, & verborum prodigi authores in eo exornãdo decantandoque Hactenus Brudus. De quo, ſi Chainũ audieris, mox tuo arbitratu ſtatues eruditiſſime Crato, & litem hanc inter tot clariſſimos medicos, clariſſimus medicus dirimes. Quid ergo Chainus? Lapidẽ hunc in cordibus caprarum ſylueſtriũ in India reperiri, temperatura non frigidũ & ſiccũ, non maxime calidum, non maxime frigidum q; multi arbitrantur, ſed ſymmetrum in calore & frigore, quũ neutra harũ qualitatum corpus afficiat, ac veneniſ reſiſtat, cum calidis, tum frigidis, ſpiritus cordis maxime reficere, ſubſtantiamq; ipſius corroborare proprietate occulta, ſeu facultate bezoartica, vt loquebatur. Et aduerſus cordis palpitationem conducere, non tenuium partium ratione, ſed certa proprietate ipſum cor reſpiciente, quum nimi-

In initio prodeſſe, in augmento noſcere.

Chaini de eodem.

nimirum in cordibus illarum caprarum reperiatur, ac experientia comprobatum ſit, quaſdam brutorum partes ſimilibus hominum partibus ratione ſimilitudinis conferre. Nec exhibendum in febribus non malignis, niſi poſt vniuerſales euacuationes, ac exobſtructiones, alioqui agitare humores peccantes, & fieri vehiculum ipſorum ad locum affectum. Tempore igitur opportuno propinandũ eſſe tantummodo, ad ipſius cordis corroborationem. Cæterum in peſtilentialibus febribus eandem cum Brudo diſtinctionem adhibebat.

Abrahami Luſitani iudicium de eodem.

Quod ſi iſtis Abrahami illius Luſitani, mihi hic familiaris, ſententiam tribus verbis expreſſam adiicimus, nempe hunc lapidem in ſtomachis caprarum ſylueſtrium, ex certa herba noſtris regionibus inſueta, in Perſia tantum, & inſula dellas vaccas, Indiam verſus gigni, & ad peſtem hoc ipſo facere, quod cor, exacto inde humore melancholico, corroboret, nec expellere malum per ſudorem, & Perſas ac Indos bis in anno exigua eius quantitate aſſumpta purgari, hæc, inquam, ſi corollarii vice ſuperioribus addimus, ac cum his rurſum ea conferantur, quæ à nobis alias ad te perſcripta ſunt, apparebit liquido, quam iſti non vniuerſi tantum inter ſe, ſed ſinguli etiam ſecum reipſa diſſideant. Quid vero ego mecum, dum iſta audiui? Diſcedo incertior, quam prior, vt Terentianus ille aiebat. Hic tu vir doctiſſime nodum iſtum Gordianum enſe acuminis doctrinæ tuæ ſolue ſi videtur. Nam mihi certe quod de auibus Bernacis narrant, miracula ſemper longius fugere, & quod peregrinis recens Hieroſolymis, aut è nouis inſulis reuerſis, accidere ſolet, vt cupiditate nouarum rerum audiendarum irruentis quaſi populi concurſu opprimantur, quos poſtea appetitu illo extincto, vix quiſquam ſalutare dignetur, idem in hoc lapide vſu venire apparet. Magna res eſt, clamant omnes, magna certe, ſed certe nihil. Et tamen non eſt nihil, quod tum de hoc lapide, tum de terra Lemnia, aliiſq; nonnullis hic compertis, exiguo ſcripto, quod nunc eſt in manibus poſſim admonere, niſi tuam, tuique ſimilium, omni exceptione maiorum virorum audire ſententiam potius, quã meam proferre mallem. Bolum Armenam orientalem, ex Armenia, & non à Lemno huc afferri aſſerit Brudus, & cum illo idem aſſerunt omnes quoſcunque hactenus audire potui. Nec poſſum non mirari illos doctiſſimi Matthioli Mercatores. Fatetur Brudus non eſſe illum Galenicum, ſed tamen viribus illi non admodum diſſimilem facit.

Terra Lemnia.

Terræ Lemniæ fruſtula pauciſſima habeo ſubrubentia, à Lemnio Epiſcopo huc allata, & ab amico eius mihi data dono. Eius ſpecies tres recenſet idem Brudus, quarum optimas, rubram & rubeſcentem, tanquam captiuas ſepte Sultanico includit, tertiam albicantem ſeruulorum & coquorum, præſertim furacibus manibus in libertatem vindicari dicit.

Terra Caſſenſis.

Terra Caſſenſis in balneo pauxillo aquæ calidæ diſſoluta, locis piloſis, ante Philothrum, ne id nimium vrat, inungitur. Mox vbi pili euelli incipiunt, calida totum abluitur, aut frigida, ſi nimium vſſit ipſum Philothrum. Hæc igitur ad te excellentiſſime Crato, vt iuſſiſti, quæ ſi nimium ſunt tenuia, culpabis barbariſmum hunc, in quo degimus, locum, præ quo Tomi Ouidiani Athenæ videri poſſint. Vale, & me ama.

EPIST. CXCII.

PAVLVS CLOSIVS, PHYSICVS *Glacenſis, &c. Laurentio Scholzio Medico S. D.*

SECVNDAM partem practicæ Melichii, cum iis, quæ adhuc apud me reſtabant, tandem tibi remitto. Adiunxi his vt voluiſti, duas ad me D. Abrahami epiſtolas, & formulas medicamentorum Mag. Domini Cratonis, quibus iuuenem quendam delirantem, & piſces viuos, excrementaq; propria deuorantem felici cum ſucceſſu priſtinæ ſanitati reſtituit. Quas cum relegeris vt per Iohannem noſtrum mihi remittas oro.

De prouocandis menſibus.

In prouocãdis menſibus D. Abrahamus vtitur aqua pulegii bis probe deſtillata. Exhibet illius poſt euacuationem vniuerſalem ſingulis diebus mane, & ſub lecti introitum pro vna doſi ℥ ij. & aquæ cinnamomi aliquãtulum admiſcet. Eodem remedio & ego, Dei beneficio, ante menſem virginem nobilem, cognatam domini Capitanei noſtri, à menſium ſuppreſſione, aliquot menſibus durante, liberaui.

In vrinæ retentione.

De ſemine, quo D. Abrahamus in retentione vrinæ à calculo vti ſolet, ad me ſcripſit ipſe his verbis: Subſequẽs emulſio in ſuppreſſione vrinæ vltra ſeptimũ diem ad miraculum vſq; exercuit ſuas vires in coniuge Ioachimi Panwitz, & eſt ſecretum Diui Maximiliani. Excreuit calculos vltra mille & quingentos, & aliquot menſuras vrinæ.

℞. Sem. violar. purpur. ℥ ß.

Cum aqua veronicæ ſufficiente quantitate f. emulſio. Hæc ille. Plura alias. Nam in-

firma valetudo, quæ me adhuc exercet, & mœror, quem ex clariſſimæ coniugis meæ periculoſiſſima dyſenteria, in qua grauida ante octiduum incidit, capio, plura me ſcribere, aliaq; his adiungere nunc non permittunt. Ignoſces itaq; & breuitati, & inconnitati literarum. Salutat te D. Raphanus, communis amicus noſter, hodie iter domum verſus ingreſſus. Vale, teq; à me amari certo tibi perſuade. Datæ feſtinanti calamo Glazij, 24. Ianuar. Anno 1582.

EPIST. CXCIII.

DN. ANDREÆ DVDITHIO CONS. *Caſ. &c Petrus Monauius, Med. Caſ. S. D.*

TVIS, quas primas accepi omnium, easque exoptatiſſimas, nuper adeo reſpondi: interea aliæ ad fratrem meum allatæ ſunt, in in quibus, vt denuo ad te ſcriberem, mihi occaſionem præbuiſti. Rogas de ſtibio, ſiue antimonio, num illius vſum ita pernicioſum eſſe dicam, vt pleriq; cēſent? Hoc mihi videtur camarinam mouere velle, quam immotam relinquere melius eſſe adagium pronunciat. Non enim te latet, quanta cum animorum contentione controuerſia hæc à ſummis ingeniis noſtro tempore agitata & pertractata ſit, aliis hoc, aliis aliud affirmantibus. Dicam tamen, quando ita vis, quantum eius in præſentia in mentem venit. In ſtibio igitur duplices facultates nō incommode ſtatuimus, Manifeſtam vnam, (liceat enim nūc ita appellare) occultam alteram. Quod ad priorem attinet, nō diſſentiunt à veteribus moderni. Omnes enim fatentur vim ei ineſſe, v. g. refrigerandi, ſiccandi, aſtringendi, reprimendi. Vnde etiam recte ad vlcera à ſordibus repurganda, eaq; conſolidanda, & ad cicatricem perducenda, adhiberi poteſt πλὴν καθαρτικῆς δυνάμεως, quam recentiorum quidam præterea illi tribuunt (cum veterum nullus, quantum conſtat, illius meminerit,) non item vna eſt omnium ſententia. Neq; vero hic tam quærimus, an omnino purget, hoc eſt, humores è corpore vi expellat (illud enim experientia ſatis ſuperq; teſtatur) quam qualinam facultate illud præſtet, & an tuto aſſumi queat. Purgantium certe quæ proprie hoc nomine donantur, non vna eſt differētia & quanquam omnia irritando & ſtimulando naturam (de quo & ipſo lis nondum eſt compoſita, obtrudentibus pleriſq; etiam ex recentioribus neſcio quam electuam humorum attractionem) hoc ſuum officium exſequantur: diuerſi tamen nihilominus in illis gradus reperiuntur, quos inter ſeſe diſtingui neceſſum eſt. Itaque ſtibium magis maligna, & velut venenata qualitate, qua naturæ aduerſum eſt, purgatorium euadere cenſemus Indicio eſt vehemens illa, atque violenta commotio, qua exigua etiam quantitate, & paucorum granorum numero aſſumptum, tum per ſuperiora, tum per inferiora vacuat, & præterea ſymptomata, quæ ſequuntur atrociſſima, puta ventriculi ſubuerſio, inappetentia, mali pulſus, virium diſſolutio, ſyncope, & id genus alia. Vnde iam de altero quoque paulo ante propoſito capite conſtat, nimirum, minus tuto illud intra corpus deglutiri poſſe. Etſi autem Magiſtri ſcholæ Paracelſicæ pro ſui defenſione dicant modo enumerata incommoda à crudo tantum non autem à legitime correcto Antimonio peruenire, quærendum tamen rurſus videtur, num præparatio illa, qua ipſi vti conſueuerunt, huius medicamenti malignitatem prorſus tollat, & an potius ignium vi illa acuatur, quam imminuatur. De quo ſi placet alias plura conferre licebit. Nunc enim tempore excludor. Itaq; abs te peto, vt rudiora hæc, nec, ita vt decet, elaborata pro ſolita humanitate tua excipias. Plane enim ſilere ad tua interrogata nequaquam decuit. Vale. Vratislauiæ 12. Iulij. Anno 1578.

Stibii facultas.

Vis ſtibij maligna.

An præparatione malignitas prorſus demátur.

EPIST. CXCIV.

IDEM EIDEM.

DVBITARE te de quibuſdam in poſitionibus meis affirmatis ſignificas, ne ab experiētia reuellantur, vtpote, quod alueolis eorum, & radicibus, atq; etiam appendicibus inſerui. Ego vero vel ad hanc ipſam prouocare ab iis, qui diuerſum ſentiunt, nō erubeſco: præſertim cum teſtes, vt puto, fide dignos habeam, Veſaliū & Columbum: quorum vterq; idem mecum manifeſte aſſerit. Plane autem pernego neruulos ab imis radicibus ad baſin vſq; per medium dentem propagari. Hoc enim non tantum contra rationem eſt, & naturæ prouidentiam, quæ nuſquā ſolet mollia corpora (quales hi neruuli ſunt, ex tertio pari neruorum cerebri deriuati) duriſſimis copulare abſque aliquo medio: verum etiam ipſa experientia contradicit. Nemo enim eſt, qui huius rei periculum facere non poſſit, videlicet, partem dentium ſuperiorem, quæ nuda eſt & exerta, nequaquam ſentire, ſed illam duntaxat, quæ intra gingiuas latet, potiſſimum tamen circa radicem, vbi neruus in membrana deſinit. Quæ Mercurialis de compoſitione Me-

Neruuli nequaquam in medio dentium.

Pars d[illegible] gingiuis tecta [illegible] ſentit

Medicamentorum in medium protulit: nuper quoq; penes me eſſe negaui. Credo tamen nos, ſi opus ſit, habere poſſe. Sententiam meam de ſtibio, quam puto multis, iisque firmis rationibus munitam, & ſubnixam, tibi non plane improbari lætor. De experientia mea nihil hac in parte magnifice prædicari queo: aſſentior tamen facile iis, quæ temet obſeruaſſe ſcribis, & quorum teſtis es αὐτόπτης. Interea tamen hoc mihi in mentem venit; Talia medicamenta, quæ tam magna vi agunt, ſæpe ſymptomatis magis mederi, quam morbis, & plerunque aliquid malignitatis corpore imprimere, quæ paulo poſt ſeſe demum prodit. Noſtra, fateor, remedia, ſæpe minus cito opem ferunt, & pluſculum moleſtiæ in aſſumẽdo adiunctum habent; hoc tamen vere affirmare auſim, magis tuto ſemper adminiſtrari poſſe, quam Paracelſicorum illa in igne & fornacibus exuſta pharmaca. Ac niſi fallor, quæ de militia laudatus Imperator crebro in ore habuit, etiam ad medicinam noſtram accommodari poſſunt: σπεῦδε βραδέως. Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς ἰατρός. Naturam certe, vt dominam & magiſtram, in omnibus imitari ſtudioſe oportet, cuius actiones, vt vulgo dici ſolet, omnes fiunt paulatim. τὸ δὲ πολὺ πάντη τῇ φύσει πολέμιον. Non ſemel hoc etiam audiui, dũ Baſileæ fui, à fide dignis hominibus, qui publice idem profiteri non erubeſcunt; Quotquot Paracelſus ille magnis morbis, remediis ſuis vulcaneis, aut, vt ipſe vocat, ſpagiricis, liberauerit, eos ferme omnes intra annum, aut ſaltem paulo poſt, interiiſſe: vtvt ſeſe egregie ſanitati reſtitutos exiſtimauerunt. Sed de his quidem in præſentia ſatis. Non deſtituuntur officinæ noſtræ radice Mechoacam, tantopere celebrata, vt tu putas, imo etiam extractum eius habent, cuius vſus minime rarus eſt. Eſt ita quemadmodum dicis: parum moleſtiæ ſumentibus exhibet; ſæpe tamen propter tantam locorũ intercapedinem minus integris viribus ad nos defertur. Vale. primo Cal. Octobr. Anno 1578.

Violenta remedia.

Galenica remedia tutiora Paracelſicis.

Aegri Paracelſi intra annum mortui.

Mechoaca.

EPIST. CXCV.

IDEM EIDEM.

DESTITVTVS hactenus ſcribendi materia, nolui te inanibus meis legendis fruſtra occupatum reddere. At nunc ſuppeditato in proximis tuis ad fratrem argumento ſilentium rumpere placuit, præſertim cum tu id à me fieri pro iure tuo poſtules. Quæris vero ex me, Quidnam de potu illo ſentiam aquæ coctæ, quem vini loco, à quo, niſi fallor, natura abhorres, ſubſtituis? Ad quod problema ſumma meæ reſponſionis hæc eſto: Non videri mihi ab ea conſuetudine temere recedendum, cui tot iam annos continuo inhæres, & quam tibi inſalubrem non fuiſſe reipſa huc vſque expertus es. Etſi vero rationes quædam in contrarium adductæ, te nonnihil perturbant, niſi tamen planè fallor, eæ tanti momenti non ſunt, vt propter illas tam longi temporis conſuetudo ſubito immutari debeat. Ignem, ais, ſubtilioribus partibus reſolutis, & in vaporem atque halitum conuerſis, aquam craſſiorem, impuriorem, & magis crudam reddere, ita vt ad penetrandum illa ineptior multo fiat. Ego paulo aliter, nec fortaſſe ſine ratione ſtatuo. Dubium enim mihi non eſt, per coctionem ea incommoda maxima ex parte tolli, quæ aquæ ſimplici antea haud pauca & parua inerant.

Aq. cocta vini loco.

Coctionis vtilitas.

Primum enim frigiditas natiua διὰ τὸ ἐμπύρευμα elixationis ope impreſſum, multum retunditur, & corrigitur. 1.

Deinde partes fæculentæ & terreſtres, ſi quæ ſunt, vi ignis ſeparatæ in fundum ſubſidunt, vt puriorem ac leuiorem, quam ab initio erat euadere prorſus ſit neceſſe. 2.

Quinetiam per ſpumam in ſuperficie poſt ebullitionem collectum aliquid impuritatis aëreæ ſecernitur. Quod autem metuis ne ſubtiliores, & nobiliores partes penitus exhalent, ei incommodo duplici remedio facile occurri poteſt, ſi nimirum, primo loco fictilis olla, in qua aqua coquitur, operculo, vt fieri plerumq; aſſolet, ſuperne muniatur, ac ipſa aqua lẽte ita decoqui permittatur. 3.

Ne ſubtiliores partes exhalent.

Deinde ſi, vt te facere ſignificas, mellis aliquid admiſceas, quod propter ſuam viſciditatem & tenacitatem, vt de detergendi facultate ſileam, aquam minus euaporare ſinit, & ſubſtantiam illius vehementius reſolui prohibet. Iam ſi præterea etiam cinnamomi nonnihil iniicias, plane tibi affirmo talem potum multum facultatis & roboris ad tuenda viſcera, quæ aqua bibita per ſe quodammodo debilitaret, acquirere, ac in alimentum medicamentoſum tranſire quo de genere Hippocrateum illud in ſcholis frequenter iactatur: ἐν τροφῇ φαρμακεία ἄριστον. Poſſunt autem pro diuerſis ſcopis, & alia quædam interdum non inutiliter admiſceri, vtpote, caryophylli, corroborationis gratia, ita ſuccus abſinthij, bugloſſæ, lactucæ, violarum, ſi ventriculum reſpiciamus, aut cor, vel ſomnum accerſere, ſitimque potenter ſedare velimus. Sin tuſſis moleſta ſit, aut pectoris alia vitia, glycyrrhiza in-

Aq. integra varia.

O

coċta proderit, & ratione iecinoris paſſulæ, & ſimilia alia. Quorum omnium vires per decoctionem in aquam migrare, & non euaneſcere penitus, ipſe ſapor, ſi quicquam aliud, abunde ſane declarat, & commonſtrat. Cum enim ipſa ex ſua natura omnis peregrinæ qualitatis expers ſit, & ſubſtantiæ tenuis atque liquidæ non difficulter rerum in ea aliquandiu maceratarum incoctarumuè facultates in ſe recipit, & imbibitas per corporis molem deducit.

Quæ aqua diligenda.

In deligenda vero aqua, quod alterum quæſtionis bipartitæ caput erat, fontana potiſſimum probatur, quæ limpidiſſima ſit pura & pellucida, nullumq; ſaporem, aut odorem extraneum referat, atque quo ad ſubſtantiam, tenuiſſima & leuiſſima. Poſt hanc fluuiatilis proxime palmam meretur, eaque inprimis, quæ verſus ortum, aut meridiem dimanat, & longe à ciuitatibus hauritur. Quidam pluuialem collaudant, eam nimirum, quæ cum tonitru è nubibus deſcendit vtpote ſatis percolatam, & purificatam. Sed huius copia hyberno tempore mihi, me ſuppetit. Quæ porro ad præparationem coctionis, & quantitatem illius, miſcendorumue proportionem ſpectant, non dubito, quin antea ex tam longo vſu, & exercitatione noris optime. De his itaque verbum in præſentia nullum dedita opera facio. Vale. Vratislau. Elyſiorum. 24. Maij. Anno milleſimo quinquageſimo nonageſimo ſeptimo.

EPIST. CXCVI.

IDEM EIDEM.

GAVDEO tibi ſententiam meam de aquæ coctione non diſplicuiſſe, quam ego ſi non veram, at veriſimilem ſaltem eſſe puto.

Aqua fontana.

Quod autem fontanam attinet, omnes pene vnanimi calculo medici eam probant, quæ ad orientem decurrit, & ex alto dilabitur per petras, per arenas, aut etiam terram liberam, hoc eſt, nulla labe, quam peregrinus ſapor aut odor facile arguit, infectam. Talis enim ſi ſit, humiditate, tenuitate, ac leuitate cæteris præſtabit, cito tum caleſiet, tum frigeſiet, ac præcordia etiam celerrime pertranſibit, & vetriculum quam minime moleſtia afficiet, quæ omnia aquæ ſalubris, & ad potum expetendæ ſigna ſunt optima.

Fluuiorum.

At quia noſtratium etiam fluuiorum, qui hanc ſcilicet vrbẽ aut alluunt, aut perlabuntur, mentionem facis, dubium equidẽ non eſt, quin ſemper fluuiatiles pluuialibus, atque fontanis per ſe deteriores ſint, ſed tamen etiam huic rei ſua non deſunt remedia, nimirum, ſi in magnis fictilibus aſſeruentur, vt domum hoc modo clareſcant, & perpurgentur, quemadmodum de Tyberis aqua memoriæ produnt, eam claram factam ad centum quoque annos incorruptam perdurare.

Tyberis.

Nili.

Quid de Nilo dicemus, limoſo illo quidem & turbido amni, quique meridiem ſpectat, nihilo tamen minus aquæ illius in potu mirifice commendantur, non ſalubritatis tantum ratione, ſed etiam ob ſaporis dulcedinem & ſuauitatem? Vnde neſcio quis Imperator milites ſuos increpaſſe legitur, quod vinum expeterent, cum Nilum haberent.

Verum ne hoc quoque cura animum tuum nimiopere angat, affirmo tibi, poſſe in hac vrbe facile impetrari aquam è viuis fontibus ſcaturientem optimam & potui aptiſſimam, etiamſi in paucis ædibus illa alioquin reperiatur, non tamen plane illa deſtituimur. Vale, Vratislauiæ pridie [illegible] Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono.

EPIST. CXCVII.

IDEM EIDEM.

Vicentinus Montanus.

EDIDIT nuperrime Italus quidam Vicentinus, qui ſe comitem Montanum nuncupat librum quendam, in quinque alios diuiſum, de morbis ex Galeni ſententia, in quo libro D. Iulium acerbiſſime perſtringit, neque vero hunc tantum, ſed etiam Fernelium, Fuchſium, Valeriolam, Argenterium, & Eraſtum, quos omnes veluti ineptos Nouatores in arte medica, à Galeni vſitata doctrina recedentes, aut ſaltem dum eum tueri conantur, turpius aberrantes acriter reprehendit, eorumque dogmata refutat. miſſus eſt liber ille, quam primum in lucem prodiit, huc ad D. Iulium, qui eo lecto continuo paucas pagellas pro ſui defenſione exarauit, quæ fortaſſe cum aliis paulo poſt edentur. Non videtur deeſſe comiti illi Montano ingenii, & iudicii acrimonia, ſed tamen optarim multis in locis modeſtius agere, & non ſeuera cenſura, in viros ſenes, & alioquin bene emeritos, ac rude donandos, animaduertere. Magis haud dubie & ſibi conſuliſſet, & apud alios autoritatis plus obtinuiſſet. Sed malo de hoc ipſum legere, & ad exquiſiti iudicii tui trutinam expendere.

Lues noua Morauica.

Epiſtolam tuam, quæ libello D. Iordani, de noua lue, ad calcem adnexa eſt, vidi. Satis apparet te illum valde probare, cum tantis laudibus, idque publice exornare non dubitaris. Sed nec mihi diſplicet diſpoſitio illa accurata, & eru-

& erudita, haud tamen ſcio, an in cauſæ inueſtigatione à ſcopo non aberrauerit.

Vide Epiſt. 141.

D. Craio quidem in longe diuerſa eſt ſententia, quam etiam ipſi autori per epiſtolam breuiter nuper communicauit. Iuſſit etiam me de re propoſita amplius aliquid meditari: ſed facile rationum momentis perfecit, vt in ſuam ſeotentiam pedibus irem.

Principio namque nouum morbum dici non vult, cum nihil peculiare habeat, quod in aliis contagionibus venenatis non accidat, etſi forte in paucis ſymptomatibus (quæ oouam ſpeciem ob id non gigoet) enariet. Quod ad cauſam propinquam attinet, non tam in circumfuſo aëre, omnibus in balneo illo lauantibus communi, μίασμα illud quærendum cenſet, niſi forte per accideos, quam in ferro illo, ſiue ſcapello, quod immediate cutem vulnerando infecit, & io maſſam ſanguineam inquinamentum propagauit, ita vt veneni (etſi minus proprie, quod cor non ſtatim petat, ita appellet) labes corpori per contactum communicato primario hæreat in ipſis ſanguinis ichoribus, qui poſtea illud facile per ambitum eius diſpargunt, aliaque ſymptomata ex ordine producunt. Rationes, quibus hanc opinionem probat, & confirmat, nimis longum foret vniuerſas adducere, cum ex hac etiã breui enumeratione ſumma earum facile intelligi queat. Domini Eraſti epiſtolam, quam nuper cum ordinario Baſilienſi accepi, ſimul deſcriptam mitto. Perleges eam ſi placuerit, & num tibi etiam ſatisfaciat, ſignificabis. De Rhabarbaro non ero ei moleſtus amplius. Etſi quidem mihi nondum plene perſuadet:

Forma & finis rei.

Formam & finem rei idem eſſe. In artificialibus rebus fortaſſe conceſſero, in naturalibus non item. Certe enim forma altera pars eſt compoſiti, & ideo de eſſeotia rei, imo hanc ipſam conſtituens. Finis autem hauddubie extra rem eſt, & accidens quoddam. Quomodo igitur forma, verbi gratia, Rhabarbari, & eiuſdem finis idem erunt? Num finis rem exædificat, & eſſeotiam eius complet? Non arbitror.

Finis duplex.

Placet tamen diſtinctio de duplici fine, qua aliquo modo priori dubitationi ſuccurrit. Metallis, ipſo inuito, vitam & animam non attribuero, multo minus cordata eſſe dicam, ne ipſe vecors ex eo poſtea pronunciet. Ideoque ſponte hic Paracelſicis, qui tanquam pro aris & focis pro hac aſſertione pugnant, loco cedam. Humanitatem autem, & leoniratem, & plantitatem, ſicut & hæcceitatem, ad Scotiſtas, & Thomiſtas ablegabo. Nolo mihi cum his naucitatibus rem eſſe amplius, quarum & tædet & piget in præſentia.

Τὸ θεῖον.

τὸ θεῖον nimis arcte mihi explicare videtur, dum ad communes tantum, ſeu epidemicos morbos, qui ex aëre ortum habent, vocem illam reſtringit.

Hippocrates quidem, niſi fallor, in latiore ſignificatione verbo illo vſus eſt, etiamſi exempla (quemadmodum Copernicus noſter dicere ſolet) nunc non ſuccurrant. In contrariorum contrarietate non ero illi in poſterum contrarius, cum pene, quæ de his in prioribus dixerim, memoria nunc exciderint. Mathematicos, miror, cur mihi obiiciat. Quaſi vero neſciat, quomodo hoc nomen in iurecõſultorum ſcholis atque adeo vulgo etiam vſurpetur. Aſtrologos enim dicere volui, qui ex ſyderum aſpectibus, & inclinationibus ad ſe mutuis futura ſe prædicturos profitentur. Horum ſcientia (ſi tamen ita appellari meretur) Ptolomæo etiam alicubi, quantum recordari poſſum, φυσικωτέρα eſt, reſpectu nimirum Aſtronomiæ, in ſpecie ſic dictæ, quæ cœleſtia corpora, vel potius magnitudines, & motus eorum ἐξ ἀφαιρέσεως conſiderat, quamuis ne iſtud quidem poſterius ὡς ἀκριβέστατα dici poſſe puto, cum motus ſine corporum, quæ mouentur, comprehenſione animo concipi & conſiderari non queat. Itaque ſola quantitas tum continua, tum diſcreta, mente à corporibus, quibus inhæret, abſtrahi poterit. Atque ſic nimirum ſola Arithmetica & Geometria, (excepta ſemper prima Philoſophia) vere in ſcientiarum erunt numero. Reliquiæ, quæ ex his oriuntur, vtpote Logiſtica, Geodeſia, Aſtrologia, medij generis erunt; ita tamen vt pene propius ad Phyſicen accedant, quam ad Mathematicen. Sed de his quæſo te, vt mihi quædam in mentem reuoces, quo in promptu ſint, cum D. Eraſto reſpondendum erit. Nullos hic habeo libros, in quibus talia inquiram, quamobrem ad te, velut ad bibliothecam meam confugio.

Nunc oblita mihi tot carmina.

Habes quinetiam ad manum Copernicum noſtrum, qui tanquam artifex & iudex de his pronunciare poterit. Cur tamen dixerim cometam diuerſimode tum à Theologo, tum etiam à Mathematico, ſeu Aſtrologo, tum deniq; à Phyſico conſiderari, non prorſus nullas habui cauſas, quas ille mihi hac refutatione, vel cauillatione potius nõdum extorſit. Addidi de his aliquid in ſcripto meo commentario, de quo adhuc quid ſentias anxie expecto.

Humores nutrientes.

Quod vero Theſes de nutritione humorum attinet, quæ ſo te, num ex tibi poſt hãc, quam inſerit epiſtolæ tuæ explicationem, clariores videntur? Ego quidem nulla ratione aſſequor, quomudo non magis in vocibus & appellationibus, quam in reipſa ſit diſſenſio. Facile hoc do & libenter; ſolum ſanguinem proprie nutrire, non autem pituitam, aut bilem alterutram, vel etiam vtramq;. Credo idem alios etiam ſentire & dicere. Deinde quoq; concedo: ſanguinem eundem ſpecie (hoc eſt, maſſam ſanguineam) in aliis atq; aliis corporibus ſanis tamen, mirifice ratione maioris, aut minoris impuritatis variare. Item ſanguinem eſſe ἀνομοιομερῆ, id eſt, habere portiones diuerſas, ſicut & lac, craſſiores alias, alias tenuiores, &c. Quid ergo reſtat, quo minus manus iungamus & concordes nos eſſe profiteamur? Hoc ſolum arbitror, quod de eadem re loquendo diuerſis appellationibus vtimur. Ille ſanguinem ſolum vocat, quam nos maſſam ſanguineam: ſed tamen etiam interdum vna cum ipſo ſanguinem, cum hoc nominis ſit ὁμώνυμον. Deinde ille bilem, pituitam & melancholiam excrementa dumtaxat eſſe affirmat.

Nos illud vniuerſaliter & ſimpliciter pronunciatum non largimur, ſed differentiam facimus inter bilem, exempli gratia, alimentarem, quam partem eſſe dicimus, maſſæ ſanguineæ tenuiorem, atque ita calidiorem & ſicciorem, quamuis improprie ſic vocetur. Et aliam ſuperuacaneam & excrementitiam, quæ dum corpora ſana ſunt, à cyſti ſeu veſicula attrahitur, & fel cognominatur.

Huius generis, ſuperuacaneæ nempe, eſt & altera, ſimpliciter & abſolute præter naturam, quæ non niſi in ægris corporibus generari poteſt, aut ſi quando generatur, in ægritudinem perducit, vtpote, vitellina dicta, porracea ærug noſa, &c. Idem fere etiam de reliquis duobus humoribus, quos ille inter excrementa ſine exceptione numerat, dici & affirmari poteſt. Quamuis ille in hoc ab hypotheſi ſua diſcedit, dum lienẽ à bile nigra ſeu atra nutriri permittit. Cur igitur idem etiam in aliis non concedit: aut ſaltem diuerſitatis cauſam affert? Cum quidem pituita multo mitior & blandior ſit humor, quam melancholia, adeoque, vt Galenus ſæpe inquit, ſanguis ſemicoctus. Sola itaque bilis, flaua nempe, (ſiquidem pituitam, quod ſperamus, admittet) ſecundum hæc à nutritione excludit, id quod nos etiam vtraq; quod aiunt, manu amplectimur. Oro te, vt me, ſi in his alicubi erro, vt facile fieri poteſt, benigne erudias. De pinguedinis in corpore humano tum ortu, tum concretione Theſes alteras & ipſas perlegi; ſed nihil in illis reperio adhuc quidem, quod non cum veritate congruere putem. Si quid tamen ſeſe offeret, dum accuratius expendam, libenter ab illo explicationem petam.

Præparatio Chalybis.

Præparatio chalybis, quam deſcribit, parum differt à vulgo vſitata præparatione limaturæ ferri, quæ in diſpenſatoriis hinc inde extat. Fit inde electuarium de chalibe, quod multi vehementer in obſtructionibus internorum viſcerum, aut epatis, aut lienis ſchirrho commendant.

Lapis Sabuloſus.

Lapidem ſabuloſum ſe mittere dicit, ſed nihil huius tabellio mihi tradidit. Puto in iſta feſtinatione oblitum eſſe. Dabo tamen operam vt adhuc accipiam.

Rubiæ vires.

De Rubiæ viribus magis prope mihi ad rei veritatem Angli accedere videntur, qui tanquam arbitri de lite inter veteres & Dodonæum noſtro tempore mota pronunciant. Ita enim vtraq; pars probabilitate nititur, quam ipſa experientia confirmat, vt difficile ſit in alteram tantum, reiecta altera, inclinare.

Formicarum balneum.

De Formicario balneo plane illi aſſentior, & memini me etiam huius fructum aliquando perſenſiſſe, cum ex leui quadam reſolutione ante annos plus minus decem laboratem.

Habes igitur, patrone obſeruandiſſime, ἀντίγραφα eorum, quæ domino Eraſto, vbi occaſio dabitur, reſponſurus ſum. Quæ ſane non ideo ad te mitto, quaſi lectione magnopere digna eſſe putem: non enim ſatis elaborata ſunt, ſed tãtum, vt in quibuſdam abs te, vbi mihi aqua hæret, vbi & luculentius inſtruar. Quod vt facere non recuſes abs te etiam atq; etiam peto. Vale. Pragæ 23. Martij, Anno 1580.

EPIST. CXCVIII.

IDEM EIDEM.

RESPONDEO poſterioribus tuis quæſtionibus primo loco ὁμηρικῶς, quod de prioribus, quæ aliquanto plus obſcuritatis difficultatisque in ſe continent, cogitationes meas nondum ſatis in ordinem redigere licuerit. Faciam tamen hoc, vt ſpero, cum Ribiſchio noſtro, vel potius, me id, volente DEO, facturum plane recipio. Etſi ſane vt de his, quæ ipſe melius, longe intelligis, meam ſententiam exquireres, minime opus fuerat. Quoniam tamẽ ex amoris

De vitreis ſpecillis.

amoris quadam abundantia etiam nogas meas aliquo loco habere dignaris, non patiar, vt vllo modo operam & ſtudium meum fruſtra requiſiiſſe videare. Ad illud igitur ptoblema de vitreis ſpecillis ſeu conſpiciliis quod attinet, reſpondeo, omnino exiſtimare me illorum vſum conuenientem oculis plurimum commodare, tantum abeſt, vt datrimenti, aut noxæ quid eiſdem adferat. Et qnidem hoc duplici de cauſa: Quoniam nimirum, primo ſimilitudine quadam ſubſtātiæ ocnlos reficiunt, & in ſtatu ſuo conſeruant: & præterea qnia tadios, quibus viſio perficitur, diſpergi non ita ſubito ſinunt. Oculus certe, quoad primarium viſionis organum bumotem cryſtallinum, aqueæ naturæ eſt, (etiam ſi alia ratione ob radiorum nempe viſilium tenuitatem atq; fulgorem, igneus etiam cenſeri poſſit) atque ideo rebus aqueis & diaphanis, veluti aqua elara & lucida, vitro, cryſtallo, ſpeculis, & per cō ſequens etiam conſpiciliis naturaliter gaudet. Vnde non immerito in decantatiſſimis ſcholæ Salernitanæ verſiculis hic etiam legit:r:

Fons, ſpeculum, gramen, hæc dant oculis releuamen.

Et Ariſtoteles, teſtaote Meſueo, primariæ inter Mauritanos notæ medico, magno illi Alexandro conſuluit, vt ſæpe ſpeculum terſum directum, ac diu intueretur. Hac enim ratione viſum ſeſe corroboraturum, & oculi defatigationem remoturum eſſe. Quinimo taota inter humorem cryſtallinum, & vitrea conſpicilia ſimilitudo & cognatio intercedit, vt oonnulli illum quidem conſpicilium naturale, bæc vero homorem cryſtallinum artificialem vocitare nou ſint veriti. Deinde, vt paulo ante innuebam. vitrea conſpicilia eam quoque ob cauſam viſioni conferunt, quod oculis admota ne radii viſorii tam late cito, vt abſque bis fieri ſolet, diſſipentur, prohibet, ſed potius efficiuot, vt illi in ſuperficiem leuem & terſam impellentes, retroacti, ſeu, vt cum opticis loquar, tefracti multiplicentur, & ſimul rectiori ductu deinceps ad obiectum, quod videndi ſenſum mouere aptum eſt, dirigantur.

Diuerſitas in ocularius.

Eſt tamen in ocularii Iſtis ſpecillis non parua cum materiæ ipſius, tum illius præparandi modi dinerſitas.

Craſſa & [illegible]ſa.

Quædam enim vitrum craſſius ac denſius habent, alia tenuius & rarius: Illa res, quam reuera ſunt, minores quidem; tamen intenſius coloratas referunt, & ob id à longiori ſpacio aſpiciendis rebus accommodata ſunt: per hæc

Tenuiora & rariora.

omnia maiora, verum quodammodo obſcuriora apparent. Vnde in propinqua tantum diſtantia his vti conſueuimus: Illa denique iuuenibus & vegetioribus: hæc ſenibus & prouectioris ætatis fere competunt. Cuius quidem varietatis, ſeu diuerſitatis cauſas ex dictis colligere non ita eſt difficile. Tibi autem) vt ad id quod in ſpecie quæris, deſceodam) ea quæ inter vtrumque hoc genus media ſunt conſpicilia apprime profutura conſiderem, tum præſertim, cum, vt ſcribis, oculi ob lectionis aſſiduitatem continuationemque fatiſcere & caligare incipiunt. In quem ſane vſum peculiaria etiam conſpicilia ex vitro viridi tranſlucente parata magno cum commodo.

Conſpicilia è vitro viride.

Quod vero metuis, ne adiumentis hiſce aſſuetus poſtea ſine illis, aut nihil aut imbecillius videas: timor, niſi fallor, prorſus inanis eſt. Non enim ſemper & vbique te, alioquin per DEI gratiam ſatis lynceum, illis vti iubeo; ſed tum duntaxat vbi vltra tempus & modum lectioni minotum characterum iodulgere propoſitum eſt. Aut vbi iam fatigatis oculis recreatio aliqua debetur. Simile quid enim experientia magiſtra ductos artifices atque gemmarios ſculptores, qui ſubtiliſſimis rebus contemplandis exerceotut, factitare quotidie cernimus, quando nimirum vel conſpiciliis vtuntur, aut vitrum pellucidiſſimum aqua lympidiſſima plenum inter viſum & candelam ardentem interponunt, quo oculorum laſſitudini & obſcuritati egregio certe inuento tempeſtiue occurrant. Et vt maxime frequentius, quam antea dictis conſpiciliis deinceps vti pergas. Quid tamen eſt obſecro, quod hac in re tibi, vt pote iam prouectioris ætatis, vitio dari merito debeat: Puero fortaſſe, aut iuueni illud magis formidandum erat. Et tamen in laudatiſſima Venetiarum vrbe non ſenes dumtaxat, & conſtantis ætatis viros; ſed etiam adoleſcentes ita illis aſſueſcere ſæpe oumero videas, vt pene nunquam, etiam inpublicum prodeuntes, ab oculis illa deponant, quod vt non omnino probauerim: ita te hoc ſubſidium quandoq; aſſumete prorſus ſuaſerim.

DE VISIONIS MODO.

QVÆSTIONEM famoſiſſimam pluribus agitare nunc non vacat: neque etiam valde ad præſens negotium huiuſmodi indagatio pertinet; in quo non tam vt Philoſophus, quam vt medicus progredi in animum induxi.

Viſionem fieri immiſſione & emiſſione.

Etſi enim concedamus viſionem viſilium rerum imaginibus, ſeu, vt vocant, ſpeciebus in oculum Immiſſis fieri, negari tamen minime omnium poteſt, oculum ipſum ad tes obla-

tas comprehendendum de ſe quoque afferre aliquid, nempe, ex oculo ſpiritus animales, tanquam radij quidam, ad extimam pupillæ ſuperficiem emittuntur; qui deinceps cum extremo lumine coëuntes, & oblatas imagines amplexantes, actum videndi complent. De quo, ſi placet, multa apud Valleſium noſtrum ſuo tempore legere poteris. Verum omiſſa, aut ſaltem tantiſper ſepoſita ſcrupulоſiori diſputationis illius late patentis tractatione, quæque ad Philoſophi inquiſitionem magis ſpectat, in id, quod medicam operationem proprie concernit, nunc potiſſimum intentum me eſſe fateor, quatenus nimirum à ſpiritus animalis, qui vbi ad occultum tranſmittitur, viſorius appellari incipit, copia, vel defectu, craſſitie item vel ſubtilitate, aut denique aliis ſimilibus differentiis viſio ipſa (quod nemo vnquam in dubium vocare auſus eſt) adiuuetur, impediatur, aut etiam deſtruatur, quibus item mediis & præſidiis hæc in naturali ſuo ſtatu coſeruari, aut labefactata denuo inſtaurari poſſint & debeant. Nimis tamen longe foret ea omnia in præſentia ſigillatim perſequi, de quorum aliquibus, ſi ita res feret, in poſterum vberius coferendi dabitur occaſio.

Poſt liquorũ aliquorum vſum ſputatio.

Supereſt modo alterum ζήτημα: Qui fiat vt poſt caſei, mellis, aquæ, & ſimilium liquorum deglutitionem multum ſaliuæ in ore colligatur, & per ſputationem eiiciatur? De quo breuiter reſpondeo, ſaliuæ ſane ſiue ſputi, (qood tenuioris pituitæ genus eſt) ordinaria, vt ita loquar, ſedes in tonſiliis ſeu glandolis ad radicem linguæ ſitis ſtatuitur, atque illis à vulgo medicorum hic vſus aſſignatur, vt inferiores faucium partes, quæ voci & reſpirationi ſeruiunt, humore ſuo perpetuo irrigẽt, ſimul deglutionem, quam ſiccitas difficiliorem redderet, adiuuent. Quod ſi copioſior, quam ſecundum naturam ſolet, affluat, id vitium ſeu ſymptoma Græcis πτυαλισμός, quaſi ſaliuationem dicas, appellari conſueuit. Cauſa vero illius non vna eſt.

Sputationis cauſa.

ſputum namq; ſiue ſaliuã illa omnia prolectate apta ſunt, quæ vel copioſiori humiditate fauces & gulam imbuunt, aut quæ tenaci, & viſcoſa ſubſtantia prædita diutius ore tenentur, manducanturve, aut deniqne quæ caloris & acrimoniæ ratione è cerebro, interdum etiam è ſtomacho tenuiorem pituitam attrahunt. In primo genere aqua eſt, & aquoſa omnia. In altero mel, caſeus, maſtiche item, & gummi tragacanthe. In tertio ea, qoæ proprie ἀποφλεγματικὰ maſticatoria vulgo appellantur, vt pote, radix pyrethri, cardamomum, cubebæ, zinziber & ſimilia. Ex quibus iam reſponſionem ad geminam quæſtiooem, abs te propoſitam, patere arbitror. Eam vt benigne accipere & iudiciũ mihi de illa tuum viciſſim communicare non dedigneris etiam atque etiam peto. Vale, Pragæ 14. Octobr. Anno 1581.

EPIST. CXCIX.

IDEM EIDEM.

QVID in meis literis te delectare queat plane non video. Ipſe enim quam tenues, & magnarum rerum inopes ſint agnoſco. Quia tamen toties tibi eas non ingratas, vel potius ſuaues & iucundas accidere profiteris, ego voluntati tuæ obſequens illas frequentius in poſterum ad te mittere conſtitui, ſaltem vt non ſit aliquid in quo meum ſtudium & diligentiam requiras, præſertim cum te ad ignoſcendum lapſibus meis tam prompte & benigne offeras. Quod igitur ad intertuptas de peſte quæſtionẽs (qua de vlto citroque diſputare, quam eius vim experiri tutius eſt) attinet, certum aliquod genus morborum, cui illam aſſignemus, requiris.

Peſtis an ad certum genus morbi referendum.

Etſi vero in tanta rei obſcuritate hoc præſtare difficile ſit: ſi tamen ad vnum ex tribus illis, quæ in Medicorum ſcholis traduntur, generibus referri omnino debet, haud dubie ſub intemperie rectius, quam ſub compoſitione, aut ſoluta vnitate (carbunculos enim & bubones pro principali morbo non habeo) collocabitur. Verum non tam de intemperie ex primis illis & manifeſtis qualitatibus intelligi oportet: ſed de ea, quæ ex occultis proprietatibus oritur, quæque veneni naturam quodammodo ſubit. Non ſane quod de tritis illis qualitatibus nihil participet (tale enim quid animis hominum exceptis in ſublunari hoc cœlo ne imaginari quidem poſſumus, ſiquidem ab his agendi principium eſt) ſed quia ὁ τῆς μίξεως λόγος ſiue certus gradus nobis ἄῤῥητος eſt. Itaque & Galenus, & alij Medici talia totius ſubſtantiæ proprietate agere & pati dicunt, videlicet, ve non tantum nudam qualitatum temperiem, velut in abſtracto conſiderent, ſed etiam ipſios miſtionis (quæ elementorum corporibus proprie tribuitur) proportionem, quæ tot & talibus particulis ita inter ſe inuicem miſtis & vnitis conſtat, expendant. Sic multas reperire licet plantas, quæ v. g. in primo gradu calefaciant aut frigefaciant, & hactenus inter ſe conueniunt, quorum tamen omnium nequaquam par eſt effectus, prout illa qualitas in aliud atq; aliud ſubie-

ſubiectum diuerſo modo diſpoſitum incidit, & non tam in abſtracto, quam in concreto, cum ipſo ſcilicet corpore, cui inhæret, conſideratur. Ex quo fonte omnis illa occultarum proprietatum, tantopere decantatarum ſeries emanat. Cauſa Cum peſtem ab aere prouenire dico, de ea principaliter intelligo, quæ generalis eſt, & multa loca ſimul occupat, atque ideo à maxime generali cauſa neceſſario ortum trahit. Etſi interim non negem etiam in miſtis ſæpe corporibus tam corruptos humores gigni poſſe, vt alios inficiendi peſtis naturam æmulentur, quæ quidem à nonnullis peſtis priuata appellatur. Sed tamen vt hæc, aut illa vicinis corporib. communicetur lateque diſpergatur, ſine aeris interuentu fieri minime poteſt, ita vt hic interdum cauſæ efficientis, interdum medii duntaxat rationem obtineat. Et exiſtit ſeminarium illud peſtis in aere nonnunquam actu, cum videlicet aer ipſe in ſeſe corruptus eſt & vitiatus, ſæpe etiam potentia, quia ſcilicet ad ſeminarium ſuſcipiendum pronus eſt & diſpoſitus, neque tam ſcrupuloſe, quam oportet, Qua ratione per μιάσματα illa contineat? Si quis intelligat quomodo cõtinuatione quadam aer ante frigidus calefiat, vicinumque aerem (partem poſt partem alterando, vt in ſcholis loquuntur) calefaciat, is etiam facile aſſequetur, quomodo aere in vno loco vitiato, & ad malignitatem mutato ſemper latius cõtagium illud ſerpat, donec aut ventorum flatibus diſcutiatur, aut per ſe, (neque enim in infinitum vis illius ſeſe extendit) abſorbeatur, aut etiam arte quadam, veluti ſuffitibus factis corrigatur. Non inquam oportet nos imaginari quaſi in certo tantum aeris loco ſeminarium illud contagionis immotum hæreat, & quaſi in arce quadam reſideat, ſed potius perpendere malignitatis huius vim & efficaciam maximam, ita quidem, vt aptum ſit breui tempore ſeſe per longiſſimum ſpatium extendere, ac ſeſe hac ratione per aerem propagare, ac multiplicare, ſicuti Galenus de ſcorpionis veneno diſputat, quomodo illud non ſine ſumma admiratione pauciſſimis horis totum corpus celertime peragret ſuæque labis veſtigium poſt ſe relinquat, etiamſi mole ſua vix, ac ne vix quidem in ſenſus currat. Quomodo quæſo odores, ſeu grati, ſeu ingrati ſeſe propagant, & ſubito maximum ſpacium occupant, cum qualenam illorum ſit vehiculum, (eſſe tamen certum eſt quia accidentia ſine ſubiecto non reperiuntur) vix cognoſcatur. Finge etiam vnam guttulam fellis totũ aliquem cadum magnæ capacitatis breuiſſimo tempore ſu[illegible] colore & ſapore inficere. Quod vero non omnes homines in ſuſpectis locis ſimul verſantes pariter corripiuntur, ipſa corporum non eodem modo ſeſe habentium diſpoſitio cauſa eſt, & quia vni ſeſe magis, quam alteri muniunt, omnes noxam aliquam communem ex aere illo prauo percipere certum eſt: ſed quo minus impreſſio æqualis fiat, iam dictum eſt. Non tantum cauſæ agentis efficacia, ſed corporis etiam patientis repugnantia ſimul conſideranda eſt. Hi enim plus, alii minus reſiſtunt, idq; tum ob interna, tum etiam externa impedimenta. Peſtis in paucis. An vero tum etiam peſtis cenſenda ſit, cum pauci quidam corripiuntur, iam ante reſpondi. Conditionem iſtam eſſentiam rei non immutare. Et peſtem epidemium ſeu vulgarem morbum haberi, quod ex ſua natura multos inficere aptus ſit, etiam ſi actu adhuc pauci eo laborent, quid vis amplius; ſpecies, inquiunt Philoſophi, etiam in vno indiuiduo conſeruari integra poteſt, vt videre licet in ſole, luna, item mundo ipſo, quæ actu vnum ſunt. Sic Adam ille πρωτόπλαστος vere fuit, & manſiſſet homo, etiamſi nullos vnquam ex ſe propagaſſet poſteros. Fiunt igitur plures homines indiuiduo, non ſpecie. Febris à defin. peſtis excluditur. Febrem ideo excludo à peſtis definitione, quod etiamſi inſeparabile illius accidens eſſe concedamus, (de quo ſuo loco amplius quæritur) non tamen ad ipſius eſſentiæ conſtitutionem pertinet: ſed tantum ab illa dependet. Si deſcriptionem minus accuratam, non ἄλογον τῆς οὐσίας conſtituere placet, per me illam vt inſeras licet Medicus porro ita artifex ſenſatus eſt, vt non huic ſolo, & ſemper inhæreat, ratione vero nunquã vtatur, ſed quia illius beneficio in abſtruſarum & latentium rerum cognitionem ſæpe perueniat. Profecto enim cum vt artifex circa particularia verſetur, ſenſu illa ſolum deprehendi certum eſt. Interim nihilominus ratiocinatione & diſcurſu multa ex iis, quæ ſenſu iam apprehenduntur colligit, neque vſum ſuum petite & ſolerter vniuerſalibus theorematis innixus accommodat. Subordinatur autem Theoria praxi, quod hæc vltimus finis ſit, propter quam vniuerſalia præcepta, & axiomata ipſa diſcuntur; Bubones ſeu teſtium inflammationem peſtis eſſe ſignum lubenter concedo: ſed nec ſolum, nec perpetuum. Multis enim erumpentibus extingui videas, & latentes illos adhuc in corpore quibus indiciis quis ea cognoſcat animaduertat.

Vale. Vien. 7. Iul. Anno 1583.

EPIST. CC.

IDEM EIDEM.

VT quoquo modo negligentiam in ſcribendo hactenus vſurpatam (quod enim de faſtu neſcio quo ſuſpicaris inane omnino eſt) compenſem, quod diſputationem de peſte attinet, ſcio illam nondum inter nos compoſitam eſſe, in eo autem tibi nequaquam aſſentiri poſſum, quod primũ peſtis ortum in contagio ponis. Neque enim contagium vllius certi & determinati morbi genus, aut nomen eſt, ſed πρός τι ſolum dicitur; & tum ita appellari incipit, cum qui in alio corpore, prius fuit morbus, ex eo poſtea in aliud migrat. Neceſſario itaq; vt cõtagio fiat, morbum aliquem præſupponi oportet, qui per cõtactum ſeſe vlterius propaget, non, vt tu ſtatuis, contagium prius exiſtere, & tum demum peſtilentẽ inde morbum gigni. Summa rei totius in hoc conſiſtit; Contagium, hoc eſt, tranſitus morbi de corpore in corpus fit per contactum, vel immediate, vel mediate. Immediate cum duo corpora ſeſe abſque vllo medio contingunt, & labem mali inuicem communicant: ſicut fit in ſcabie, morbo Gallico, per affrictionem. Mediate autem intercedente alio corpore, nempe, vel aere, vel fomite. Per aerem contagium communicatur inſpirando & exſpirando, ita vt aer vehiculi rationem babeat. Fomes autem appellatur illud corpus, quod ſeminarium defert, etiam ſi eodem morbo laborare aptum non ſit. Veluti ſi per infectos pannos, aut veſtes aliquis peſte, aut etiam ſcabie corripiatur. Sed vt peſtis primam & veram originem indagemus, dicendum eſt illam pendere à cauſis, vel ſupernis, vel infernis, vel etiam vtriſque ſimul. Supernas cauſas appello, præter DEVM & Angelos (quæ Theologicæ conſiderationis proprie ſunt) ſtellarum fixarum & errantium vires, tum aeris diſpoſitiones varias, itemque meteora, in eo apparentia, & alia huiuſmodi. Excludi enim ſtellarum vires non poſſe inde ſatis conſtat, quod omnes Philoſophi vnanimi conſenſu fatentur: Inferiora hæc & ſublunaria corpora à ſuperioribus regi & immutari. Præterea ex Medicorum coryphæo Hippocr. diſcimus, Morbos epidemios, qui in totas regiones quandoque graſſantur, ab aeris inſignioribus mutationib. proficiſci. Has autem ab aſtrorum diuerſo poſitu cauſari. Denique ſi ſtellarum mutui aſpectus nihil operantur, nullam reddere poſſemus cuſam, cur æſtas, verbi gratia, & hyems ſingulis annis non exquiſite vnam & eandem temperiem ſeruarent, quando certum eſt Solem, cui ſoli omnia accepta feruntur, non aliter moueri vno atque altero, atque ita etiam illius reſpectu nihil variaretur: niſi aliarum ſtellarum ſeu coniunctiones, ſeu oppoſititiones, aut denique alii poſitus accederent. Dum tamen hæc aſſero nequaquam Aſtrologicis vanitatibus patrocinor. Quia planetas & ſtellas cæteras in inferiora hæc vniuerſali quadam, & indefinita ratione agere dico, non autem particulari & derminata, vt ſcilicet in vnum quempiam hominem aliam impreſſionem faciãt, quam in alterum, quod Aſtrologi ſibi imaginantur, & alii etiam perſuadere conantur. Sic enim omnibus cauſis contra naturæ ordinem particulares per ſe effectus tribuuntur, de quibus alio inter nos tempore diſſeremus pluribus. Et niſi fallor, diſputationem meam cum dn. D. Rungio ad te ante miſi. Inferiores cauſas, quæ interdum peſti occaſionem præbent, voco fœdas exhalationes ex lacubus, ſtagnis, paludibus, & cadaueribus, item hominum & beſtiarum, ex antris terræ mephitide ſcatentibus, & ſimilibus prodeuntes, quib. aer nos circumſtans, à natura ſua longius abductus, inquinatur & corrumpitur, & in vno atq; altero homine magis cæteris prædiſpoſitis primum labem mali excitat, quę poſtea per contagium pluribus aliis communicari poteſt, non ſecus atque grex totus in agris vnius ſcabie cadit, & porrigine porci. Cibum & potum ideo omitto quod horum ratione, etſi in corporib. corrumpantur, peſtem cauſari vix poſſe videtur. Eſt tamen inde origo maiori ex parte morbis aliis populariter graſſantibus, vtpote febribus malignis, diarrhœis, dyſenteriis, pleuritidibus, anginis, & aliis, quæ peſtiferum quid obtinent, nõdum tamen vere peſtis ſunt. In hac enim aerem, tanquam communiſſimi morbi communiſſimam cauſam concurrere ſemper neceſſe eſt, ſiue in ſua ſubſtantia corruptum, ſiue vt vehiculum ſeminariorum duntaxat. An vero in peſtis præcautione, imo etiam curatione ipſius remedia ſæpe permutanda ſint, putas ex Gal. lib. 5. de tuenda ſanitate, cap. 9. probari non poſſe, eo, quod locus ille de purgantibus loquatur, non de Alexipharmacorum exhibitione. Sed haud dubie communis vtrobique ratio eſt ea, quam Phyſici & Medici afferunt, dum in vniuerſum dicunt: Ab aſſuetis paſſionem non fieri, id quod etiam expreſſe Ariſtoteles 1. probl. 46. atteſtatur: Conſuetudo ſiquidem altera natura eſt, quæ vt à ſimilibus conſeruatur, ita in con-

trariis

Peſtis ortus non primum in contagio.

Contagii natura.

Fomes.

Superna cauſa peſtis.

Stellarũ vis in inferiora vniuerſalis.

Inferiores

Cibus & potus vix peſtis cauſa.

In peſte an remedia mutanda.

Digitized by Google

trariſs tum alteratur, tum deſtruitur. At quibus diu aſſueuimus, ea cum facile toleremus, ſimilia fere nobis euadunt. Vnde fit vt parum, aut nihil inde alteremur, aut immutemur.

Colica.

Colicis doloribus te interdum vexari, antea neſcieram. Mittam Cratonis noſtri & methodum curandi, & remediorum formulas. Interim lege Eraſtum quarta parte Antiparacelſiſt. à pagina 256. vſque ad 258. Sed quia non vna ſpecies colici affectus eſt, ſignificabis, num, quæ te affligit colica paſſio, flatuoſa ſit, an vero à frigido & craſſo humore inteſtinis impacto orta. Illa magis mobilis & vagabunda eſſe ſolet: hæc repræſentat ceu pali penitus viſceribus infixi doloris ſpeciem. In vtraque autem aluus vere dura eſt & concluſa. Eſt & tertium quoddam genus à tenui, ſeroſo & bilioſo humore, cui te affinem eſſe vix equidem arbitror.

Puellæ ſaltatrices.

Sed ſymptomata indicata rem totam patefacient. Narrauit mihi D. Carolus Oſleuius ex literis tuis caſum plane mirabilem, de duabus puellis in vicinia veſtra, quæ continuis ſaltationibus pene exanimentur.

Chorea S. Viti.

Credo id mali eſſe, quod vulgo choreas S. Viti appellant. Huc pertinet quod Iohan. Thomas Freygius in quæſtionibus Phiſicis libro 24. de natura populorum inter cætera ſcribit: In inferiori, inquit, Germani nulli ſere ab atra bile furioſi, ſed à ſanguine, quod genus furoris, vulgus morbum Sancti Viti appellat. Si ad vllum morbi genus referendum eſt, non video, vbi alibi locum reperiat, quam inter melancholicorum deliria, quæ mirificam varietatem obtinent. Verum mentem hic oblæſam eſſe omnino oportet. At veſtræ, vt audio, puellæ etiam inter teſtes illas ſaltationes orant, & ſobrias preces ad Deum fundunt: vt inde neceſſario colligam, cauſam huius inſoliti ſymptomatis eſſe non tam præternaturalem, ſeu morboſam, quam, vt ita appellem, ſupernaturalem & aut diuinam immediate, aut diabolicam; atque illud eſt fortaſſe, quod τὸ θεῖον in morbis appellat Hippocr. etſi in intimam huius rei cognitionem non peruenerit. Auerroes quoque, acutiſſimus Philoſophus ipſe affirmat: In morbis, vt in aliis naturæ partibus ſæpe monſtroſitates (ita enim loquitur) accidere, ſed exactius quid de his pronunciare potero, vbi hiſtoriam facti integram cum omnibus circumſtantiis cognouero. Neque enim adhuc ſcio: An per certa & definita interualla hoc affectu corripiantur. Item an morbus aliquis corporis manifeſtus ſimul coniunctus ſit? An diu malum iſtud durauerit? An ipſæ etiam infelices ſaltationes cauſam aliquam, aut talem occaſionem referre norint: Fieri enim poteſt, vt ex parentum forte impreſſionibus huic infortunio ſubiectæ ſint. ἄλλαι γὰρ κακὰ γαῖαν ἐρεμνὰς εἰσὶ πυλῶν, vt veriſſime in celebratiſſimi Orphei verſiculo dicitur. Aut etiam propria aliqua, & peculiari laſciuia atque petulantia pœnam hanc delicto conformem attraxerunt. Vbi igitur de morbi qualitate & conditione conſtiterit, de remediis deinceps initi poterit ratio tanto melius. Naturalibus enim morbis naturalia debentur remedia: & præternaturalibus præternaturalia, diuinis diuina. In præſentia plura non licet, imo hæc etiam, niſi humanitas tua mihi perſpecta eſſet, ad te mittere vererer. Pragæ Kalend. Martii, Anno 1584.

EPIST. CCI.

IDEM EIDEM

ERASTO ad multa capita reſpondendum fuit, & quærendum inſuper de aliquibus. Inde igitur factum, vt quædam parcius attingerem, quam vellem, ſed ſat dictum ſapienti.

Chalybis & ferri vſus.

Quod Chalybem & ferrum attinet, non tantum de extinctione illorum, poſtquam ignita ſunt, in potu loqui videtur (quamuis etiam nonnihil eorum intra corpus ſumitur) ſed multo magis de eorum ſubſtantia, quam aliqui in vehementibus viſcerum obſtructionibus exhibent. Huic ſunt electuaria illa nobilia de ſcobe ferri, de limatura chalybis, quorum non vna deſcriptio extat. Quamobrem ex ipſo Eraſto ſcire deſidero, qua ratione ipſe puluerem hunc chalybis præparet, & præparatum exhibeat.

Chalybis præparatio.

Vulgaris modus eſt per macerationem in forti aceto &c. Quemadmodũ etiam apud Cordum, & Auguſtanos videre eſt.

Lapis ſabuloſus.

Lapidis ſabuloſi commentariolum ſæpe perlegi, ſed mallem ad manum habere ipſummet lapidẽ, & eius efficaciam experiri, de quo tã multa prædicant: Maxima copia circa Francofurtum ad Mœnum, non longe etiam ab Heydelberga naſcitur. Dubito tamen adhuc an idem ſit cum eo, quem Matthiolus, & Geſnerus deſcribunt, ſed aliter nominant.

Humorum nutritio.

In theſibus de humorum nutritione, quid ſibi Eraſtus velit, ne nunc quidem plene aſſequor. Quis vnquam de hoc quæſiuit: Num excrementa illud corpus, cuius excrementa ſunt, alant & nutriant? Si igitur hoc ſolum refutare voluit Eraſtus, vt innuis, fruſtra mihi laborem hunc ſuſcepiſſe videtur. Puto igitur illum aliquid aliud inſinuare, nempe an ſanguinis

maſſa illa quæ in venis continetur, vere hu-mores quatuor ſpecie diſtinctos contineat? Item an potentia ſaltem, vel actu inibi hi inſint? Cognoſcemus de hoc plenius, vbi noſtris ſatisfaciet. Vale.

EPIST. CCII.

IOHANNI CRATONI MED. CAES. &c. Petrus Monauius Med. S.D.

Ratio duplicis temperamenti.

QVOD duplex temperamentum aſſerue-rim, ſicut & calorem duplicem, nempe, innatum ſeu congenitum vnum, & influentem alterum, hac præcipue cauſam habui, quod viderem corpus aliquod viuens, & actiones ſeu operationes ſuas edens bifariam conſiderari poſſe, cum vt animal ſeu viuum quid, tum vt miſtum. Quatenus vt miſtum perpenditur, temperamentum ei certum ex primis elementorum qualitatibus reſultans attribui neceſſe eſſe nemo non videt. Vt vero actiones etiam edat, ſiue vitales, ſiue animales, aut etiam naturales, altera accedat præterea temperies oportet, quæ illam veluti in profundo latentem & ignauam excitet, inque actum ex potentia producat. Illa temperies, quæ præcipue in ſolidis partibus conſiſtit, etiam extincto animali atque vita priuato ſupereſt. Hæc à ſpirituum & humorum certa harmonia tantum in viuentibus reperitur, & huius ablatio illa eſt, quæ mors animalis, vt animal eſt, dicitur. De putedine controuerſia eſt haud illa quidem expeditiſſima. Galenum ab Ariſtotele in natura putredinis aſſignanda non diſſentire illud oſtendit, quod philoſophum de hac recte locutum eſſe aliquoties affirmat. In illo plerique aberrare videntur, quod ea confundunt, quæ diſtincte Ariſtoteles docuit. Duplicis enim putredinis expreſſe meminit, quarum alteram ſimplici generationi miſtorum, vt contrarium maxime commune oppoſitam, & corruptionem ſecũdum totum, alteram corruptionem tantum ſecundum partem, & receſſum à propria natura atque temperamento eſſe ait, illam naturalem vocat, ſeu naturalis interitus finem, quod mixto, vt mixtum eſt, competat, & ſecundum habilitatem . . plius fiat. Hanc violentam innuit & morbidam propter inclinationem paſſionum. Illa ab ambientis, hoc eſt, aeris, & aquæ ſolum calore fit: hæc etiam à calidis vaporibus, & fuliginibus in corpore retentis, impeditaque tranſpiratione. in illa miſta in puluerem & terram, vt quæ ex vniuerſo corrupta ſint, rediguntur: in hac humores putrefacti, aut putreſcentes potius ſæpe ad benignam qualitatem, & naturalem ſtatum reduci poſſunt, nempe, κατὰ μέρος μόνον, vt Ariſtoteles loquitur, φθειρόμενα. Ideo & elementis igne excepto hanc tribuit, quorum putredo ſecundum eundem nihil aliud, quam alienæ caliditatis, aut malorum vaporum commixtio, quibus ſecretis ſuæ naturę viciſſim quodlibet reſtituitur. Illa denique proprie ad philoſophorum ſcholas ſpectat, atque idcirco prolixius eſt ab Ariſtotele pertractata. Hæc medicæ conſiderationis magis eſt, vnde & à Galeno pluribus in locis fuſius explicatur. Ex particula ἰδίως, quæ in 4. illo Meteororum ponitur, male intellecta, quidam contra mentem Ariſtotelis colligunt, putredinem illam priorem, quæ ipſi καθόλου eſt, improprie ſic dici: magis autem proprie hanc, quæ ſecundum partem eſt, cum tamen diuerſum potius ſtatuendũ ſit ex mente philoſophi. Illam, nempe, proprie putredinem appellari, quia vera & propria putredo mixtorum perfectorum paſſio eſt, & contrarium cauſæ generationi mixtorum. Hanc autem peculiari quodam modo duntaxat ita vocari. Quia ſcilicet nec generationi opponitur, neq ;cſt paſſio miſti, vt miſtum. Atque ſic ἰδίως rectius per voculam, peculiariter, exponitur, quam per proprie, vt doctiſſime in ſuis dilucidationibus Archangelus etiam noſter admonuit. His in hunc modũ diſtinctis puto facile reſpõderi poſſe ad illam quæſtionem, in qua explicanda multi varie ſe torquent, nempe quomodo humores in febribus, qui calidiores euadunt, putreſcere dicantur, cum tamẽ putrida omnia frigidiora fieri, ipſo calore euocato, vel extincto neceſſe videatur, vt habet definitio putredinis Ariſtotelica. Illud quinetiam indicat curatio. Hac ratione inconcuſſum manet, cum longe inter ſeſe differant ſimplex aliqua intemperies in qua humores à ſua natiua qualitate nõnihil diſceſſerunt, & putredo, qualis eſt in peſtilentibus, vt mirum non ſit, ſi curatio etiam eadem non adhibeatur vtrobique. ſed fortaſſe his recen●ndis tibi moleſtiam exhibeo. Ego tamen aliam ob cauſam à me allata eſſe velim cogites, quam vt tuam de his ſententiam & iudicium eliciam. Vale, Patauii 14. Ianuar. Anno 1576.

Putredo Ariſtot. duplex

Humores in febribus vt putreſcant.

EPIST. CCIII.

IDEM EIDEM.

QVONIAM te tot & occupationibus & moleſtiis diſtrictum, adeo frequenter ad me ſcribere non piget: turpe omnino mihi eſſe puto illam diligentiam non imitari, ſi minus ſuperare quea   cum & pluſcu-

pluſculum otii mihi concedatur, & tu meas qualeſcunque tibi non ingratus eſſe ſignificas. Anatomiæ itaque noſtræ in vigeſimum vſque diem productæ heri tandem finis feliciter impoſitus eſt. Sane diffiteri non poſſum in ea adminiſtranda curam, & induſtriam accuratam adhibitam eſſe, etſi ſectionis magiſtri, vt in longo itinere: ita etiam in iſto operæ perficiendo, quo longius progrediantur, eo magis defatigentur, & remiſſiores fiant. Ad me quidem quod attinet, plurimum ex hac inſpectione me profeciſſe animo aduerto, ita vt nunc expeditius, & maiori cum fructu cõmentarios hac de re ſcriptos euoluere poſſim. In ipſa epatis hiſtoria explicanda, nobis ad oculum, vt loquuntur, demonſtrare conabatur, ex iecore venarum ortum petendum eſſe, ſeu generationis principium ſpectes, ſiue diſtributionis, atque idipſum plantarum exemplo perſpicue illuſtrabat, in quibus & radices, & rami, & caudex ipſe, ſeu radicatio conſideranda veniũt, quæ omnia ad venarum ductum eleganter & dextre accommodari poſſunt. Minus tamen interea argumentis quibuſdam Ariſtotelicis ſatisfactum videtur, quæ inſignis in hac re artifex Veſalius contra Galenum vehementer vrget. Cum cordis ſtructuram ſub manibus haberet, ſimpliciter affirmabat, ac ſi id controuerſum non fuiſſet, è dextro ventriculo in ſiniſtrum ſanguinem per ſeptum interpoſitum trãſſudare, ac foramînula quædam adhibito ſpecillo oſtendebat, quę interſtitio illo medio apparent. De quo tamen à multis dubitatum video. Ac memini cum ante biennium Pigafetta Italus, & ipſe olim Fallopii diſcipulus, Heydelbergæ diſſectioni incumberet, manifeſte negaſſe illum, fieri poſſe, vt per tam denſum diaphragma aliquid ſanguinis deferri ex vno thalamo in alterum poſſet. Imo in eam ſententiam tandem deueniebat, vt diceret à ſe iam plures venulas quaſdam animaduerſas eſſe mucronem cordis nõ aliter ambientes, atque vena illa coronalis è caua propagata baſiñ complectitur, quarum beneficio ſanguis ex dextro ſinu in ſiniſtrum transferatur. Cum vero hoc etiam in propoſito cadauere ſeſe monſtraturum pollicitus eſſet, fruſtra id quod nuſquam erat requiſiuit. Quare poſtridie in theatrum reuerſus palinodiam canere coactus eſt, illo adiecto epigrammate: Ita accidere ſolere, vbi à veterum traditis temere recedentes ſemper noui aliquid in medium adferre molimur. Se tamen nihilominus interea dum certius aliquid ipſe experiatur, Hiſpano cuidam ſectionis perito, cuius nunc nomen non occurrit, aſſentiri malle, à quo illud proditum ſit, per longiſſimas ambages & circuitus ſanguinem in dextro cordis ventriculo præparatum in ſiniſtrum per pulmones duci, vt quidem ego coniicio, venæ arterialis ramorum ope & miniſterio. Noſter anatomicus Hier. ab Aquapendente, poſt cætera omnia, aut ſaltem præcipua demonſtrata, corollarii vice ad extremum, ouem grauidam viuam ſecuit, in qua multa non ſine ſtupore intuitus ſum, quam nunquam antea ex multis magiſtris aſſequi potui. Arabum doctrinam ex veteri inſtituto in ſcholis Italicis proponi facile aſſentior. Mihi in Græcorum libris aliquandiu deſudandum propoſui. In his ſi quid aſſecutus fuero, forte ad alteros illos diuertere nõ fuerit ſuperuacaneũ, quorum quidem vniuerſa dogmata, vt Fuchſius ſæpiſſime inculcat, vno quaſi impetu reiicere minime conſultum arbitror. Vt enim maxime in quibuſdam aberrent, & minus feliciter in alienam linguam tranſlati ſint, quin tamen multa vtilia, à Græcis prætermiſſa, ipſi in medium adferant, nemo negare poteſt. Et audiui iudicium cuiuſdam, qui affirmabat propter purgantium nomenclaturam, & exotericorum quorundam pharmacorum deſcriptionem, quorum nunc frequens admodum vſus, plurimi à nobis Arabes merito faciendos eſſe. Vale. Patauii, poſtridie conuerſionis Pauli. Anno 1576.

Anatomici ſtudium Patauinum.

Foramina ſiniſtri ventriculi cordis.

Pigafettæ opinio falſa.

Columbi ſi-um.

Arabum doctrina non reiicienda.

EPIST. CCIIII.

IDEM EIDEM.

GAVDEO literas meas, quas ſane multas breui interuallo exaraui, tibi recte traditas. Maiori autem mihi voluptati fuit cognoſcere, quod eas tibi non ingratas eſſe paſſus es, id quod ex tuis ſuperioribus diebus ad me allatis, ſuauiſſimis & doctiſſimis, addo etiam longas, abs te accepi. Vnde nimirum animus mihi additur, quo in poſterum etiam tanto audacius & liberius diſcẽdi ſtudio mea ad te cogitata exponam. De duplici itaque temperamento fieri poteſt, quemadmodum coniicis, vt in præceptorum ſententia explicanda alicubi hallucinatus fuerim, minuſque recte ea mente & verbis conceperim, quæ illi abſque errore docuerunt. Illud tamen dixiſſe volui, calore duplici dato, ex neceſſitate duplex etiam tẽperamentum ſtatui, cum calor ille ſiue implantatus, ſiue influens non abſolute, & vt ita dicam abſtractiue conſideretur, tanquã nuda qualitas calida, ſed veluti calor quidam ex certa miſtione conſurgens, certoque & determinato ſubiecto competens, in qua miſtione & contemperatione tamen qua-

Duplex temperamentum duplex calore definitum.

litatis calidæ, vtpote, maxime actiuæ, primæ & potiores partes ſint, à quo denominationem etiam illa accipiat, quæ ipſa fortaſſe opinio etiam à Galeni mente non prorſus aliena eſt, vt ex dictis quibuſdam ab ipſa colligere licet. Verum vt maxime hoc ſtatuam, quod modo protuli, minime tamen illud ſequi videtur, quod addis duplicia hoc pacto principia & actiones quoque inter ſe diuerſas exorituras. Quoniam non oppoſito modo ſe iſti calores gemini, aut temperamenta etiam duplicia habent. Sed quam maxime inter ſe conſpirant, inque vnum finem ambo concorditer tendunt, vt non tam contrarii, aut oppoſiti, ſed ſubordinati & ſimul concinnentes ad actionem eandem producendam nuncupandi ſint, nempe, vt ab implantato ſeu congenito, tamquam magis principali operationis principium pendeat quidem, quoniam tamen ex ſe idem ille languidior eſt, velutique ſemiſepulti vt ab influente, cuius vehiculum ſpiritus eſt vitalis, è potentia in actum deducatur neceſſe eſt.

Cauſa eſſ putredin. Putredinis porro apud philoſophos & medicos, an eadem cauſa efficiens eſſignanda ſit, ex eo dubium videtur, quod Ariſtoteles illa, quæ ad naturalem putredinem (de qua philoſophi loquuntur) tendunt, tantum ab externo ſeu ambiente aere, eoque calidiore, atque interdum etiam ab aqua (de interna enim frigiditate, quæ altera eſt cauſa efficiens, minime controuertitur) corrumpi affirmat: Medicorum autem putredo frequentiſſime ab obſtructione originem ducit, cum videlicet calor intus exiſtens propter fuliginum vapores concluſus, & difflatione careos, corruptionis illius humorum qualis in putridis febribus cernitur, cauſa fit. Vnde etiam hæc putredo ad alterius differentiam violenta appellatur, non ſolum, quia præter inclinationem & habilitatem miſti fit, quod ad eiuſmodi corruptionem à natura non propendet, & diſpoſita eſt. Verumetiam quia iuſtum & determinatum tempus curriculo ſuo quaſi completo antecedit & præoccupat, in quo ſecũdum communem naturæ ordinem res quæque corruptibilis tandem ad interitum tendit, quẽadmodum etiam Ariſtoteles ait, putredinem illam ſimplici generationi miſtorum oppoſitam finem eſſe vniuerſorum à natura compoſitorum. Omnia enim miſta per vnionem atque miſtionem humidi cum ſicco durante calore producta, apta ſunt viciſſim corrumpi per diſſolutionem humidi à ſicco, calore, qui illa fouebat, deficiente. Sed de his ad te nimis multa. Quod vitium πρόβλημα mei exercendi cauſa propoſitum attinet: Cur videlicet ſæpe in vno brachio pulſus videatur interceptus, cum in altero optime & integerrime percipiatur: *Pulſus cur in vno, brachio intercept. in altero integer.* cogitanti mihi ea de re accurate, illud vere accommodate dici poſſe videtur, non ab vna cauſa pulſus intermiſſionem fieri, ſed vel *Cauſa intermiſſ. pulſus.*
propter debilitatem virtutis ipſius, atque ſic
dubium non eſt, in vtroque brachio æque 1.
apparitura: vel propter malam inſtrumen-
torum conformationem, quam cauſam i- 2.
pſe nunc remoues: vel ob anguſtiam, verbi
gratia, tumorem aliquem in vicinis parti- 3.
bus, à quo arteria veluti comprimatur, &
pulſum infirmiorem reddat: vel denique
propter obſtructionem, quæ ſi detur, quæris
quo in loco conſiſtere queat, Reſpondeo 4.
materiam aliquam viſcidam, aut craſſam tunicis arteriæ impactam eſſe poſſe, non quidem vt ex toto eam obſtruat, alioqui enim plane pulſus omnis aboleretur, ſed ex parte tantum, vt minus euidens, atque ceu interpolatus percipiatur. Vale, 16. Martii Anno 1576.

EPIST. CCV.

IDEM EIDEM.

AD diſputationes meas, in ſuperioribus quibuſdam inchoatas, quod ſpectat breuiſſime omnino me exſoluam, imo plane verbum nullum facerem, ſi te hæc cum faſtidio legere arbitrarer. Nondum aſſequor quomodo calor inſitus, & influens pro eodem reipſa haberi poſſunt. Venit nunc in mentem mihi eos ſic diſtingui poſſe, *Caloris inſiti & influentis differentia.* quod calor inſitus miſto inſit, quoad miſtum eſt, (quomodo enim alias ex quatuor elementis, ſeu, vt Hippocrates appellare conſueuit, ex calido & frigido, & humido & ſicco, conſtare dici poſſet?) Calor autem influens miſto inſit, (loquitur de iis, quæ vita animali viuunt) quoad miſtum illud viuens eſt. Accedit quod calor inſitus à principiis generationis inhæret, atque ex ſemine ipſo, & ſanguine menſtruo ortum ducit. Calor autem influens poſteà primum ex ſanguine alimentari in corde generatur, eiuſque vehiculum eſt ipſe vitalis ſpiritus. Denique inſitus ille, ſeu implantatus calor, partibus quibus ineſt, appropriatus eſt, nec alibi reperiri valet. Habet enim ſe (quemadmodum Ariſtot. loqui ſolet) ὡς τόδε ἐν τῷδε, Influens autem in corde quidem primario ineſt, vt qui inde originem ſuam trahat, ex illo vero tamquam perenni fonte arteriarum, ceu canalium opera in omnes corporis particulas deriuatur, quibus quidem vitam & calorem, vt ſic dicam, actiuum impertit. Vnde etiam fit vt via iſta præcluſa partes ſta-

ſtatim emoriantur, cum nihilominus miſtionem & temperamentum ſuum natiuum obtineant. Quod putredinis vtriuſque cauſa efficiens eadem ſit, fortaſſe de efficiente propinquo concedi poſſet. Quęritur tamen vnde ſit ille calor præternaturalis? Dixi in putredine vniuerſali ſeu naturali eſſe tantum ab ambiente, hoc eſt, aere vel aqua. In particulari autem ſeu violenta & morboſa ſæpiſſime ab obſtructione, hoc eſt, cauſa interna, non externa. Fines tamen magis principales diſcrimen inter has duas putredines faciunt. In illa enim in cineres atque fimum miſta ipſa omnia rediguntur. In hac nondum prorſus corrumpuntur, aut in ipſa prima elementa redeunt, ſed ſolummodo κατὰ μέρος φθείρονται, ſecundum partem ſcilicet, non tam ſubſtantialem, aut quantitatiuam, quam, vt ſic dicam, qualitatiuam. Frigiditas interna, de qua dixi, vnde ſit quæris? Reſpōdeo eſſe eam, quæ natura miſto cuilibet ineſt. Cum enim antea à calore in generatione dominante vinceretur, atq; cohiberetur, nunc poſtquam calor ille internus patitur, & diminuitur, ipſa quoque paulatim vires ſuas prodere, & actiua fieri incipit, atque ſic vna cum calore præternaturali foris agente corruptionis, ſeu τῆς κατὰ φύσιν σήψεως cauſa adæquata exiſtit. De cauſa intermiſſionis pulſus in vno brachio illud ſolum adiiciam, quod, vt puto, alienum ab re non fuerit. Deprauatæ actionis in corpore humano, inter quas hæc recte connumeratur, certum eſt plures tribus cauſis aſſignari non poſſe. Aut enim facultas ipſa læſa eſt, aut inſtrumentum, à quo editur, aut deniq; externus aliquis error accidet. Virtus lædi, niſi ab intemperie (quam remoues) vix poteſt. Organum vero tum vitiatum dicetur, vbi mala conformatio præter naturam parti inerit, quæ ſimiliter à te excluditur. Relinquitur igitur externum aliquod impedimentū acceſſiſſe, quo minus inculpabilis actio ſubſequatur, quod quidem erit, aut tumor aliquis arterias foris coanguſtans, aut obſtructio intus cauitates ex parte opplens, aut vnitatis ſolutio, aut aliquid eiuſmodi, quod ſub his generibus ex neceſſitate comprehendatur. Peto abs te etiam atq; etiam ne iniquiori animo haſce meas συζητήσεις feras. Etſi enim ſcio me de reb. maximi momenti, vel propter ætatem nondum γνώρισμον τιν habere poſſe: tanto tamen lubentius eas in dubium reuoco, vt plenius de his erudiar, cum etiam Philoſophus affirmet, de qualibet re dubitare non eſſe inutile. Minime vero meum eſt propoſitum rebus neceſſariis omiſſis nugis quibuſdam occupari. Ideoq; regulam abs te pręſcriptam diligenter menti meę infigo: Philoſophandum eſſe paucis, meditandum & cogitandum diu. Vale 11. Maii. Anno 1576.

Cauſa intermittentis pulſus.

Deprauatæ actiones triplices.

Regula ſtudioſorum.

EPIST. CCVI.

IDEM EIDEM.

LÆTOR ex animo te priſtinas vires nonnihil recepiſſe, & nunc valetudine paulo confirmatiore vti, quę quidem vt diuturna & ſtabilis ſit, filium Dei precor. περὶ ζητήματος quod nuper diſcendi cauſa propoſui nolo odioſe diſputando tibi moleſtiam exhibere. Fateor nec locum, nec gradum eſſentiam caloris conſtituere, ſed illud volebam, vt in reliquis partibus, ita etiam in ipſo corde duplicem calorem reperiri, implantatum quidem, qui in principiis generationis inſit, ac ſemper poſtea immaneat, ſitque aut ipſum temperamentum cordis natiuum, aut certe temperamenti eius potiſſima qualitas. Influentem vero (ita enim ratione aliarum partium, ad quas ex hoc fonte deriuatur, dici conſueuit) qui non ex ſemine aut ſanguine menſtruo oriatur, vt alter ille, ſed potius ex ſanguine illo alimentari, ab epate eo dilato, qui etiam poſtea cū ſpiritu vitali, tamquam vehiculo illius in omnia membra corporis propagatus, eis vitam impertiat. Violentæ vero putredinis Ariſtoteles & quarto illo ſublimium, ἐκ τῆς ἐναντίας, & in libro de reſpiratione expreſſe meminiſſe videtur. Appellant enim τὴν βίαιον μάχομενον, quaſi opponens τῇ κατὰ φύσιν. Frigiditatem autem illam internam quæ natura ineſt miſto, certum eſt per ſe ſolam putredinis cauſam minime eſſe poſſe, cum à calorę miſti ſuperetur & reprimatur. Quando tamen euocato & debilitato calore illo, qui miſtum continebat, miſtum diſſolui incipit, mirandum non eſt ipſam quoque frigiditatem, licet antea vero acula fuerit & paſſiua, nunc extraneam & actiuam euadere, ac cum calore ambientis ſimul calorem proprium miſti oppugnare, & ita hæc duo cauſam adæquatam putredinis exiſtere. Venetiis contagium, quod prorſus ſopitum videbatur, paulatim nunc vires ſuas rurſus exerit, adeo vt Illuſt. Dominiū quinque præcipui nominis medicos ex hac vrbe ad ſe vocauerit, habēdæ deliberationis cauſa, quomodo his malis idoneis præſidiis occurri poſſit, qui quidem craſtina die hinc diſceſſuri ſunt. Deum præcor ne curſus ſtudiorum noſtrorum tali aliquo impedimento interrumpatur. Eraſtum ſuas de contagione concluſiones, auctiores tamen & emendatiores denuo prælo ſubiicere in animo habere nuper admodum cognoui. Fun-

Violenta putredo.

damenta eius noſtri nõ improbant, etſi quędam adhuc explicatius dici deſiderent. Illud de ſubſtantia & qualitate, per quorũ vtrumq; contagionem definit, ita intelligengendum cenſeo, vt ſeminarium ſeu vapor ille exiens a corpore infecto, & eundem ſpecie morbũ in alio ſub ecto procreans interdũ a ſua ſubſtantia vel forma, occulta quadam vi agat, interdum vero nota ſaliẽ qualitate; ſicut manifeſte hoc diſcrimen io morbis cootagioſis animaduerti poteſt. Exempli cauſa ſit peſtis, lues venerea, ſcabies, & alia huiuſmodi. Vale, Patauii. 8. Iunii, An. 1576.

EPIST. CCVII.

IDEM EIDEM.

In Nephritici doloribus nauſea & vomitus cur?

CAVSA cur vomitus & nauſea conſequi ſoleant, vbi calculus eſt in motu, referenda videtur, aut in συμπάθειαν oris ventriculi, quod ſenſu exquiſitiſſimo præditum eſſe conſtat, ob partem nerueam, in ſubſtãtia ſibi ſimilem, (canales nimirũ vrinarios) affectam, aut ſi propius cauſa indaganda eſt, ob coli ipſius læſionem, aut irritationem à lapidis motione per contactum conciliata, præſertim cum ventriculus colo (ſicut & ipſis renibus, quamuis obſcurius) facilime conſentiat, quemadmodum euidenter Galenus 2. de locis aff. 5. & 6. de locis aff. 1. demonſtrauit. Contagii per DEI gratiam iis nunc ſtatus eſt, vt nos magis magiſq; ſecuros eſſe iubeat, quamuis tantum incendium minime ita ſubito extingui poteſt, vt nõ aliquæ ſaltem fauillæ remaneant, ſenſim tandem & ipſæ euaneſcentes, id quod in huius etiã peſtis reliquiis Venetiis fieri videmus. DEVS nobis clementer porto adſit. Ad putredinis eſſentiam quod attinet. Ariſtotelem & Galenum inter ſe maxime concordes, apud me nullum eſt dubium, quantumuis verbis nõnihil inter ſe diſſidere videantur, ob id inprimis, quoniam nõ vnum ſcopum tractionis vterq; ſibi propoſitum habet. Hic namq; vt Medicus actioni ſiue curationi intentus, non minus ea quæ fit, quam quæ iam facta eſt, complecti voluit, illi vero vt Philoſopho ſat fuit formam ipſam & perfectionem putredinis commonſtraſſe, cum eam, quæ nõdum finem & terminum ſuum aſſecuta eſt, ceu contemplationi inutilem pro nulla ducat. Neque hæc, vt Galenum toties Ariſtotelis finitionem commendantem præterea, Eraſti ſolius eſt ſententia, verumetiam, quos nunc præceptores habeo, tum Capouaccii, tum Mercurialis noſtri, qui in publicis prælectionibus vnanimi calculo huic opinioni ambo adſtipulati ſunt. Quod ſi quis inde inferre velit, quemadmodum fortaſſe & Auerrhoes, & non pauci alii haud indocti ſenſerunt, hoc pacto Hecticam quoq; neceſſario putridam vocandam, eo quod calor præternaturalis etiam in hac febre in ſolida agat, is videtur non firmiſſima ratione niti. Quandoquidem non animaduertit calorẽ extraneum duplici modo in miſtum aliquod agere poſſe, vt videlicet illud aut alteret, aut corrumpat. Iam in Hectica ſolidarum partium calor, vt proprius duntaxat patitur, dum igneus, ac pręter naturam euadit, quam mutationem inter alterationis limites adhuc conſiſtere liquet. At vero in putridis non alterationem tantum, verumetiam corruptionem calor ille extraneus in humiditatibus corporis molitur, vt vno ore & Ariſtoteles, & Galenus pronunciarunt: hæcq; ipſa corruptio rurſus bipartita recte ſtatuitur, Naturalis nimirum vna, violenta altera, de quibus omnibus breuiter dici minime poteſt, quin potius abs te peto, vt quę modo in mediũ protuli (diſcendi certe ſtudio adductus) ea ſine faſtidio legere non dedigneris. Vale, Patauii. Anno 77. 14. Martii.

Conſenſus Eraſti, Capouaccii, Mercurialis.

EPIST. CCVIII.

IDEM EIDEM.

LOCVM Galeni, quem de vomitu in dolore renum nuper in tuis allegaſti, nondum attente perlegere vacauit. Viſus eſt tamen & mihi primo intuitu à ſcopo non aberraſſe, ſed experiar de eo Hermetis quoque noſtri iudicium. Nunc filum literarum tuarum ſequendo ad ea me conuerto, quæ de Putredine controuerſa eſſe ponis, teque auctore libere (hanc diſcendi occaſionem minime negligendam ratus) cogitata mea qualiacunque profero, tuoque iudicio diſcutienda relinquo. Principio cum res ipſæ differant, inquis, definitiones earum nequaquam congruent. Atque ita neque mutatio, ſiue motus ad corruptionem, & rerum naturalium interitu pro eodem accipi poterunt. Dico ego duas iſtas definitiones Ariſtotelis nempe, atque Galeni, vt maxime verbis, atque etiam rebus ipſis quadamtenus (vt nuper poſui, & nunc amplius declaraturus ſum) diſcrepat, minime tamen ſibi inuicem oppoſitas aut aduerſas, ſed potius velut ſubordinatas, mutuoq; reſpondentes eſſe: idque ob eam rationem, quod prior illa generalior, omni putredini in quantum putredo, conueniens: hæc magis determinata eſt atq; reſtricta. Illam, vtpote à Philoſopho traditam, putred . . . tum vni-

Putredo Galen & Ariſt.

Putredinis eſſentia.

vniuerſali (quam Ita vocant) tum ei quæ ſecundum partem eſt, item qua tum naturali, tum violentæ (ita enim diſtinguit Ariſtoteles) accommodare licet. Hæc à Medico allata, vt propoſito eius inſeruiat, ad putredinem in corporibus noſtris fientem, factamue, pene ſolam directa eſt. Vnde non immerito eum hanc Galeno hunc in modum conſtituere placeret, alteram tamen, ceu huius parentem mirifice pluribus in locis commendat. Apparet hinc atiam, cur in cauſis effectricibus aſſignandus vterque ab altero nonnihil variet. Etenim Ariſtoteles putredini in vniuerſum intentus ſatis habet dicere, eam ab externa caliditate ortum ducere, non ſolicitus vtrum ea caliditas aeris ſit, an aquæ, vtrum vaporum aut fuliginum ambientium, vtrum ab impedita per ſpiratione, aut quauis iãdem alia occaſione exſtiterit. Galenus contra ex artis ſuæ præſcripto, vnicam in humanis corpuribus putredinem ſibi ob oculos ponens, eius cauſas definitas, atque circumſcriptas inueſtigare tenetur, vnde quod Philoſophus in genere dixerat: illud in ſuas quaſdam ſpecies diducit, & limitat. Quo in loco vt firmior inter grauiſſimos hoſce autores concordia coaleſcat, & plurimarum obiectionum anſa ſimul præcidatur, illud adiicere libet:

Ambiens Ariſtotelis quid

Non videri mihi abſonum, aut à mente Ariſtotelis alienum, ſi vocem τῦ περιέχοντος, quam ambientem alii, alii cõtinentem verterunt, ita accipiamus, vt non ſolum aerem, vel aerem & aquam ſimul complectatur, ſed omne omnino id quod corpus putrefactioni obnoxium proxime ambit, aut continet. Id quod Galenum quoque animaduertiſſe inde liquet, quod nulla aeris, aut aquæ expreſſa mentione facta externum calorem, qui nimirum foris ſubiecto putreſcibili occurrat, duntaxat nominat, ſuoq; ſcopo exinde accommodat.

Calor innatus quid Ariſtot. & Galeno.

De calore autem innato, quænam inter eoſdem tanta ſit diſcordia, nondum intelligo. Ais Galenum hunc ſtatuere ſanguineam ſimulque aeream ſubſtantiam vna cum ſpiritu. Ego ex Ariſtotelis loco, quem tumet eitas, 2. videlicet de ortu animal. non multo diuerſum colligo. Inquit enim hic autor, calorem, qui facit, vt fœcunda ſint ſemina, non ignea eſſe, non talem facultatem aliquam, ſed ſpiritum, qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur, naturamque quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondere elemento ſtellarum. Certe caloris huius congeniti eſſentiam ſpitituoſam eſſe pronunciat, & quodammodo igneam, vt alibi ſa pe appellat, non tamen adurentem ſed blande fouente: & mitem, omnesque operationes vitæ gubernantem, atque dirigentem. Quare etiam ob eandem cauſam calori cæleſti, ſiue æthereo, qualis eſt ſolis, recte illum comparat, cum tamen alioqui reuera ſit elementaris. Si quid inter vtriuſque ſententiam intereſt, illud fortaſſe ſolum fuerit, quod Ariſtoteles, ceu Philoſophus (ad hoc enim ſubinde reſpiciendum) calorem hunc magis (vt ſcholæ loquuntur) in abſtracto conſiderat, eius eſſentiam abſolute & per ſe innuendo. At Galenus, tamquam artifex ſenſitiuus, materiam ſiue ſubiectum proprie ei copulat, in quo reſidet.

Humidum primogenitum.

Quod quidem aliud eſſe non poteſt, quam humidum illud primogenitum, ita medicis vulgo nuncupatum, hoc eſt, ſubſtantia quædam viſcida, pinguis, & veluti oleoſa, ex primis ortus noſtri principiis, ſemine nimirum & ſanguine menſtruo conflata. Si itaque porro quæras, quonam modo Eraſtus probaturus ſit calorem innatum, de quo agit Ariſtoteles, & totam ſubſtantiam, de qua Galenus, idem eſſe: Ex ipſius verbis (quæ in poſitionibus nupertime editis habentur) reſpõdebo, cum non ſolum calorem natiuum, ſeorſim complectendo, à Galeno totam ſubſtantiam appellatam, ſed ſecundum ipſummet Ariſtotelem) calorem natiuum cum ſuo humido coniunctim, hoc eſt, ſua materia. Et quid mirum? Cum enim ad compoſitum aliquod conſtituendum, præter materiam & formam nihil concurrat aliud, cur non hæc duo ſimul ſumpta totam ſubſtantiam complere affirmabimus: Atqui calor natiuus, vt per ſe apparet, formæ vicẽ ſuſtinet, humidum ipſum materiæ. Iure itaque (calorem natiuum cum ſuo humido) totam ſubſtantiam nuncupare licebit. Verum reſtat & alius ſcrupulus quem ex iiſdem fundamentis aliquoties iam repetitis, diſſolui poſſe cenſeo.

Definitio Ariſtotel putredinis accuratior quam Galeni.

Ariſtoteles enim in ſua illa definitione, cum putredinem corruptionem eſſe ait, proprii & natiui caloris in vno quoque humido, exquiſitius loquitur, quam Galenus, qui eandem vocat mutationem ad interitum, ſeu corruptionem totius ſubſtantiæ putreſcentis: Ille enim exacta ratione omnia penſitans, tamquam Philoſophus, ea quæ καθόλου, καὶ καθ' αὑτὸ ſunt contemplans, proximam immediatamque ſiue vt in ſcholis nominare conſueuerunt, cauſam adæquatam tangere voluit, quæ ſemper cum ſuo effectu recurrit, (quemadmodum namq; omnis putredo primo naturalis caloris corruptionem ſpectat, ita etiã hoc incolumi permanente, vt putredo aliqua accidat, fieri nullo modo poteſt. Galanus autem cui, vt Medico circa ſingularia magis occupato, hæc ἀκριβείᾳ φυσικῇ

curæ non eſt, ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον rem explicare maluit. Vnde & popularius totam ſubſtantiam appellat, & præterea non tantum perfectionem, quam Philoſophus intuetur, ſed etiam viam ad perfectionem, ſeu ad terminum ſua definitione complectitur.

Forma & modus putredinis.

De forma & modo putredinis ſimiliter non leuem eſſe diſſenſionem inter vtrumque ſubiungis. illo aſſerente putreſcentia primũ humidiora fieri, euocato ſcilicet humore ad ſuperficiem, deinde aſſumpto ſicciora, donec in fimum redigantur, hoc nihil horum proponente, & quæ ſequuntur: dico rebus diſtinctis facile hanc quoq; inter eos litem dirimi poſſe. Partitur enim Ariſtoteles ſtatim ab initio putredinem, de qua verba facturus eſt, εἰς τὴν καθόλου, καὶ τὴν κατὰ μέρος quarum alteram ſimplici generationi, vt maxime commune opponit; alteri vero tribuit his propemodum contrarium. Erunt igitur aliqua, in quibus hæ duæ putredines inter ſe cõuenient; (cur enim alioquin vno nomine participarent?) nec pauciora, in quibus vt plurimum diſſidebunt. Forma generica eadem videtur eſſe vtrobique, nempe, caloris natiui in ſuo humido corruptio, tum perfecta, tum imperfecta, inchoataque, tametſi illic ſecundum naturæ curſum ex internis principiis (ambiente interim aere nequaquam excluſo) ea miſto adueniat, hic vero à principio aliquo violento & externo. Cauſæ efficientes remotæ & ipſæ coincidunt, quoniam corruptio iſthæc in ambabus aliunde non prouenit, quam à caliditate extranea, quæ mixto occurrit. Propinquæ tamen nonnihil variant. In vniuerſali enim putredine calor aeris ambientis, aut aquæ etiam ſolus reperitur. At in particulari ſeu violenta, tum idem ille adeſt calor, tum vero etiam is, qui excitatus eſt in penetralibus corporis ab obſtructione, à craſſis fuliginibus emanantibus à ſuccis excrementiciis, & ſimilibus aliis. Si itaque concluſerimus Philoſophum in 4. illo ſublimium potiſſimum de putrefactione naturali, ad quam miſtum eſt propenſum, & quidem vniuerſim loqui (quamuis nec alteram prorſus releget;) Noſtrum autem Galenum magis determinate de putredine violenta morbidaue in noſtris corporibus orta agere: tum vero exiſtimo hac ratione multis difficultatibus obuiam iri poſſe, & pleraquedeinde dilucidiora, & minus intricata euaſura.

Conuenientia vtriuſque putredinis.

Diſcrepantia in propinquis.

Ad fœtorem, quod attinet, vnico verbo ſubiungo. Non conuenire eum omni putredini, quoad putredinem, multo minus partem eſſentiæ eius conſtituere, ſed ſaltem accidere certæ putrefactioni, ob diſpoſitionem aliquam ſingularem, quæ in paſſo reperitur, vtpote in quo magis humiditas, ita etiam minus olere ipſa teſtatur experientia, vt taceam Theophraſtum clariſſimum autorem, in 3. de cauſis plantarum, aſſerentem: Omnem generationem illarum per putrefactionem fieri, in qua tamen inſignem aliquem fœtorem imminere vix vnquam à quoquam animaduerſum fuit. Quibus omnibus huuc in modum conſtitutis poſtremo tuo quæſito ſatisfacere ſtudens affirmo: Putredinem omnem, qualiſcumque ea tandem ſit, aliud nihil eſſe poſſe ex propria ſua natura, quam intemperiem quandam calidam, calori natiuo corporis noſtri (loquimur enim nunc vt Medici) penitus aduerſantem.

Fœtor non conuenit omni putredini.

Quod vero vna quam alia ſæuior eſt & efficacior, ideo accidere arbitrandum eſt, quoniam non eundem perfectionis gradum vtraque obtinet. Quæ enim vix dum inchoata in poſſeſſionem miſſa, niſi prorſus è corpore tollatur, nulla ratione alia compeſci poteſt. Et quidem (ne longe exempla petantur) hoc diſcrimen in febribus putridis peſtiferis, ac non peſtiferis manifeſtiſſime apparet. In his enim vapores è materia putreſcẽte ad cor elati, (Agens enim magis ſeruefactum, quam putrefactum: patiens cum humidiſſimum ſit comburi non poteſt, ſed per violentiam putreſcere) illud non tam putrefaciunt, quam calefaciunt, pro ſua videlicet naturæ & ſubiecti conditione, cum feruefacti & aduſti magis ſint vere putridi redditi. Certe enim, ſi quis hæc ſorte negare præſumat, putredinem ita alte particulis ſuis infixam non habent, vt mordicus illam retinere diutius valeant. Diuerſa eſt ratio peſtiferarum, quas corruptionis huius terminum omnibus numeris abſolutum attigiſſe conſtat. Accedit quod ob gradum illum perfectionis, eam malignitatẽ febres hæ peſtilentes coniunctam habeant, vt venenis putrefactiuis non iniuria ob agendi vim præſentiſſimã aſſimilentur, proindeq; à vulgarib. putridis longo interuallo ſeparentur. Quamobrem etiam recte tota ſubſtantia nobis aduerſari dicuntur, hoc eſt, nõ ſolum ſimplici & nuda intemperie primarum qualitatem (eſt enim contagium à putredine deriuatum non prima, ſed ſecunda qualitas, certam ſubiecti diſpoſitionem requirens) verum quoq; tota ſua forma & eſſentia. Neque tamen inde ſequitur, in cenſu putridarum, & quidem continuarum amplius non habendam, cum forma ipſa ſine inſtrumento (hoc dico, ne putetur eſſe potius morbus formæ, quam temperamenti; Cum forma non agat ſine inſtrumento, mot-

Putredinis gradus.

Putredo febrium Peſtiferarum.

bus ſit affectio eius, quod primo adiuuat, vel impedit actionem) apte vel inepte temperato nullam actionẽ edat: & ipſe Galenus expreſſe affirmet plurib. in locis: Verum Characterem febrium peſtiferarum eſſe largam putredinem. Quæ omnia ſi pluribus verbis, quam fieri decuit, apud te expoſui, dabis opinor veniam loquacitati meæ, cũ in vt hanc arenam deſcenderem pene abs te prouocatus ſim. Tu ſi aduerſum non eſt, quid tibi de his videatur reſpondere non grauaberis. Vale. Patauii, Kal. Auguſti, Anno 1577.

EPIST. CCIX.

IDEM EIDEM.

Melãcholia hypochõdriaca num ab Hepatis frigiditate!

IN doctiſſima tua diſputatione de melancholia hypochõdriaca illud mihi adhuc dubium videtur. Quomodo ea à frigiditate epatis oriri poſſit, cum non tantum alii recentiores, ſed etiam ipſe Galenus in pleriſq; locis affirmet hunc humorem gigni *ἀπὸ θερμασίας πολλῆς ἐγχωρίου κατοπτήσεως ἢ τὴν ξανθὴν χολὴν, ἢ τὸ παχύτερον τ' καὶ μελάντερον αἷμα.* Et paulo poſt, (tertio nimirum libro de locis laborantibus cap. 7. vbi verba Dioclis recenſuit) vniuerſaliter pronunciat, vt talia accidentia contingant, oportere in ventriculo inflammationem eſſe, à qua ſanguis craſſeſcat, & melancholicus euadat. Vt maxime enim demus à frigiditate epatis (ſi ſiſiccitas accedat, alioqui enim magis hydropem ſeu leucophlegmatiam cauſabit) ſanguinem craſſum, fœculentum, tenebroſum, & pene immobilem reddit, quia tamen hæc *διάθεσις* totius corporis eſt, in quod maſſa ſanguinea diſtribuitur, minus recte videtur ad hypochondriacum hunc affectum reduci. Expecto tamen de hoc tuum iudicium. Quod autem in fine addis: Pueros nonnunquam ob pituitam craſſeſcentem atque putreſcentem quartana laborare, non minorem dubitationem habet. Cur enim non potius in ipſam melancholiam, quam vel naſcentes ſecum afferunt, hæc transferamus, ne typos febrium abſque vlla neceſſitate transmutemus? Cætera omnia vehementer perplacent, & expectationi meæ egregie reſpondent, ac res ipſa fatetur hæc dudum ante tibi præmeditata eſſe. Ignoſce igitur quod diſcendi ſtudio diutius hæc ceu inualida tela aduerſum te vibro, quæ tibi non excidere tantum, ſed etiam in torquentem regerere facile erit. Vale. Vratiſlau. 4. Idus Ianuar. An. 1579.

Pueri quartana laborãtes.

EPIST. CCX.

IDEM EIDEM.

ITERVM cõſilium tuum ſapientiſſimum ad Do. Wolzogium directum, quod cõſolationem medicam appellas, diligenter relegi & expendi, inq; eo nonnulla obſeruaui, de quibus ne me breuib. tecum agere moleſte feras oro. Quod ſeroſi incorpore humoris prouentum præcipuam fluxionis in arthriticis affectionibus cauſam ſtatuis, ad Fernelii noſtri opinionem, contra quã multi diſputarunt, quam proxime accedis. Verum in duobus te ab illo diſſentire arbitror, nempe, quod nõ ſolum crudum & ſeroſum humorem mali huius progenitorem facis: deinde quod nõ à capite duntaxat, verum etiam ab aliis partib. materiam ad articulos confluere poſſe concedis, quorum vtrumq; rationi & experientiæ magis conſentaneum eſſe, quam illius *παράδοξον*, nec veteribus vnquam approbatum, ipſe quoq; plane ſentio. Lubenter tamen vna tecum aſſero: ſeroſos humores ſemper cum craſſiorib. cõiunctos eſſe, quod hi ſine illis vehiculi vicem præſtent. Vnde ſeroſiorib. humoribus tempeſtiue ſublatis, ſiue per vrinam, ſiue per ſudores, qui remanent craſſi, alio auerti & expurgari, per aluum nimirum, minori cum noxa poſſunt facile. In victus ratione præſcribenda paulo rigidior mihi eſſe videris, in eo præſertim homine, qui in occupato vitæ genere degit, & ne poteſt quidẽ, ſi velit maxime, tã accuratam diætam, nõ in cibo ſolum & potu, ſed in aliis etiam reb. non naturalibus dictis obſeruare. Dum enim valetudini ſuæ impenſius operam daret, vt officium ſibi cõmiſſum interim in multis negligentius curaret, omnino neceſſe eſt. Itaque in mentem venit, quod de Landatiſſimo Aragonum Rege Alfonſo recitatur. Is enim cum à quodam audiſſet qua ratione ad xc annorum ætatem, viribus ſic ſatis conſtantibus peruueniſſet, ſubiecit: Mori ſe malle intra decem annos (nondum autem quinquaginta exceſſerat) quam ad centum tali vitæ genere peruenire. Habet certe hic etiam illud locum: Non nobis ſolum nos natos eſſe, & quæ ſequuntur. Quot porro ſunt, qui in exquiſitiſſima victus ratione ſæpius tamen in articulares dolores incurrunt, & moleſtius iis fatigantur, quam qui nonnihil liberius viuunt? nempe, Hippocratis illud oraculum veriſſimum eſſe, res ipſa indicat. In tenuis diætæ obſeruatione plures errores committi ſolere, qui ægros deinceps grauius affligunt. Quoduis ſiquidem peccatum hic noxium magis, quam in paulo pleniore victu eſſe conſueuit. atque eadem

Seroſi humores Arthr. cauſa.

Diſſenſus à Fernelio.

Diæta pedagogica rigidior.

Contemptor Diætæ Rex Alphonſus.

de cauſa ſanis valde tenuem, & ſtatam, exquiſitamque victus rationem parum tutam eſſe, idem autem prudentiſſime affirmat. quoniam ſi quid vel exiguum deliquerint, grauiſſime perferunt. Ego quidem, ne quid diffitear, in ea ſum hæreſi: In victus ratione præſcribenda magis ad quantum, quam ad quale reſpiciendum eſſe, atque cibum, etiam ex ſua natura minus ſalubrem, morboque idcirco accommodatum, ſi tamen cum auiditate ſumatur, minus noxæ corpori afferre, quam alium, qui ſaluberrimus quidē iudicetur, ſed appetitui noſtro plane repugnat. Quod enim ſapit, vt vulgo dicitur, id nutrit. Et quæ ventriculus inuitus aſſumit, nunquam arcte complectetur, (in quo plurimum ſitum ipſe affirmas) inque bonum & laudabilem ſuccum conuertet. Aurea igitur regula illa valeat, quam tute diligenter inculcas: Vt ne quid nimis. Vnde apparet me nequaquam cupiditatibus frænum in infinitum laxare, ſed tantum hoc velle, vt ne iugum importabile miſeris ęgris imponatur, appetituſque eorum prorſus proſternatur. Ideoque, quæ illis morbi ratione proſunt, aut obſunt, diligenter quidem indicanda cenſeo, vt ſciant, à quibus potiſſimum cauere debeant: nihilominus vbi à propoſitis rebus naturaliter abhorrere ſenſerimus, aliquid indulgendum, vt illos in officio conſeruemus, & paulatim ab inſalubrioribus ad ſalubriora, hoc veluti obſequio, perducamus. Nam & ipſi ſponte hac prudentia vtentur, vt de vetitis parcius deguſtent, inque reliquis medio ſe magis obedientes exhibebunt. In potu autem hoc præceptum vim ſuam vel maxime obtinet. Laudo itaque quod vinum bonum & clarum, cuius vſu alii etiam extra paroxyſmum ſeuere interdicunt moderate ſumtum permittis, quia ſcilicet non tantum bono ſanguini efficiendo, idoneum eſt: ſed etiam cruditatibus concoquendis abſumendiſue, quibus hoc corpus plurimum ſcatet, egregie confert. Sed nec cereuiſiam huialem, ceu potum naturæ familiarem, & tenuitate ſua cito hypochundria permeantem, improbauerim, vt tamen nodulum ex calamo aromatico inciſo, galanga, ſeminibus aniſi, fœniculi, vel baccis lauri, & ſimilibus, ad corrigendam frigiditatem & cruditatem immitteret, ſæpe ſuaſi, neque te, cum ſapor haud inſuauis ſit, inde abhorrere exiſtimo. In quarta parte ſeu capite conſolationis tuæ circa medium σφάλμα γραφικὸν commiſſum eſſe puto. Neque enim, quid ſibi verba iſta velint, quoue referenda ſint, ſatis aſſequor. Cum ſpiritus puriores in ipſo morbo, &c. Ex tuis igitur aduerſariis, niſi moleſtum eſt, errorem nobis demonſtrabis, & corriges. Rectiſſime reprehendis pleroſque medicos, qui cum in morbo articulari duo potiſſimum conſideranda ſint: cauſa fluxionis, & pars fluxionis recipiens: ad alterutrum duntaxat curationem totam conuertant, nempe, qui purgantibus pharmacis corpus frequenter nimis exagitant; ad cauſam ſeu materiam fluxionis. Et qui thermas, luta, & alia huiuſmodi conſulunt; ad partem affectam. At vera & rationalis methodus ita vni ſcopo attendēdum ſatisfaciendumq; monet, vt alter interim non negligatur. Vt purgantibus per certa interualla plurimū tribuo merito: ita nequaquam illis aſſentiri queo, qui omnem topicorum vſum veluti relligione quadam ducti in ſolidum prohibent. Quorſum enim quæſo dolorem, qui fluxiones auget, & vires corporis deiicit, impune adeo graſſari permittamus? Ita tamen falſa perſuaſione inducti ferme omnes ſunt, & medici & ægri: vt piaculum exiſtiment loco patienti, quamdiu durat dolor, aliquid applicare. Cautione magna, in materia præſertim miſta, qualis plerumque eſt, vtendum cenſeo: interim tamen non prorſus abſtinendum, donec ſenſum pars pene omnem amittat, & ἀναίσθητος atq; ſtupida fiat. Si Galenum conſulimus, quam ille liberalis eſt ex Archigenis & aliorum ſententia, in iis admouendis, quæ opium, ſuccum hioſcyami, cortices mandragoræ, & alia narcotica recipiunt? Ego tamen tam audacter, & tali magiſtro pręuio, ad extrema huiuſmodi conſcendere nolim. Illa potius admiſerim, quæ temperiei ſuauitate, & vi anodina dolorem, qui in exceſſu poſitus eſt, blande demulcent, ſimulque leui aſtrictione partem à fluxione debilitatam roborant. In hoc cenſu liquores idoneos ſeu deſtillatos, ſeu decoctos, quibus linteamina imbuuntur, & calide partibus ſæpius permutando circumponuntur, magis laudauerim: quam oleoſa illa & pinguia, quibus pori cutis fere obſtruuntur, & materia tenuior diſſlari prohibetur. Cauteriis, ſi dextre & artificioſe fiant, multos egregie adiutos eſſe conſtat: & recitat exempla nonnulla dominus Eraſtus, piæ memoriæ, in Antiparacelſicis. Conuincit idem ratio, quæ ex tua hypotheſi deducitur: quando nihil æque ſeroſos humores abſumere aptum natum eſt, atque cauteria iſta. Sumitur autem indicatio, quæ tamen 5. Methodi medicæ ex eo, quod continuo in corpore præter naturam gignuntur, ea etiam tale præſidium expoſtulabant, quod illa continuo

Quantitas cibi magis quam qualitas reſpicienda.

Sapidum nutrit.

Vinum concedendum.

Nodulus ceruiſiæ cruditatem corrigens.

Duo in curatione ſemper conſideranda.

Topica non penitus reiicienda.

In topicis narcoticis Gal. liberalis.

Anodina quæ & qualia conueniant.

Cauteria.

tinuo

tinuo educat. Hoc nempe fonticuli iſti, vt vulgo loquuntur, præſtant: & exitum iis humoribus è corpore innoxiè patefaciunt, qui alioquin intus detenti multum moleſtiæ naturæ afferre ſolent. De lotione capitis frequente ſipſe quoque ἐπέχω propter actualem illam humiditatem, quæ non poteſt nõ incommodi aliquid adiunctum habere. Cerotum, quod ſubſtituis, magis placet. Velim tamen ſcire: An illud raſo vertici applicandum ſit, an vero ſindone obductum noctu duntaxat admouere cõueniat? obtemperabo lubens, (id enim poteſtatis à patiente noſtro, pro ipſo nempe fideiubendi, accepi) quicquid hac in parte, & aliis fieri iuſſetis. Quantum ad vaporarium ſeu ſtufam ſiccam attinet: dum mentem tuam penitius introſpicio, nequaquam nos diſſentire arbitror. Nam nec ego hic quicquam cum impetu agi, aut ab vno extremo ad alterum ſine medio tranſire velim. Blandiſſimus ille vapor, qui è herbarum idonearum decocto feruente emanat, quid violenti habet? Caput quidem ne iuſto plus repleatur exſertum manet. Reliquum corpus ſudat tanto temporis ſpacio, quantum abſque vllo incommodo perferre poteſt, modo per ſemihoram, modo per tres quadrantes, ad integram vſque horam idque ſingulis ſex aut octo diebus ſemel. Sudores matutini in lecto ægre in hoc corpore procedunt, & hominem occupatum iuſto diutius detinent: at illic vna vice facilitori cum tolerantia cõpenſatur, quod hic vix multis obtinere fas eſt. A Calendis Ianuarij huc vſque ſingulis diebus mane vſus eſt puluere, ea fere forma, qua pro D. Quæſtoris coniuge non ita pridem præſcripſiſti, incorporato ſcilicet cum rob. de baccis ſambuci. Nunc autem te autore eundem puluerem cum melle acido in electuarij mollioris formam redactum ſumere conſtituit. Alter ille Italicus Mediolanenſis nimis amarus eſt, vt propter caloris exceſſum vilem quoque ſuccum in corpore depaſcere, & contrariam quandoque intemperiem inducere credibile ſit. An inter oleum & ſpiritum vitrioli (quæ vulgo confunduntur) differentiam facias, incertus ſum. Arbitror tamen te id intelligere, quod medio inter deſtillandum tempore exit. Spiritus enim ſubtiliſſimus ante omnia exhalat, id olei nomine aliqui non dignantur, quod flammam, ceu cætera olea omnia, non concipiat: ſed liquorem duntaxat generis voce nuncupant. Si de re ipſa edoctus fuero, de nomine cum nullo litigare volo. Atque hactenus quidem, quæ conſolationem tuam attentius legenti & ponderanti in mentem venere, referre libuit: non tam mei exercendi cauſa, (quod tamen ipſum nõ pernego) quam vt D. Wolzogij, id à me poſtulantis deſiderio ſatisfacerem. Te etiam nobis optime velle minime omnium dubitamus, ita tamen reſpondere nolumus, vt quicquam in noſtri gratiam tuæ obſis infirmæ valetudini, quam firmam eſſe, atque conſtantem ſerio optamus precamurque. Vale. Pragæ. 17. Ianuar. Anno 1585.

Lotiones capitis frequentes improbantur.

Cerotum capitale.

Vaporarium.

Pal. Cratonis.

Alius Italicus ingratus.

Oleum & ſpiritus vitrioli.

EPIST. CCXI.

D. HIERONYMO CAPOVACCIO, *Profeſſori Patauino. &c. Petrus Monauius Medicus, S.D.*

SCRIPSERAM ſuperioribus menſibus ad te aliquid, verum quando illud ad manus tuas perueniſſe, ob tam diuturnum ſilentium tuum non immerito dubitem, laborem hunc denuo ſubire, & epiſtolam certioribus hominibus committere placuit, idq; tanto maiori cum audacia, quanto ad me inſtruendum, & benigne quæſitis reſpondendo in proximis temet offers. De cauſa continente, adeoq; de morbi eſſentia, quam variæ ſint, eæq; haud ſatis explicatæ diſputationes, ad affectuum tamen curationem parum admodum conducentes, haud equidem me fugit: verum ego pleriſq; illorum præteritis in præſentia pauca tantum, quæ ex tuis verbis excerpſi, dubia, diſcendi gratia proponere conſtitui. Principio igitur quæro: An cauſa continens ſeu contentiua in morbis vere detur, & ſi datur, in omnibus ne, an tantum in aliquibus? Prorſus non dari, illud 1. demonſtrare videtur, quod morbi ſunt conſtitutiones quædam, & res iam factæ, non adhuc fientes, quo nomine etiam à diſpoſitionibus, affectionibus, ſeu paſſionibus præcipui medici illos differre recte cenſuerunt. Cauſæ vero continentes illis duntaxat rebus attribui ſolẽt, quæ (Gal. de pulſ. c. 10.) tantiſper dum fiunt, eſſentiam ſuam obtinent; pulſibus, v. g. & aliis motionibus, actionibusque tranſitotiis. Deinde Galen. ipſe, vbi ex profeſſo de cauſis morbificis agit, nuſquam, quod ſcio, continentium, ſeu contentiuarum meminit, quarum tamen cognitionem ſi vllo modo neceſſariam medico exiſtimaſſet, eam ſilentio inuoluere voluiſſe haud credibile eſt. Auicenna item. fidelis Galeni interpres, continente & ipſe omiſſa (niſi fortaſſe, quod aliquibus placere video, non vicariam paulo poſt eandem nominaſſe dicamus) coniunctã cauſam loco illius ſubſtituit, & in morbis agnoſcit, quæ tamẽ aptiore illa omnino,

Cauſas continentes non dari.

Coniuncta Auicenna cauſa, non continens.

vt mox explicabitur, diuerſa eſt. Subit igitur haud immerito mirari ex cuiuſnam autoritate illa cauſa continens ſeu contentiua in medicinam à recentioribus inuecta ſit, & cur tanta animorum contentione hodie adhuc de eadem diſceptetur. Vt enim maxime incenſum cauſatum morboſarum admitti debere concedamus, quæri tamen ſecundo loco poteſt: Num omni morbo, an vero aliquibus tantum, & quibuſnam inter hos conueniat? Sunt qui certis rationibus ducti concludant: Nullum morbum temperie continentem cauſam (qua ſcilicet ablata ſtatim affectus perit) habere poſſe. Inter reliquos vero illos ſolummodo, qui in additione rei alicuius conſtituit, cauſam eandem poſſidere, cæteros non item. Nullam enim qualitatem, quæ per motum generatur, ex remiſſione contrarij, & factum quid habet, ex continente cauſa pendere poſſe. Ita igitur anguſtis admodum limitibus cauſæ huius vis circumſcribetur: vt ſcilicet ad ſimilares morbos nullos, ad inſtrumentarios autem aliquot duntaxat, qui in additione nempe conſiſtunt, extendatur. Te tamen cum his non facere, ex eo colligere in promptu eſt, quod aperte inquis, Cauſam contentiuam à coniuncta ſeu proxima diuerſam nihil aliud eſſe, quam morbi ipſius cauſam formalem, quod, niſi valde fallor, à Galeni mente multum diſſidet. Hic enim primo de ſympt. cauſis cap. 5. Cauſam continentem, contentiuam & proximam ſine vllo prorſus diſcrimine vſurpat. Sicuti & 2. Method. 4. & fortaſſe etiam aphoriſmo 20. 7. particulæ, vbi item de pulſibus agit, tres illorum cauſas continentes enumerat: facultatem, inſtrumenta, & vſum. Quod ſi iam cauſæ continentes à formalibus nihil differunt, vt ipſe aſſeris, ſequetur omnino: Vnicam rem, qualis pulſus eſt, tres ſimul cauſas formales habere, quod mihi non poteſt non abſurdum videri. Coniunctam ſane cauſam (quam à continente modo diſtinctam, proximam, immediatam & adæquatam etiam appellare licet) in morbis cum materia nō inuitus vna cum ipſo Auicenna admiſerim, imo ſub antecedentis nomine illam à Galeno ſimul comprehenſam exiſtimo. Neque enim ſi rem vere exiſtimare volumus, aliud eſt, quam antecedens, quatenus actu morbum efficit, eique coniungitur & copulatur, ita quidem vt nulla Inter eam & affectū ſiue morbum cauſa alia intercedat media. Vnde nimirum Celſus etiam abſq; vllo rigore continentis cauſæ nomine, de quauis abdita & interna, in quantum ab externa & procatarctica dirimitur, vſus eſt, ſicut & Medici fere omnes hodie quando de tertio cauſarū genere, à Galeno, vt putant, prætermiſſo, diſputant. Poſt cauſarum porro contemplationem mox ipſi occurrunt morbi, quorum tu quidem eſſentiam in facultate læſa, aut impotentia quadam ad operandum collocas. Mihi ne quid diſſimulem de vtroq; horum dubitationes in mētem veniunt. Dum enim morbum facultatem læſam appellas, nimis anguſtū genus illi attribuere, & certam tantum ſpeciem, intemperiem ſcilicet, complecti videris. Ab hac enim propria actio lædi atq; labefactari dicitur: eo quod facultatis eſſentia ſecundum Galenum in ipſa partis temperie conſiſtat. Quonam igitur inſtrumentarij morbi & vnitatis ſolutio reliquæ duæ morbi primariæ ſpecies pertinebunt? Cur etiam Galenus in morbi definitione læſæ facultatis non meminit? cum tamen hanc neceſſe ſit operationis ipſius læſionem, vtpote, à qua immediate dependet, præcedere? Appellas deinde morbū impotentiam quandam ad operandum. Quod ſi impotentia erit, ergo priuatio, ergo nihil, ergo in nulla categoria, niſi per accidens tantum, collocabitur. Et ſic fruſtra an qualitas, vel relatiuum ſit inquiretur. Nullum enim priuationis certum genus eſt, neq; ſpecies eius, niſi per contrarios actus diſtinguuntur, minime autem per ſe & tamen Galen. in definiendo morbo poſitiuis vocabulis (nō priuatiuis) conſtitutionis ſcilicet, diſpoſitionis, affectus, & aliis ſimilibus vti non veretur? Iſta quomodo inter ſe concilianda ſint cognoſcere cupio. Denique morbum dupliciter accipi & conſiderati affirmas, & cum, & ſine cauſa ſua contentiua, hoc quid quæſo aliud eſt, quam dicere? Morbū aliquando ſumi cum ſua forma, aliquando ſine cauſa, ſiquidem te Autore, vt ſupra dictum eſt, cauſa contentiua à formali reuera nihil differt. Atqui morbus non curari tantum, ſed ne intelligi quidem, aut mente concipi ſine forma ſua vllo modo poteſt, quandoquidem hæc ſola eſt, quæ & eſſentiam, & nomē rebus quibuſuis impertit. Et quid tandem forma remota in morbo ſupererit, quod conſiderare atque contemplari, curare denique poſſimus? Accidentia certe & qualitates (quibus morbum ipſum iuuare, vt opinor, adnumeramus) nudæ per ſe formæ tantum ſunt, & materiam nullam, ceu eſſentiæ ſuæ partē alteram ſubſtratam habent. Quā igitur diſtinctionis huius modo allatæ vtilitatem eſſe cenſebimus? Poſſem etiam de tribus ſummis morborum generibus, quæ ab omnibus prope medicis magno cōſenſu

ita-

Num omni morbo conueniat.

Cauſa contentiua & proxima vt differat.

Morbi eſſentia num in facultate læſa.

An impotentia.

Duplex morbi conſideratio.

Vnitatis ſolutionum nõ poſsit ad inſtrumentarios morbos referri.

traduntur, quærere, an nõ cõmodius ad duo duntaxat reducerentur, ita vt continui ſolutio ſub inſtrumentariis morbis, tanquam compoſitionis, aut conformationis (ad quã continuitas etiam haud dubie ſpectat) partium læſio, ſeu vitium per ſe comptehenderetur. Atq; ita etiam Auicenna ipſe cum ægritudinem definit, complexionem & compoſitionem, quatenus vtraq; non naturalis eſt, ſub illa ſolum collocat, & pro veris atque ſummis duobus morbi generibus agnoſcit, vnitatis aut continui ſolutione fortaſſe non ex oſcitantia prorſus præterita, ſecunda primi, doctrina prima, cap. t. ſed verendum eſt ne iam tum nimis longe à ſcopo euagatus fuerim. Itaque ad reliqua capita, quæ in tua epiſtola reſtant, tempeſtiue conuertor. De dolore capitis facile aſſentior: aliam ab eo indicationem deſumi, quatenus ſimpliciter, vt dolor, hoc eſt, triſtis quædam ſenſatio conſideratur, aliam rurſus quatenus à cauſa ſua proxima, nempe morbo, vel hunc ipſum antecedente cauſa dependet & fouetur. Quod tñ vniuerſaliter, & ſine exceptione affirmas, nunquã à dolore indicationem curatiuam deſumi, in eo ab Auicen. diſſentire videris, quando loco paulo ante citato expreſſe inquit: Dolorem capitis, qui ex febre fit, dum diu manet & figitur, tranſire in ægritudinem. Si igitur in ægritudinem, ſiue morbum tranſit, quomodo non ab illo indicatio curatiua haurietur? cum ſymptoma neceſſario morbum (non autem materiam, vel aliud ſymptoma) conſequi aſſerui, nequaquam ad ſymptomata in generaliſſima ſua ſignificatione, quæ res omnes præter naturam ſimul complectitur, acceptum reſpexi: ſed potius ad alterum illud genus, quod in ſpecie & priuatim ſic appellatur quodque Galen. ἐπιγένημα etiam, id eſt, ſuccedens vocat, & morbos ſolos neceſſario ſequi, ac tanquam vmbra corpus comitari ipſe teſtatur. Ex intemperie humida nullum omnino dolorem oriri poſſe cum Auic. & ipſo Gal. ex 2. de comp. medic. ſecundum locos ſimpliciter affirmas. Et tamen idem Gal. in lib. de inæquali intemperie, cap. 3. inter cauſas doloris effectrices humectationem quoque (etſi minus quam calor & frigus ſunt, efficacem qualitatem) enumerat, & exempli gratia eſuriem ſeu famem producere videtur, in qua ob ſiccæ ſubſtantiæ defectum (& ita per conſequens ob humidæ abundantiam) dolor & moleſtia non ſane leuis in corpore noſtro ſuſcitatur. Niſi igitur aperte ipſum ſibi contradicere velimus: loca hæc inter ſe conciliãda veniunt. Illud quin etiam dubitationem complectitur, quando ſcribis mixtum ſimilare in ſeſe hæc tria habere. Formã, proprietatem & complexionem ſeu temperamentum. Quid enim aliud eſt proprietas, quam proprium cuiuſq; rei temperamentum, per quã forma ſiue anima ipſa agit, ſeu efficax eſt? Aliud imaginari vix datur. Cur igitur hęc duo tãquam diuerſa dirimuntur? Imo vt maxime exquiſita ratione ducti hæc inuicem differre concedamus: parum tamen admodum medico vſui, de quo in pręſentia ſermo eſt, & quem ſenſu potiſſimum niti ſcimus, conducerent, atque ob id etiam nullam vtilem indicationem inde haurire nobis liceret. Proprietates porro materiæ, quas vocant vtpote craſſitiẽ, tenuitatẽ, mollitiem, duritiem, laxitatem, aſtrictionem, & ſimiles, quonam refers? Num ſimilaribus, quoad ſimilares ſunt, conuenire non exiſtimas? Aliorum ſane alia eſt ſententia: eorum inprimis, qui totius ſubſtantiæ morbos, veteribus (vt putatur) ignotos introducunt, à quibus te non prorſus abhorrere, mentio morborum à proprietate coarguit, quos quidem ex diſproportione corporum elementorum ortos ſimilaribus duntaxat partibus tribuis, & à temperiei morbis differre aperte ſignificas. Materiæ putrefactio, ſi vitium eſt in forma, adeoq; corruptio, hoc eſt, mutatio ab eſſe ſimpliciter, ad non eſſe ſimpliciter, quonam modo gradus certos recipere, aut intendi, ac remitti poterit: Forma certe ſecundum Philoſophos tanquam in puncto conſiſtit, latitudine omni prorſus deſtituta, tu tamen materiam morbificam interdum putreſcere, interdum duntaxat ſemiputreſcere, ac priori quidem conſideratione auxilium eradicans, poſteriori vero ſuppurans indicare in methodo curandi vniuerſali doces. Quod ſi putrefactio, ſecundum te eſt integra rei corruptio; & ita totius formæ, quæ antea compoſito inerat, abolitio eſt, ſemiputrefactio igitur ex neceſſitate quoque ſemicorruptio quædam ſtatuetur, hoc eſt, formæ media ex parte, nõ autem ex toto ablatio ſeu remotio: quod quidem an peripateticæ Philoſophorum ſcholæ admiſſuræ ſunt, ipſæ viderint. Porteram pro aſſertione in ſuperioribus literis à me poſita, illud etiam non abſq; ratione, vt arbitror, vrgere. Putredinem, cum ſecunda quædam qualitas ſit, à primis (calore ſcilicet atq; humiditate orta) temperiẽ primo deſtruere, non autem formam à temperamento multum diuerſam. Venenum contra proprietate quadam occulta ita toti, aut illud conſeruanti & fouenti formæ eſſe aduerſum, vt niſi alexipharmacis & anti-

Ab humido nõ oritur dolor?

In mixto ſimilari tria. Proprietas eum non temperamentum.

Materiæ putrefactio non formæ vitiũ.

dotis ex abdita proprietate itidem formam reſpicientibus oportune ſuccurratur continuo illam miſto excedere cogat. Verum nolo hæc nunc pluribus perſequi.

Permittentia & prohibentia.

Quantum ad permittentium prohibentiumue ex arte inuentionem attinet, nondum omnino in ſeotentia tua, quam protuliſti, acquieſcere poſſum. Etiamſi enim in methodo reſolutiua, & parte ſimiotica, ſignum occurrere & ipſe intelligam, nequaquam tamen ſub hac notione, qua permittens, aut prohibens eſt, illud occurrit, ſed tantum quatenus in certæ affectionis dignotionem nos adducere valet, quemadmodum, verbi g. pulſus depulſus debilis virtutis imbecillitatem denotat, quam quidem prohibentis vim in venæ ſectione poſſidere, iam ante præſupponebatur. Poſtquam enim in vitium debilitate à venæ ſectione abſtinendum eſſe ſcio, tum demum ex pulſu, aut aliis ſignis, quomodo ex ſeſe habeant diligenter inquiro. Ego vero methodum poſtulaueram, cuius ope in permittentis aut prohibentis cognitionem directe penetrare poſſemus, ita vt ex indicantis natura, eo quod agendum eſt inuento, ſtatim etiam ſcire liceret, num quid eſſet, cuius ratione auxilium illud adinuentum permitteretur, prohiberetur ve. Contrariorum quidem ſeu oppoſitorum eandem eſſe diſciplinam vulgo etiam fertur. Quamobrem hic quoque fortaſſe contrarias, ſeu oppoſitas cauſas inter ſe conferre, & effectus ſimiles, aut oppoſitos inde elicere oportebat: ſed ego de his ex te, quem Præceptorem lubens agnoſco, audire malim.

Catarhus epidemicus.

Atq; hactenus quidem ad ea, quæ in literis tuis continentur reſpondi, nunc corollarij gratia hoc vnum inſuper abs te quæſierim, Quid de morbo illo, qui ſuperioribus menſibus per totam fere Europam graſſatus eſt, ſentias? Quo nempe genere illum concludas, & num vere contagioſum fuiſſe exiſtimes? Catarrhum cum febre adiuncta fuiſſe negari nō poteſt, ſed tamen in eo non omnes conueniunt, an febris illa ſynochus putris, vel imputris exſtiterit: Si putrida & ichoroſa ſtatuatur (quemadmodum curatio per diaphoretica potiſſimum abſoluta indicare videtur) quomodo malignitate carere potuit; cum etiam te ipſo teſte, Ichores omnes ſint non tantum excremētum quiddam, ſed etiam prorſus præter naturam, idq; quando putreſcunt multo magis. Quas etiam cauſas tum externas ſeu communes, tum internas, ſeu priuatas, ad mali huius adeo longe lateque diffuſi generationem concurriſſe dicemus? Quæ item curationis lex erit atque methodus? De his igitur ex te ſolidi quid, cuiuſmodi omnia tua eſſe præclare noui, audire vnice deſidero. Ego viciſſim omnia mea ſtudia, omnem obſeruantię cultum, ita vt debeo, promptiſſimo animo tibi offero, atq; dedico. Vale, Pragæ, 9. Cal. Febr. Anno 1581.

EPIST. CCXII.

IDEM EIDEM.

AD reliqua diſputationis capita quod attinet: in iis longius perſequendis nequaquam tibi moleſtiam afferre volo. Etenim pleraq; illorum logica ſunt, hoc eſt, talia, vt nec vſum in artis exercitio magnum habeant, & de illis in vtramque partem diſſerere ſit facilimum. Quamobrem omiſſis de cauſa contentiua, de doloris eſſentia & cauſis, de ſymptomatum diuiſione, de prohibentium inuentione, & ſimilibus aliis vſum artis maiori ex parte tranſcendentibus diſceptationibus, illud duntaxat attingam, cuius in calce epiſtolę tuæ meminiſti, quando ſcilicet morbum ante biennium circa hoc ipſum tempus per vniuerſam ferme Europam graſſantem contagioſum fuiſſe negas, eo quod pernicioſus non exſtiterit, & breui, ac pene nullo adhibito auxilio depulſus fuerit.

Catarrhum Epidemicum contagioſum fuiſſe.

Ego quidem quomodo, aut cur contagij notionem illi demere debeamus, non ſatis me aſſequi ingenue fateor.

Contagioſi morbi qui.

ſiquidem illi morbi contagioſi recte perhibentur, qui de vno ſubiecto in aliud tranſmigrant, & per contactum mediatum aut immediatum acquiruntur. Atqui negari nullo modo poteſt, dum Epidemicus ille catarrhus, vt plerisq; appellare placet, vagaretur, vel vno in vna domo aliqua, aut familia, correpto, continuo etiam ad reliquos malum tranſiſſe, & pauciſſimos, imo pene nullos prorſus intactos reliquiſſe. Hæc inuadendi ratio ſi contagium dici nō meretur, quidnam contagium ſit, haud equidem ſcio. Neque mihi ſatis firma videtur ratio: cum contagioſum ob id fuiſſe negas, quod pernicioſus non fuerit.

Morbi contagioſi non omnes maligni.

Nam & alij plures morbi ſunt, quos extra controuerſiam omnes contagioſos eſſe fatentur, & tamen pernicioſi & maligni non æque exiſtimantur, vtpote ſcabies, lippitudines, phthiſis, coryzæ, & ſimiles alij, quorum & Ariſtoteles, & Galenus, cum de contagio loquuntur, meminere. Sicut autem de ratione epidemij ſeu vulgaris morbi non eſt, vt ſit peſtilens, vel pernicioſus (ſunt enim aliqui ex his etiam ſalutares) ita multo minus ad contagioſum eadē hęc conditio neceſſario requiritur: ſed ſatis eſt de vno ſubiecto in aliud tranſeundi, & per contactum cuiuſcunque generis ſeſe

vicinis

vicinis corporibus inſinuandi facultatem habere. Quo tamen tanto vberiorem fructum ex tua reſponſione percipere queam, illud libenter ex te cognouerim, paralyſis ſeu reſolutio poſt colicam, quæ in his terris vſitatiſſima eſt, quaſnam indicationes habeat, & cui parti potiſſimum proſpiciendum? per quas item vias materia peccans ex inteſtinis in extremos artus deponitur: Et num apud veteres etiam aliquid de illa traditum exſtet? Incidit & aliud de vſu hydrargyri intra corpus exhibendi dubium, cui occaſionem dedit tractatus quidam de morbo Gallico tuus, quem ſuperiori anno ab amico acceptum diligenter, & cum magna vtilitate euolui. Nullus certe quotquot de eo ſcripſerunt, qui tamen numero non pauci ſunt, Viri clariſſimi & doctiſſimi, ita eſſentiam eius perueſtigauit, & ex rei natura indicationes eruit, artificioſeq; deduxit, vt abs te in breui illo libello factum eſt, qui propterea vt à multis cognoſceretur digniſſimus eſſet. Mentionem autem ibi facis inter alia etiam Mercurij, & de eo aſſumendo, & admouẽdo præcepta & regulas quaſdam tradis. Hic quidem cognoſcere cupiam, an turpethum quoq; minerale (quod nihil aliud eſt, quam Mercurius certa ratione præparatus, nimirum cum oleo vitrioli, non rubeo illo, ſed albo ſiue phlegmatico) in vſu habere ſoleas. Quod ſi enim crudum ſeu vſitato modo præcipitatum intra corpus exhibere non vereris; præmiſſis tamen præmittendis, puto te multo minus abhorriturum ab eo, qui magis artificioſa ratione præparatus eſt, & cui ita compedes iniecti ſunt, vt congenitam ſibi ferociam impune vſurpare non queat. Multi ſane ſunt, qui in deploratis Gallicis poſt lignum ſanctum ad hunc tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, & omnem malignitatem, quæ in corpore ab inunctionibus crebro repetitis relicta eſt, ſeſe huius præſidio funditus exſtirpare poſſe ſperant, neque planè infelici ſucceſſu, vt multis caſibus ipſe vidi, etiamſi nonnunquam, ſi non caute adhibeatur, deterrima & horrenda ſymptomata inducere ſoleat. Omnem noxam illius inhiberi quidam mihi retulit; ſi mox altero die poſt illius exhibitionem leniens aliquod pharmacum, puta, manna, dilutum ſenæ, caſſia, aut ſimilia, propinentur: ita enim imperitus eius, qui per ſe ad ſuperiora vergit, & ſaliuationem nuncupatam excitat, qua fauces læduntur, ad inferiores & ignobiliores partes quaſi manu ducitur. Poſtremum eſt, num tibi ſatis tutum & rationabile videatur in febribus, poſt vniuerſalia præmiſſa & [illegible]igeſta nonnihil materia, in ipſo die paroxyſmi, medicamentum purgans exhibere: ita tamen vt illius operatio abſoluatur priuſquam paroxyſmus inuadat. Tali enim curandi methodo plures & longiſſimis febribus laborantes, multo citius, quam alias liberatos animaduerti. Nec videtur repugnare ratio, quando medicus, vt miniſter & imitator naturæ, cum mouere debet, cum natura mouet, & illius conatum adiuuare. Mouet enim natura, vt Hipp. ipſe inquit, 4. de morbis, in diebus imparibus, per quos intelligit non tam eos, qui numero impari definiuntur, quam criticos, aut eos quibus paroxyſmi inuadunt; vt Galenus ipſe in Aphoriſmis explicare videtur. Sed vereor ne tibi tam longa commemoratione moleſtiam creem. Quamobrem ſcribendi finem facio, & vt reſpondere non dedigneris, etiam atq; etiam abs te peto. Vale. Pragæ.

Reſolutio poſt colicam.

Vſus Hydrargyri.

Turpethum minerale.

Saliuatio ab vſu Hydrar. [illegible] [illegible]

In die Parox febrile num purgandum.

EPIST. CCXIII.

D. HIERONYMO MERCVRIALI, *Profeſſori Patauino, &c. Petrus Monauius Med. S.D.*

QVÆ de morbo epidemio, non ita pridem longe lateq; per vniuerſam pene Europam graſſato, ad D. D. Cratonẽ ſemel atq; iterum perſcripſiſti, ipſe quoq; legi, & rationibus ſuis ſubnixa eſſe animaduerto. Vt tamen probabiliorem eſſe Cratonis noſtri ſententiam (liceat id mihi pace tua dicere) iudicem, vna contagij facit ratio, quod ſane quomodo ſine aliquo ſaltem putredinis gradu defendi poſſit, nequaquam video, idq; vel te ipſo autore, qui in lectionibus de contagio publice habitis hæc verba diſertè ponis: neceſſarium eſſe ſemper ſi contagium fieri debet, vt adſit putrefactio aliqua in corpore, præterquam, cum à calore præternaturali fiat, vapores attolluntur. Cur igitur febrem quoque illam ſynochum catarrho adiunctam, de qua ſermo eſt, putridi quid habuiſſe negabimus? Certe prima etiam huius mali rudimenta, niſi plane fallor, idem omnino atteſtantur. Siquidem e[illegible]m communis morbi cauſam communem aſſignari neceſſario oportet, nulla hauddubie aere ipſo nos ambiente erit accomodatior. Atqui hic cum multis dierum hebdomadibus ob pluuias pene continuas (adiuuantibus forte etiam, vt nonnullis placet, peculiaribus ſyderum aſpectibus) permaduiſſet, mox ſub æſtatis finem ſubitis ingruentibus caloribus egregie ferueſactis, ex humida & calida intemperiebus ſeſe inuicem ſubſequentibus, non potuit non putredini ſemi-

De catar. epidem. eſt probabilior Cratonis, quam Mercurialis ſententia.

naria concipere, quæ corporibus conuenienter prædiſpoſitis ſimilem exinde qualitatis labem impreſſere. Quoniam tamen magis attenuata, & minus lenta atque glutinoſa inquinamenta illa forent, factum hinc eſt, vt malignitate & peſtilenti contagio morbus careret, eo quod cauſa illum generans, & fouens, nec per ſe lenta eſſet, & viſcida, & præterea ſpiritus & ichores corporis noſtri potiſſimum occuparet, ob eamque partium eſſentiæ tenuitatem per cutis poros diſſiparetur promptiſſime. Non tamen negauerim catarrhos, qui cum in pleriſque diutius remanſerint, ſymptomata varia excitarunt, à craſſiori materia pependiſſe. Sed hoc ex accidenti morbo ipſi epidemio acceptum ferendum eſt, quatenus ſcilicet, materię illi ante in corporibus exiſtenti non generationem quidem: ſed motum duntaxat, ſiue impetum tenuitatis ſuæ, vt modo dixi, ratione impertiuit. Sed pene præuaricatorem ago, qui alienā litem quodammodo meam facio, & ſententiam non rogatus dico, quod niſi diſcendi cupiditate, qua incredibiliter ardeo, fieret, næ tu mihi impudentiæ & tenacitatis dicam impingere iure poſſes. Vnum illud, quod in præſentia in mentem venit, ſi adhuc rogauero, ſcriptioni meæ finem ſtatim imponam.

Plumbum cur graue & ponderoſum.

Velim igitur ſcire cauſam, quamobrem plumbum ita graue ſit & ponderoſum, cum tamen, teſte Galeno, plurimum habeat aqueæ & aëreæ ſubſtantiæ, terreſtris vero perparum. Atqui ex phyſicorum principiis grauitas & pondus in rebus mixtis omnibus terrę primum accepta feruntur, deinde aquæ, quæ vero aëre, aut igni multo participāt, leuia potius, & quam minimum ponderoſa euadere ſolent. Sic lapides & ferrum ob terreæ materiæ copiam grauia eſſe exiſtimant, pluma contra, oleum & alia huiuſmodi, ob cauſam contrariam leuia. Neq; hic quod de partium denſitate nonnulli afferunt, ſatis probabilitatis habet. Vix enim fieri poſſe credam, vt corpora, quæ multo aëre abundant, ſimul compacta ſint, & denſa. Eo quod aër neceſſario ſpacium aliquod, ac velut cauitatem requirat, in quo libere ventiletur: ſicut in ſpongiis, pumicibus, & aliis raris corporibus, multiſque poris aëri peruiis abundantibus apparet. Eadem dubitandi ratio etiam in hydrargyro, ſeu argento viuo locum obtinet, quod quidem & ipſum aquea & aërea ſubſtantia conſtare plerique aſſerunt, cum tamen ita ponderoſum ſit, & graue, & omnia metalla ſolo excepto auro (ſpectaculo ſane admirabili) in eo ſupernatent. De his igitur neminem alium, præter te differentem libentius audire velim. vtpote quem ad intimos & occultos naturæ receſſus penetraſſe minime dubitem, vel potius mihi certo perſuaſum habeam. Vale. Pragæ, 9. Cal. Ianuar. Anno 1581.

EPIST. CCXIV.

IDEM EIDEM.

QVOD diſcrimen inter contagium & *συμπάθειαν* attinet, & num is morbus, qui ante biennium totam peruolitauit Europam, & forte vlterius etiam progreſſus eſt, hoc vel illo nomine rectius appellandus, actum agere nolo. Si tamen, qui de corpore in corpus migrat, & ſeſe hac ratione pene in immenſum propagat, affectus contagioſus dici meretur: non video cur epidemium illum morbum his conditionibus exacte præditum, ea nuncupatione priuare debeamus. Mihi quidem verum omnino contagium reſipuiſſe videtur: etſi illud in inferiori gradu conſtitutum putredinis minus malignæ, vel potius innoxiæ fuerit ſoboles, ſeminarium tamen haud dubie contagionis aliquod in ipſo hæſit aëre, quod pluribus per inſpirationem communicatum ſimili eos labe poſtea infecit, cum è diuerſo in affectionibus illis, quæ per *συμπάθειαν* proprie accidere dicuntur, nihil reipſa de corpore in corpus, tanquam inquinamentum quoddam tranſmittatur: ſed duntaxat à forti imaginatione per ſenſum, & memoriam impreſſa ad idem patiendū cieamur, vt præoſcitante aliquo, aut (vt ſic loquor) præmingente, nobis diligenter attendentibus, contingere ſolet. Itemq; ſecundū poetam: *Cum vident oculi læſos, læduntur & ipſi.* Quamuis fortaſſe horum lippientium, videlicet, ſient & tabidorum paulo diuerſa eſt ratio. Verum miſſis his, ad alterum problema, de quo prolixius & accurate in tuis diſſeris, accedo. In plumbi igitur natura excutienda, cum de eius pondere & grauitate quæreretur, id vnum, vt Galenum & Ariſtotelem inter ſe committas, tibi propoſitum eſſe animaduerto: ita quidem vt pro hoc contra illum omnes tuas rationes & argumenta, ceu ſpicula quædam dirigas. Liceat autem mihi quæſo mei exercendi, & abs te diſcēdi gratia, aliquid viciſſim in medium afferre, quo Galenum reſpondēdo ad rationes abs te allatas pro viribus defendam, ipſiq; interim Ariſtoteli nullā prorſus iniuriam inferam. Si quid igitur iudicare queo, Galenum vere & probabiliter ſenſiſſe exiſtimo, cum plumbū in 9. ſimpl. medic. multum habere ſubſtantiæ, tum humidæ a frigore congelatæ, tum

Quale contagium catarrhi epidemici fuerit.

Affectus per συμπάθειαν.

Plumbi natura.

Galenus defenditur.

etiam

etiam aereæ , paucum vero terreæ diceret.
idque non ſolum rationibus & experien-
tia , ſed etiam autoritate ipſius Ariſtotelis
hunc in modum me veriſimile facere poſſe
confido. Principio quidam, vt à notione
1. *Hydrargyrũ.* incipiam, argentum viuum (ex quo plumbũ
potiſſimum conſtare ſenſus ipſe patefacit,
quoque potiorem eſſentiæ eius partem ab-
ſoluit, vt ita de vtroque & dubitandi, & de-
cidendi par ſit ratio) argentum inquam vi-
uum hanc apud Græcos appellationem re-
perit, vt ὑδράργυρος, quaſi dicas, argentum
quoddam aqueum , ſeu in quo aqueum e-
lementum prædominium obtinet , obiter
nuncupetur. Deinde vt ne in nominibus
2. immorer , illud magnum eſt & indubita-
tum argumentum abundantis in plumbo a-
queæ & aereæ ſubſtantiæ , quod ita facilè
vix igni admotum loquatur , imo etſi igni-
um vt in pulueres redactum, rurſus tamen
ab iiſdem fluidum & liquidum reddatur,
quemadmodum & Mercurius. Cum con-
tra quæ terreſtris materiæ copiam habent,
non niſi vehementiſſimis ſubiectis ignibus
colliquari & fundi videamus , vt in ferro,
ære , & aliis quibuſdam metallis apparet.
Affirmat autem Ariſtoteles : Ea colliquari
facilius , quæ communia quidem ſint aquæ
& terræ , ſed tamen plus aquæ habeant, &
à frigido coagulata ſint , atque concreta.
3. Tertio mollities , & quæ hanc ſequitur tra-
ctabilitas, reliquorum ſcilicet metallorum
reſpectu idem plane conuincit. Neque e-
nim fieri poteſt , vt quorum compoſitio-
nem multum ſicciſſimæ terrenæ ſubſtan-
tiæ ingreditur, ea mollia euadant, & ad tra-
4. ctandum apta. Accedit & quarto loco te-
nuitas ſubſtantiæ illius , cum liquatum per
ſubtiliores pannos tranſmitti queat. Sicut
& argentum viuum. (quod eum hoc ma-
gnam habere cognationem ſupra diximus)
per denſiſſimum corium ceruinum facil-
lime tranſſudat. Quæ certe tenuitas non
in terrea mole , ſed ab aeris potius , & a-
quæ ſubtilitate raritateque proficiſcitur.
Denique rubiginem, vt ferrum, æs, aut cu-
5. prum nequaquam bene ſitum ; ſed ceu
ſqualorem & ſorditiem quandam contra-
hit. Ex quo iterum colligitur humore mul-
to, eoque frigido abundare , terreſtris au-
tem ſiccitatis perparum habere , quando-
quidem rubiginis cauſa philoſophis non aſ-
ſignatur alia , quam corruptio ſicci illius
terrei in ſuperficie corporis ab humore ca-
lido & extraneo, veluti adurente orta. Li-
ceret & plures alias rationes in medium af-
ferre, ſed has ex rei natura ductas in præſen-
6. tia ſufficere arbitror. Quod vero in vſu me-
dico (.. oc iam ad experientiam facit) præ-
ter refrigeratoriam humectandi etiam vim
obtineat , multis exemplis per ſe compro- 2.
batis , Galenus loco prææallegato daclarat,
quæ fortaſſe non ita ſimpliciter ſine vlterio-
ri inquiſitione reiici merentur. Quin i-
pſum quoque Ariſtotelem haud diſſimili-
ter ſenſiſſe, non obſcure quis ex dicto, quod
in 4. Meteor. affert collegerit. Quando-
quidem ibi concretilium , & inconcreti-
lium corporum naturam explicans, diſerte
argentum viuum (de cuius ponderoſitatis
cauſam ſimiliter in ſuperioribus dubitaba-
tur) ideo inconcretile exiſtere, quod aquo-
ſam quidem humiditatem : ſed tamen ae-
ris plus obtineat. Id quod de plumbo eo-
dem modo affirmari recte poſſe exiſtimo.
Quamuis hoc eam ob cauſam facilius con-
creſcat & coaguletur, quod terræ ſubſtan-
tiæ, ſiue, vt chymicorum voce vtar, impuri
ſulphuris plus adiunctum habeat, quam ar-
gentum viuum , multo vero minus quam
ferrum , aurum quoque, & ſimilia alia me-
talla, quæ ſua ſe grauitate, & liquandi diffi- *Metallica à riſtoteli vix cognita.*
cultate ſtatim produnt. Quantum porro ad
eiuſdem Ariſtotelis & Peripateticorum de
ortu & generatione metallorum dogma
ſpectat, quamis illud nequaquam, tanquam
falſum repudio, libentius tamen , ne quid
diſſimulem , Auicennæ, Alberti, & aliquot
recentiorum opinioni inhæreo , qui non
tantum mentis aciem ad huiuſmodi per-
ſcrutationem intenderunt , verum & ma-
nuum mirificam adhibuerunt induſtriam,
vt omnia ſub terra latentia penitius rima-
rentur , exactioremque & veriorem nobis
de iis doctrinam ab Ariſtotele , & ſequen-
tibus ſolummodo inchoatam adumbratã-
que relinquerent. Neque tamen , ſi ſum-
mam rei conſideres hos cum illis inter ſe vl-
lo dicto diſcordare reperies. Sicuti enim
philoſophis cum Medicis belle conuenit,
quantumuis illi corpus humanum ex qua-
tuor elementis, igne, aere, aqua & terra. Hi
vero ex quatuor humoribus, ſanguine, phle-
gmate, & bile vtraque conſtare decernant:
ita etiam non pugnant inter ſe Peripateti-
ci, & quos chymicos , veluti in fundendo- *Chymicorũ cum Ariſtot. conſenſus in principiis metallicis.*
rum metallorum arte ac peritia eximie ver-
ſatos , recentiori vocabulo appellant, et-
iamſi illi vna cum Ariſtotele , quem vni-
cum ducem ſequuntur , metalla & foſſilia
à duplici exhalatione vaporoſa & fumoſa
ortum trahere dicunt. Hi autem geminum
illis principium , quæ ſulfur & mercurium
indigetant, aſſignant. Illi enim in remotio-
ribus tantummodo cauſis , quas ſola men-
tis acies apprehendit , demonſtrandis oc-
cupantur. Hi propinquiora principia, &
ſenſui magis obuia (relictis illis nihilomi-

naria concipere, quæ corporibus conuenienter prædiſpoſitis ſimilem exinde qualitatis labem impreſſere. Quoniam tamen magis attenuata, & minus lenta atque glutinoſa inquinamenta illa forent, factum hinc eſt, vt malignitate & peſtilenti contagio morbus careret, eo quod cauſa illum generans, & fouens, nec per ſe lenta eſſet, & viſcida, & præterea ſpiritus & ichores corporis noſtri potiſſimum occuparet, ob eamque partium eſſentiæ tenuitatem per cutis poros diſſiparetur promptiſſime. Non tamen negauerim catarrhos, qui cum in pleriſque diutius remanſerint, ſymptomata varia excitarunt, à craſſiori materia pependiſſe. Sed hoc ex accidenti morbo ipſi epidemio acceptum ferendum eſt, quatenus ſcilicet, materię illi ante in corporibus exiſtenti non generationem quidem: ſed motum duntaxat, ſiue impetum tenuitatis ſuæ, vt modo dixi, ratione impertiuit. Sed pene præuaricatorem ago, qui alienâ litem quodammodo meam facio, & ſententiam non rogatus dico, quod niſi diſcendi cupiditate, qua incredibiliter ardeo, fieret, næ tu mihi impudentiæ & tenacitatis dicam impingere iure poſſes. Vnum illud, quod in præſentia in mentem venit, ſi adhuc rogauero, ſcriptioni meæ finem ſtatim imponam.

Plumbum cur graue & ponderoſum.

Velim igitur ſcire cauſam, quamobrem plumbum ita graue ſit & ponderoſum, cum tamen, teſte Galeno, plurimum habeat aqueæ & aëreæ ſubſtantiæ, terreſtris vero perparum. Atqui ex phyſicorum principiis grauitas & pondus in rebus mixtis omnibus terrę primum accepta feruntur, deinde aquæ, quæ vero aere, aut igni multo participãt, leuia potius, & quam minimum ponderoſa euadere ſolent. Sic lapides & ferrum ob terreæ materiæ copiam grauia eſſe exiſtimant, pluma contra, oleum & alia huiuſmodi, ob cauſam contrariam leuia. Neq; hic quod de partium denſitate nonnulli afferunt, ſatis probabilitatis habet. Vix enim fieri poſſe credam, vt corpora, quæ multo aëre abundant, ſimul compacta ſint, & denſa. Eo quod aër neceſſario ſpacium aliquod, ac velut cauitatem requirat, in quo libere ventiletur: ſicut in ſpongiis, pumicibus, & aliis raris corporibus, multiſque poris aëri peruiis abundantibus apparet. Eadem dubitandi ratio etiam in hydrargyro, ſeu argento viuo locum obtinet, quod quidem & ipſum aquea & aërea ſubſtantia conſtare plerique afferunt, cum tamen ita ponderoſum ſit, & graue, & omnia metalla ſolo excepto auro (ſpectaculo ſane admirabili) in eo ſupernatent. De his igitur neminem alium, præter te diſſerentem libentius audirem velim, vtpote quem ad intimos & occultos naturæ receſſus penetraſſe minime dubitem, vel potius mihi certo perſuaſum habeam. Vale. Pragæ, 9. Cal. Ianuar. Anno 1581.

EPIST. CCXIV.

IDEM EIDEM.

Qvod diſcrimen inter contagium & *συμπάθειαν* attinet, & num is morbus, qui ante biennium totam peruolitauit Europam, & forte vlterius etiam progreſſus eſt, hoc vel illo nomine rectius appellandus, actum agere nolo. Si tamen, qui de corpore in corpus migrat, & ſeſe hac ratione pene in immenſum propagat, affectus contagioſus dici meretur: non video cur epidemium illum morbum his conditionibus exacte præditum, ea nuncupatione priuare debeamus. Mihi quidem verum omnino contagium reſipuiſſe videtur: etſi illud in inferiori gradu conſtitutum putredinis minus malignæ, vel potius innoxiæ fuerit ſoboles, ſeminarium tamen haud dubie contagionis aliquod in ipſo hæſit aëre, quod pluribus per inſpirationem communicatum ſimili eos labe poſtea infecit, cum è diuerſo in affectionibus illis, quæ per *συμπάθειαν* propriè accidere dicuntur, nihil reipſa de corpore in corpus, tanquam inquinamentum quoddam tranſmittatur: ſed duntaxat à forti imaginatione per ſenſum, & memoriam impreſſa ad idem patiendũ cieamur, vt præoſcitante aliquo, aut (vt ſic loquor) præmingente, nobis diligenter attendentibus, contingere ſolet. Itemq; ſecundũ poetam: *Cum vident oculi læſos, læduntur & ipſi.* Quamuis fortaſſe horum lippientium, videlicet, ſicut & tabidorum paulo diuerſa eſt ratio. Verum miſſis his, ad alterum problema, de quo prolixius & accurate in tuis diſſeris, accedo. In plumbi igitur natura excutienda, cum de eius pondere & grauitate quæreretur, id vnum, vt Galenum & Ariſtotelem inter ſe committas, tibi propoſitum eſſe animaduerto: ita quidem vt pro hoc contra illum omnes tuas rationes & argumenta, ceu ſpicula quædam dirigas. Liceat autem mihi quæſo mei exercendi, & abs te diſcẽdi gratia, aliquid viciſſim in medium afferre, quo Galenum reſpondẽdo ad rationes abs te allatas pro viribus defendam, ipſiq; interim Ariſtoteli nullã prorſus iniuriam inferam. Si quid igitur iudicare queo, Galenum vere & probabiliter ſenſiſſe exiſtimo, cum plumbũ in 9. ſimpl. medic. multum habere ſubſtantiæ, tum humidæ a frigore congelatæ, tum etiam

Qualis contagium catarrhi epidemici fuerit.

Affectus per συμπάθειαν.

Plumbi natura.

Galenus defenditur.

etiam aereæ, paucum vero terreæ diceret.
idque non ſolum rationibus & experien-
tia, ſed etiam autoritate ipſius Ariſtotelis
hunc in modum me veriſimile facere poſſe
1. confido. Principio quidam, vt à notione
Hydrargyrū. incipiam, argentum viuum (ex quo plumbū
pouſſimum conſtare ſenſus ipſe patefacit,
quoque potiorem eſſentiæ eius partem ab-
ſoluit, vt ita de vtroque & dubitandi, & de-
cidendi par ſit ratio) argentum inquam vi-
uum hanc apud Græcos appellationem re-
perit, vt ὑδράργυρος, quaſi dicas, argentum
quoddam aqueum, ſeu in quo aqueum e-
lementum prædominium obtinet, obiter
2. nunc repetur. Deinde vt ne in nominibus
immorer, illud magnum eſt & indubita-
tum argumentum abundantis in plumbo a-
queæ & aereæ ſubſtantiæ, quod ita facile
vix igni admotum loquatur, imo etſi igni-
um vt in pulueres redactum, rurſus tamen
ab iiſdem fluidum & liquidum reddatur,
quemadmodum & Mercurius. Cum con-
tra quæ terreſtris materiæ copiam habent,
non niſi vehementiſſimis ſubiectis ignibus
colliquari & fundi videamus, vt in ferro,
ære, & aliis quibuſdam metallis apparet.
Affirmat autem Ariſtoteles: Ea colliquari
facilius, quæ communia quidem ſint aquæ
& terræ, ſed tamen plus aquæ habeant, &
à frigido coagulata ſint, atque concreta.
3. Tertio mollities, & quæ hanc ſequitur tra-
ctabilitas, reliquorum ſcilicet metallorum
reſpectu idem plane conuincit. Neque e-
nim fieri poteſt, vt quorum compoſitio-
nem multum ſicciſſimæ terrenæ ſubſtan-
tiæ ingreditur, ea mollia euadant, & ad tra-
4. ctandum apta. Accedit & quarto loco te-
nuitas ſubſtantiæ illius, cum liquatum per
ſubtiliores pannos tranſmitti queat. Sicut
& argentum viuum, (quod cum hoc ma-
gnam habere cognationem ſupra diximus)
per denſiſſimum corium ceruinum facil-
lime tranſſudat. Quæ certe tenuitas non
in terrea mole, ſed ab aeris potius, & a-
quæ ſubtilitate raritateque proficiſcitur.
Denique rubiginem, vt ferrum, æs, aut cu-
5. prum nequaquam bene ſitum; ſed ceu
ſqualorem & ſorditiem quandam contra-
hit. Ex quo iterum colligitur humore mul-
to, eoque frigido abundare, terreſtris au-
tem ſiccitatis perparum habere, quando-
quidem rubiginis cauſa philoſophis non aſ-
ſignatur alia, quam corruptio ſicci illius
terrei in ſuperficie corporis ab humore ca-
lido & extraneo, veluti adurente orta. Li-
ceret & plures alias rationes in medium af-
ferre, ſed has ex rei natura ductas in præſen-
6. tia ſufficere arbitror. Quod vero in vſu me-
dico (quod etiam ad experientiam facit) præ-
ter refrigeratoriam humectandi etiam vim
obtineat, multis exemplis per ſe compro-
batis, Galenus loco prææallegato declarat, 7.
quæ fortaſſe non ita ſimpliciter ſine vlterio-
ri inquiſitione reiici merentur. Quin i-
pſum quoque Ariſtotelem haud diſſimili-
ter ſenſiſſe, non obſcure quis ex dicto, quod
in 4. Meteor. affert collegerit. Quando-
quidem ibi concretilium, & inconcreti-
lium corporum naturam explicans, diſerte
argentum viuum (de cuius ponderoſitatis
cauſam ſimiliter in ſuperioribus dubitaba-
tur) ideo inconcretile exiſtere, quod aquo-
ſam quidem humiditatem: ſed tamen ae-
ris plus obtineat. Id quod de plumbo eo-
dem modo affirmari recte poſſe exiſtimo.
Quamuis hoc eam ob cauſam facilius con-
creſcat & coaguletur, quod terræ ſubſtan-
tiæ, ſiue, vt chymicorum voce vtar, impuri
ſulphuris plus adiunctum habeat, quam ar-
gentum viuum, multo vero minus quam
ferrum, aurum quoque, & ſimilia alia me-
talla, quæ ſua ſe grauitate, & liquandi diffi- *Metallica Ariſtoteli vix cognita.*
cultate ſtatim produnt. Quantum porro ad
eiuſdem Ariſtotelis & Peripateticorum de
ortu & generatione metallorum dogma
ſpectat, quamuis illud nequaquam, tanquam
falſum repudio, libentius tamen, ne quid
diſſimulem, Auicennæ, Alberti, & aliquot
recentiorum opinioni inhæreo; qui non
tantum mentis aciem ad huiuſmodi per-
ſcrutationem intenderunt, verum & ma-
nuum mirificam adhibuerunt induſtriam,
vt omnia ſub terra latentia penitius rima-
rentur, exactioremque & veriorem nobis
de iis doctrinam ab Ariſtotele, & ſequen-
tibus ſolummodo inchoatam adumbratã-
que relinquerent. Neque tamen, ſi ſum-
mam rei conſideres hos cum illis inter ſe vl-
lo dicto diſcordare reperies. Sicuti enim
philoſophis cum Medicis belle conuenit,
quantumuis illi corpus humanum ex qua-
tuor elementis, igne, aere, aqua & terra. Hi
vero ex quatuor humoribus, ſanguine, phle-
gmate, & bile vtraque conſtare decernant:
ita etiam non pugnant inter ſe Peripateti-
ci, & quos chymicos, veluti in fundendo- *Chymicorū cum Ariſtot. conſenſus in principiis metallorum.*
rum metallorum arte ac peritia eximie ver-
ſatos, recentiori vocabulo appellant, et-
iamſi illi vna cum Ariſtotele, quem vni-
cum ducem ſequuntur, metalla & foſſilia
à duplici exhalatione vaporoſa & fumoſa
ortum trahere dicunt. Hi autem geminum
illis principium, quæ ſulfur & mercurium
indigetant, aſſignant. Illi enim in remotio-
ribus tantummodo cauſis, quas ſola men-
tis acies apprehendit, demonſtrandis oc-
cupantur. Hi propinquiora principia, &
ſenſui magis obuia (relictis illis nihilomi-

inde contra me inferre velis, non ſatis aſſequor. Loquor enim de plumbo, quale in ſua perfectione & vigore eſt, non quale tum viſitur, cum ab externis atque violentis cauſis deſtructum à priſtina ſua natura degenerat. Neque ego vnquam, aut quiſquam alius, incorruptibile eſſe plumbum, aut in infinitum augeri, aſſerui. Atque hactenus quidem Galeni opinio de plumbi eſſentia & compoſitione adhuc immota peſtare videtur, pro cuius defenſione epiſtolæ mæ ante biennium fere (o tardam nimis feſtinationem) acceptæ reſpondens hæc proferre libuit. Te autem etiam atq; etiam oro, vt hanc meam Philoſophicam libertatem in optimã partem interpretari, & doctrinæ tuæ luce ingenii mei obſcuritatẽ illuſtrare tenebraſq; diſcutere digneris. Hoc q; ſi impetrauero, & tibi gratias magnas agam, & me non inutiliter erraſſe profitebor. Coronidis vice ἀντιλογίαν illã (à propoſito non prorſus alienã) mihi diſſolui cupio. Inquit Ariſtoteles ſect. 4. Problem. 15. Rem nullam in aqua (ſcilicet feruida) liqueſcere poſſe, quæ ab igne liquefieri apta eſt, ceu plumbum & ceram, (quod tamen poſterius haud ſcio an veritati ſit cõſentaneum.) In commentariolo autem de admirandis condit. num. 48. idem ait: ſtannum Celticum plumbo multo ocyus liqueſcere, quia ſcilicet in aqua etiam liquefieri ſoleat. Atqui ſi prior regula valeret, cum ſtãnum ignibus liqueſcat, in aqua nullo modo liquefiet. Quibus illud quoque ζήτημα ſubiungi poteſt, cur magna illa caldaria plumbea in quibus ſal in multis Germaniæ fodinis (vtpote Lunæburgi in Saxonia) excoquitur, non colliqueſcant, etiamſi ignes quam vehementiſſimi ſubtus incendantur? ſed manum tandem de tabula: ne quem antea ſcriptionis raritate & infrequentia offendi, eum nunc ſolicitationis importunitate amplius irritem. Quod ſi tamen, quemadmodum mihi firmiter perſuadeo, hiſce meis nugis aliquid reſpondere placuerit, vt in excellentiſſ. Dn. Scutellarii manus deueniat, curabis. Ab eo enim quouis tempore recte accepero. Vale, Viennæ Auſtriorum, ipſo die Pentecoſtes ſecundum veteres Faſtos. Anno 1583.

ἀντιλογία Ariſtotelis

Caldaria plumbea dũ ſal excoquitur igne non liqueſcunt.

EPIST. CCXV.

IDEM EIDEM

EVOCATVS fui ante aliquot hebdomadas ad curam Generoſi cuiuſdam Baronis in vicinia, vbi cum opinione diutius mihi ha[r]endum eſſet, geminæ interim tuæ huc allatæ ſunt. Quoniam vero excellentiſſimus Scutellarius ſignificabat deſiderari adhuc alium faſciculum, in quem libellos nonnullos nuper abs te iſthic editos conieciſſes, differendum putaui reſponſum, quo ad te ille quoque appellaret. Factum autem hoc eſt ante dies plus minus 8. vt nunc nihil amplius, quod ſcriptionẽ remoretur meam ſuperſit. Pro tua igitur tam benefica erga me voluntate, quam non tantum litterarum adeo frequenti miſſione ſed etiam eruditiſſimarum tuarum lucubrationum communicatione ſatis abunde teſtatum facis, magnas tibi habeo & ago gratias, relaturus etiã ſi qua ſeſe in poſterum eius rei offerat occaſio. Non poſſum autem quin impetrata, præſertim iamdudũ abs te licẽtia, de more ex te rogem, ſicubi forte inter legẽdum dubium mihi aliquid occurrit. In tractatu igitur de morbis puerorum tactam abs te peculiariter velim quæſtionem illam, non tam logicam quam medicam: An rectum ſit in infantium ægritudinibus purgatoria medicamenta nutricibus exhibere? Hæc ſiquidem aut valida erunt, aut debilia. Illa ſanis, ſiue ſanas carnes habentibus propinare vetat ipſe Hippocrates, 2. Aph. 36. & 37. Hæc nihil prorſus auxilii infirmis infantibus, cum vires ſuas haud late extendant, præſtabunt, vt taceam ſuperioribus illis menſtruas purgationes nutricibus intempeſtiue ſane aliquando prouocari, in quo manifeſtum periculum non abeſſe ſatis conſtat. Quamobrem tutius erat opinor, & rationabilius de talibus præſidiis cogitare, quæ ipſi infanti, in parua tamen quantitate abſque omni noxa, comportione materni lactis propinari, aut alioqui tenello eius oſculo inſeri queant. Eiuſmodi ſunt ſucci quidam, pulueres, liquores, & alia huius generis. Præterea, quæ extrinſecus etiam ad citandum aluum magno commodo applicantur. Omiſſum etiam video in eodem tractatu tuo morbum illum in noſtris regionibus (haud ſcio, an etiam in veſtris) ſic ſatis vſitatum, quem vulgari idiomate Mitteſſer / quaſi dicas, commeſtores, nuncupamus. Eo quod pueri illo laborantes paulatim abſumi, depaſci, & emaciari, abſque vlla manifeſta cauſa, deprehenduntur. in tergo ipſorum, quando ſolennis cura, frictio nimirum ex medulla panis tritici, aut farina huius melle ſubacta adhibetur, veluti capita vermiculorum quorundam hinc inde prominent, quibus nouacula ſemel atque iterum detraſis ad priſtinam ſanitatem redeunt. Quidam hunc morbum eundem cum dracunculis Græcorum, aut cum vena ciuili ſeu medena Arabum eſſe putant, ſed niſi fallor, magis ad ſimilitudinem ægritu-

Purgantia num nutrici danda in infantium ægritudinibus.

Dracunculi.

Vena Medena Arabum.

dinis bouinæ, ſeu vermis ſub cute generati, cuius Nicolaus Florentinus ex Albocaſi meminit, accedit Michael Sauonatola ſuperioris ætatis inſignis Medicus in capite de Lumbricis ſen vermibus ſe quoque tale aliquid fando inaudiiſſe meminit. Verum cum nunquam viderit, fabuloſum eſſe ſtatuit.

Mercurial. de venenis.

Crederet autem haud dubie ſi vel paucis menſibus hodie apud nos ageret. In libello de venenis illuſtre præſtantis ingenii, & variæ literaturæ documentum edidiſti, multiſque in ea palæſtra ante hac verſatis palmam præripuiſti. Vetûtamen in eo (ignoſce quæſo) fidem meam tibi accommodare haud poſſum, quando argumentis nõnullis probare niteris: venenum eſſe non qualitatem aut accidens, ſed potius ſubſtantiam, Et tamen paucis ante lineis ipſe affirmas; Nihil aliud eſſe venenum, quam vim quandam effectricem veneficam in curpore aliquo poſitam. At poteſt ne vis venefica in corpore aliquo poſita recte ſubſtantia dici, & non potius accidens, quod certum & determinatũ ſubiectum requirit? Si in ſubſtantia collocari meretur, cedo quod erit genus eius proximum, aut vbi in tabella prædicamenti ſubſtantiæ locum ſuum obtinebit? ſcorpionem quidem, Napellum, aconit, & alia huiuſmodi, facile concedo in ſubſtantiarum ordinem cooptanda: venenum autem non item, etiamſi venenata iſta eſſe dicantur, ſicut (opinor) nec alimentum (in quo tamen cauſæ tuæ firmamentum potiſſimum conſiſtit) nec medicamentum.

Venenũ non qualitas ſed potius ſubſtantia.

Rectius mihi philoſophari: Galenus noſter videtur: qui & 3. de temperamentis 4. & 1. ſimpl. t. expreſſis verbis tria hæc: alimentũ videlicet, medicamentum, & venenum, relata eſſe ad quid, diſerte pronunciat: ad hominem nimirum, cuius reſpectu omnia (atteſtante etiam ipſo Philoſopho 5. Metaphyſ. 15.) in medendi arte dicuntur. Nutrimentum igitur ad nutribile, ſine id, quod inde nutritur, non ſecus atque calefactiuum ad calefactibile, ſeu ſectiuum ad ſectile, agens videlicet ad paſſum refertur. Atque ideo abſolutis Categoriis, nedum ſubſtantiis ipſis haudquaquam accenſetur, quando vt idem Ariſtoteles vniuerſaliter decernit, nec tota ſubſtantia, nec partes eius ad aliquid dici vere queunt.

Supereſt igitur vt inter relata, quæ ſecundum dici apud Logicos nuncupantur, locum obtineat. Vt enim triticum, v.g. & vinum ſubſtantiæ ſunt, & res mere abſolutæ quæ per ſe tum exiſtunt, tum etiam intelliguntur, ita viciſſim cibi ſeu nutrimenti appellationem eadem, non alia ratione accipiunt, niſi quatenus ad hominem relata cibare illum & nutrire apta ſunt. Quemadmodum verſa vice veratrum & cicuta, placet enim Galeni noſtri exemplis vti hominis quidem reſpectu, medicamenti aut veneni etiam appellationem ſortiuntur, ſin ad coturnicem & ſturnum referas, pro alimentis habentur. Vnde iam liquido conſtat, veneni nomen, ſicut & nutrimenti & medicamenti non ipſam primitus ſubſtantiam, quæ fundamenti loco eius ſubiacet, ſed certam potius eius habitudinem, vt ſic loquar, ſeu officium, & effectum cuius reſpectu ſubſtantiæ alicui imponitur, denotare, vt his hoc modo conceſſis & probatis, ad reliqua duo argumenta, quæ pro veneni ſubſtantia aſſerenda pugnant, reſpondere minime ſit opus.

Vnde tamen foret, vt arbitror, in commentariolo illo tuo hoc etiam præter alia in quæſtionem vocari: An venena illa contagioſa ſint, & non ſint, quam ob cauſam hoc accidat? Item num proprie peſtilens malignitas, quæ omnium maxime contagioſa eſt, venenum aut cum adiectione venenum peſtilens appelletur? Denique an etiam Philtra, & præſertim celebratum illud Hippomanes in venenorum naturam ſubeant? de quibus omnibus accurratam tuam ſententiam audire, quam inanes meas cogitationes in medium afferre malo. Venio nunc ad ea, de quibus in ſuperioribus literis velitatio inſtituta eſt. Plumbi aut hydrargyri ortũ generationem, & proprietates, quæq; eodem pertinent, nec mihi quidem in præſentia altius repetere libet, illud tamen non poſſum non attingere, in quo te male à me intellectum eſſe ſuſpicaris. Inquis igitur: Plumbi laminas ſub dio nequaquam vere, & quo ad ſubſtantiam ipſam, vt ego affirmo, veram: ſed pondus ipſarum duntaxat, ideo accreſcere videri, quia corrupta ab ambiente, modo calida, modo frigida ſuperficie partes aqueæ & ſubtiliores in cinerem vertantur, vnde vis illa terreſtris ſe magis atque magis deinceps exſerat. Ego vero necdum hoc aſſequi poſſum, quod partes aqueę aut ſubtiles (quod, ne temere excidiſſe videatur, iterum repetis) vllo modo in cinerem, terramue degenerent. Euocari ſane illas ab externa caliditate, & ita exbalare, inque tenues abire auras facile crediderim: at quomodo eædem hactenus reſiccentur & craſſeſcant, vt in cinerem etiam & terram fatiſcant, non video. Vt enim aer & aqua communi omnium calculo humidiſſima ſunt & ſubtiliſſ. ita viciſſim cinere, & terra nihil eſt ſiccius, nihil corpulentius.

Peſtis nũ venenũ, item num philtra.

Auctio plũbi

Expli-

tius. Explicatl Igitur metamorphoſeos hoius modum mihi adbuc cuperem, quo iis, quæ inde deducuntur, tanto promptius aſſentirer. In diſſoluenda Ariſtotelis apparente antilogia mihi pene omnino abs te ſatisfactum eſt. Sed relinquitur aliquid ſcrupuli in alterius problematis enodatione: Cur ſcilicet plumbea caldaria, in quibus ſal coquitur, vehementiſſimo etiam ſubſtrato igne non colliqueſcant. Cauſam buius euentus in vniuerſum acceptam refers ſalſæ illi, quæ caldario infundit ut, aquæ, quando hæc duplici facultate prædita ſit, pingui nimirum ſeu oleaginoſa, & inſuper aſtrictoria. Illa quidem plumbi bumidum à conſumptione & diſſulutione vindicante: hac vero compagem, & vnionem partium inuicem egregie contra ignis violentiam tuente & contetuante. De ſalis & aquæ marinæ potiſſimum pinguedine atque craſſitie ſemel atque iterum commeminit Ariſtoteles tum in meteotologicis, tum etiam in problematum ſectione tettia ſupra vigeſimam.

[C]aldaria ... ſalis cur non colliqueſcant ſecundū Mercurialem.

Salis pinguedo.

Idem tamen alibi ſalem parum humoris in ſe continere ſentit, quod cum priori vix conſiſtere poteſt. Siquidem quæ pinguia ſunt & glutinoſa, ea neceſſario etiam multo humore, imo copioſiori, quam ſimpliciter humida abundant, & ſapore pene ſubduci prædita ſunt, non autem velut amara, linguamque vellicante, vt ſalſis apparet. Niſi fortaſſe dicendum eſt: ſalem, vt & pleraque alia medicamenta, diuerſas & quaſi contrarias à natura obtinuiſſe vires, quarum tamen alias ſuperant, & non vno tempore ſeſe produnt. Sic acetum quantumuis manifeſte frigefacere creditur, haud dubie tamen aliquid etiam occulti ἐμπυρεύματος à vini caliditate adhuc reliquū poſſidet, quo ſeſe in ima corporis inſinuare, illudq; tacite excalefacere aptum eſt. Sic ſalis quoque vt ad propſitum redeamus, tenuiores partes calfacere, ſiccare, linguam mordicare, atque etiam penetrare & detergere veriſimile eſt, quia tamen multæ humidæ partes à calote nondum, vt in amaris rebus, pene exſuccis accidis, aſſumptæ ſuperſunt: hinc fit vt illis cum his miſtis pingue quiddam & oleoſum reſultet, non impediente mole terrea, ſed potius in id conſpirante, & vim aſtrictoriam inſuper ſuppeditante.

Anti Empyreuma.

Salis diuerſæ facultates.

Detergere autem ſalem, & ſalſa nitroſa atque aluminoſa omnia, non ſolum intra corpus ſumpta, ſed & extra admota præter experientiam quotidianam in eluendis ſordium ſtrigmentis etiam vnanimis medicorum [c]onſenſus teſtatur, & ipſa approbat Scrip[tu]ra S. quando apud Ieremiam cap. 2. dicitur: Etiamſi laueris te nitro, & multiplicaueris tibi berbam Borith, ſiue ſaponariam: tamen ſignata eſſet iniquitas tua. & quæ ſequuntur. Vt ita Plutarchi teſtimonio, quod in oppoſitum adducis, per omnia cedere non liceat.

Ex iis igitur, quæ huc vſque allata ſunt, apparet, te caldarii plumbei ab ignis violentia non diſſoluti vnicam hanc & ſolam cauſam ſtatuere, aquam ſalſam illo contentam. Quid vero ſi non ſalſa, ſed dulcis aqua eidem infunderetur, an tum ſaltem colliquatum iri exiſtimas: Ego ne tum quidem hoc futurum crediderim. At etiamſi nullum in tam grandi vaſe periculum vnquam fecerim: videre tamen licet quotidie in mēſis catinos ex ſtanno aut plumbo candido, fabrefactos anthepſis ſeu foculis, qui prunas continent, impoſitos non liquari, ſi modo iuſculo aut aqua ſimplici imbuti fuerint, quantumuis muria nulla accedat. Vbi autem humore illo deſtituuntur, confeſtim ab igne diſſolui incipete, quod ſane ſpectaculum intuens aliam neceſſario ſubeſſe cauſam: quam vtrum aliquatenus aſſecutus ſim, tuum eſto iudicium: neque enim illud ſponte ſubire vllo pacto recuſo. Exiſtimo igitur cauſam euentus illius, de quo iam ſæpe dictum eſt, eſſe geminam. Primam quidem hanc, quoniam capacitas caldarii illius plumbei bumore quodam largiter infuſo adimpletum, qui per poroſi corporis meatus ſeſe vndiquaque diffundens, ita Ignis violentiæ reſiſtit, vt impreſſionem, quam alias ſolet, facere nequeat. Etiamſi Itaque quemnis liquorem actuali ſua humiditate id præſtare poſſe crediderim: non tamen dubito, quin idem hoc multo luculentius præſtet aqua ſalſa, quoniam ſcilicet & pinguior eſt, quam ſimplex vt ante probatum fuit, atq; ideo ſuo lentore magis protenditur, & intima liberalius imbuit, tum etiam coquendo non tam facile abſumitur, ſicut olea & adipes longiſſimam etiam coctionem, cum minus exhalent, iuſtinere videmus: præterea ratione ſubtilium partium altius penetrat, & vi adhæc aſtrictoria inſigni pollet. Altera cauſa eſt, quod in omni coctione ſeu elixatione ſuperna magis calent, quam inferna. Ignis enim & ab hoc emanans calor, ex ſua natura ſurſum fertur, ideoq; etiam ſuperiores partes, niſi quid obſtet, impenſius, quam inferiores calefacit, ibique primum ebullitionem excitat. Norunt hoc egregie periti coqui ipſo vſu edocti, cum eas piſciū portiones, quæ coctu difficiliores ſunt, vtpote capita, in ſuperiori cacabi parte, non autē inferiori ſeu fundo collocant. Quod ſi euidentius huius tei argu-

Secundum Menanum.

In omni elixatione ſuperna magis calent quam inferna.

Tripes æneus ab igne remotione calidus fundo tepido.

mentum, & plane indubitatum quis habere cupit, tripodem æneum, in quo piſces elixantur, quamprimum ab igne remouetur, in fundo ipſius contingat, videbit pedes illos ternos, quib. innititur ahenũ pene candeſcere & ignitos eſſe: nihilominus fundũ, qui flammis immediate ſuperpoſitus fuit, tantum non frigere. Sed hoc ſtatim faciendum eſt, vbi ab igne tripes amouetur, paulo enim poſt diffuſo calore, & ipſe fundus incaleſcere, atque adeo candeſcere incipit. Feci huius periculum non ſemel mea ipſius manu, cum alii, quibus hoc recitabam, ſe in fraudem allici putarent. Et me præuio, & ipſi poſtmodum manum innoxie admouerunt. Eodem ſpectat tuũ exemplum, quod de patella chartacea ſuper prunas impoſita adducis. Etenim ſi reipſa illa paulo intenſius incaluerit ſuccenderetur haud dubie: itaq; friget potius, aut ſaltem tepide calet. Quod ſi quis quærat: cum calor ignis (flamma flãmam, ceu vnda vndam ſubinde propellente) ſemper ſurſum feratur, quomodo non tandem diſpergatur omnino, & ne ſuperiores quidem partes calefaciat? dico ego hoc fieri κατ' ἀντιπερίστασιν. Circumſtans quippe ambientis frigus prohibet, quo minus ignis calor prorſus diſſipetur: imo potius illum retro cedere cogit, magis vnit, & hac ratione ſeipſo fortiorem, inque agendo efficaciorem reddit, non ſecus atque frigidus è follibus cum impetu expreſſus ſpiritus in fabrorum fornacibus ignem luculentius ſuccendit. Notandum tamen ad extremum hoc eſt, caldarium illud plumbeum, in quo ſal excoqui toties iam diximus, nõ ab omni omnino ignium iniuria, & impreſſione immune eſſe. Semper enim aliqua portio decedit adeo vt cum tertiam ſummum ſalis coctionem ſuſtinuit, neceſſario refici, & liquatum de nouo fundi illuc oporteat. An autem cera in aqua (feruente ſcilicet) liqueſcat, vno verbo reſpondeo, molleſcere illam magis, quam liquari, quando hoc duntaxat à calore ſicco & igneo, non autem humido ſeu aqua patiatur. Cætera literarum tuarum capita, quibus mihi adhuc ſatisfaciendum video in aliud tempus reſeruo. Te autem etiam atq; etiam oro, ne hanc meam παρρησίαν, quam diſcendi ingens cupiditas, & iucundiſſima naturalium rerum contemplatio mihi exprimunt, iniquo animo ſuſcipias. Vere enim affirmo, me non tui, (quod abſit) vellicandi, ſed mei ipſius duntaxat erudiendi cauſa, hæc in medium afferre. Ac quidem ſi ad ea, quod ſpero, reſpondere dignatus fueris, præclare beneficium iſtud collocaris. Vale, Prag. 13. Ian. 8 ...

Cera in aqua molleſcit nõ liquatur.

EPIST. CCXVI.

IDEM EIDEM.

Etsi antea octiduum ad te benè longas dederim, nondũ mihi tamen per omnia tuis, quibus ternis debebam, ſatisfeciſſe videor. Itaque quæ in prioribus intacta reliqui, ad ea in præſentibus hiſce breuiter reſpondebo. Cenſuræ tuæ de libris Hippocratis gemina exempla, quæ excellentiſſimus Dominus Scutellarius mihi communicauit, mox vni atq; alteri amicorum meorum, in arte noſtra peritiſſimorũ in diuerſa Germaniæ loca tranſmiſi, vt videlicet illorum quoque de ea iudicia cognoſcerem. Cur vero hic autor Melancholicum ſuccum aquam, vel vt ipſiſſimam eius vocem vſurpem, ὕδερον nuncupauerit, non diſplicet ratio tua. Quandoquidem ſemper fere cum craſſo iſto & feculento humore multum aquæ ſeu ſeri, quod vehiculi vſum illi præſtare veriſimile eſt, coniunctum videmus. Neque tamen prorſus male illi etiam ſentiunt, etſi παραδόξως, qui lienem non minus, quã epar ſanguificationi dicatũ exiſtimant. Memini autem medicum quendam, virum doctiſſimum, & anatomicum excellentem ad hoc perſuadendum tribus potiſſimum hiſce argumentis vti: I. Quod omnia viſcera, quæ publicum aliquod munus in corpore humano gerunt, aut gemina ſint, à prudenti natura efformata, aut ſaltem in medio corporis inter dextrum & ſiniſtrum poſita. Sic caput ille & cor, & ventriculum, & vterum & veſicam; in externis etiam naſum, & os vnica ſingula eſſe affirmabat, ideoque in medio corporis locata: pulmones autem & renes & teſtes, item oculi, aures, manus, & pedes gemini cum ſint, eam ob cauſam vtrumque etiam latus occupare. At vero epar, quæ & ipſum pars eſt nobiliſſima, & princeps, nõ immerito ſane in alter utra corporis regione, dextra nimirum locum obtineret, niſi illi in oppoſito latere lien, in eodem munere collega, reſponderet. II. argumentum à cõformatione ſumptum erat. Lienis nimirum & iecinoris conſtructionem, magnam inter ſe affinitatem & ſimilitudinẽ habere, quando in illum non minorem venæ portæ ramum, arterias vero multo plures & inſigniores, quam in hoc diſpergi, & diſſeminari videas, vt plane hinc appareat, viſceri illi ſanguinis elaborandi partes non ſecus, atq; epati à natura moderatrice conceſſas & attributas eſſe. Poſtremo, experientia ipſa oſtendit, morbos, qui ſanguificationem lædunt, vtpote, cachexiam, hydropem, & ſimiles, tam frequenter à lienis, quam à iecino-

Melancholicus ſuccus cur aq. Hippoc.

Lienem ſanguinem conficere.

ri-

ris obſtructione, aliiſque morbis oriri ſolere. Veriſſimum autem eſt axioma, quo Galenus in loci affecti indagatione multum vtitur: Actionem aliquam lædi non poſſe, niſi ſimul pars, vnde illa emanat, lædatur. Et econtra, cum in parte vitium ineſt, actionem inde prodeũtem neceſſario lædi. Quid igitur de rationibus hiſce ſentias, perlubenter ex te cognoſcerem. De venenis porro libellum tuum accuratius perlegenti, hoc etiam inſuper ex te quærere in mentem venit: Quamobrem illa omnia cor primo & principaliter petere affirmare ſuſtinueris.

Venena cur cor primo & principaliter petant.

Certe enim in argumentorum aduerſæ partis diſſolutione non leuis eſt difficultas, atque haud ſcio, an ſatis ſolide ad omnia obiecta inibi reſponſum ſit. Qantum ſane mihi ex artis medicæ fundamentis, atque adeo ipſius rei natura aſſequi licet ita quęſtio hęc breuiter explicari poſſe videtur: Omnia ea, quæ in corpus humanum intro aſſumpta agunt, aut ab eodem patiuntur, in triplici ſunt differentia, nempe, vel cibi, vel medicamenta, vel venena.

Cibi.

Cibi ſeu alimenta dicuntur, quæ à natura noſtra, tum ſecundum ſubſtantiam; tum ſecundum qualitates vincuntur, eo nutriendo, augendoque corpori cedunt.

Medicamenta.

Medicamenta vero, quæ ſecundum ſubſtantiam quidem diſſimilia, ſecundum qualitates tamen hactenus à calore noſtro ſuperantur, vt nihilominus corpus alterare, & immutare valeant.

Venena.

Venena denique nuncupantur, quæ & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum qualitates ſuas corpus noſtrum aut certas illius partes, non tantum vincunt, ſed etiam plane deſtruũt & corrumpunt.

Mista.

Sic igitur inter ea, quæ mere cibi, & quæ mere medicamenta ſunt, cibi medicamentoſi, & medicamenta, vt ſic loquar, ciboſa, tanquam vtrinque participantia, intercedunt, ita etiam viciſſim inter mera medicamenta, & mere ſeu ſimpliciter venena, medium quodammodo locum occupant, tum pharmaca ipſa purgatoria, tum alia, quæ deleteriæ facultatis aliquid obtinent, imo vero etiam, ſecundum Galeni ſententiam, ipſa alexiteria, ſi non iſta quantitatis moderatione exhibeantur.

Venena cer[illegible] partium.

Præterea, vt inter alimenta, & medicamenta alia aliis partibus plus, aut minus conueniunt (ſic vinum magis reficit ſpiritus, caro partes ſolidas) ita non eſt dubium venena quoque diuerſa, diuerſis partibus peculiari quadam virtute magis eſſe noxia, (exempli gratia, cicutam & hyoſcyamum cerebro, leporem marinum pulmonibus, fungos gulæ & faucibus, napellum cordi, cantharides veſicæ & renibus, argentum viuum neruoſis & oſſeis partibus, torpedinem manibus, & ſimiliter aliis alia) neque vllam nos neceſſitatem cogere, vt omnia in vniuerſum venena cordi ipſi principaliter inſidiari concludamus. Quod ſi tamen firmiores opinioni tuæ rationes in medium attuleris, non equidem inuitus ab erronea ſententia mea diſceſſurus ſum. De Hippocratis editione, quam ſub manibus te habere intelligo, ſcire velim, quam nobis ſpem facias, & an etiam Latinis Græca, quod optarim, adiuncturus ſis. Nulla certe re nomen tuum, alioqui clariſſimum, poſteritatis memoriæ præclarius commendare poſſes, quam ſi hunc, non dicõ librum, ſed theſaurum medicinæ, quam emendatiſſimum & locupletatiſſimũ in lucem emittas. Vere enim de hoc) ſi Galenum fidum Hippocratis interpretem cõiungas) id quod eſt in vulgato verſiculo pronunciari poteſt; *Ex aliis paleas, ex iſtis collige grana.* Sed otioſa prolixitate tibi amplius moleſtus eſſe deſino, cum ſic etiam facilitate tua pene abuſus videri queam. Vale, Prag. 7. Februarij. Anno 1584.

EPIST. CCXVII.

D. THOMÆ ERASTO, ELECT. *Palat. Med. &c. Petrus Monauius Med. S. D.*

LITERAS tuas doctiſſime & humaniſſime ſcriptas ſingulari cum voluptate, & magna vtilitate multoties relegi. Pro reſponſione ad quæſtiones meas, magnas gratias habeo.

Febris qualis morbus.

Ac in prima quidem plane acquieſco. In alia illud adhuc dubium remanet, vt ſi febris eſt morbus cordis, & ita partialis affectus, cur omnes ferme medici tanto conſenſu eum inter vniuerſales morbos, ſeu nõ appropriatos retulerunt? Et qui fiat quod non in omni febre ex neceſſitate pulſus viriatus, hoc eſt, iuſto vel debilior, vel vehementior, vel alia quaq; ratione deprauatus reperiatur? teſte etiã Gal. 3. præſag. cũ quidẽ morbus actiones partis cui inhæret, primo lædere recte dicatur. Humores denique an in febribus ſalub. vere putreſcant, & non potius accenſi ſint & feruentes? de eo quoque magnam eſſe controuerſiam video, & à cõtraria parte argumenta nõ omnino leuia. Quædam Ioubertus, medicus Gallus, in ſuis paradoxis recẽſet. Sed de his in pręſentia afferẽda nõ ſunt. Meæ vero imprudẽtiæ (dixerim proprie impudentiæ) vt veniã des reuerenter à te peto, qui te alioqui occupatiſſimum, interpellare tamen & moleſtia affi-

cere non deſinam. Fieri ſane poteſt, vt maxima ex parte eadem noſtri hi docuerint, quoniam tamen non eodem modo, verum ἀμεθοδικωτέρως illa propoſuerunt, neruoſam ſuam & dialecticam breuitatem illorum prolixitati garrulæ merito antepono. De putredine lætor te publici commodi gratia quædam abs te laborata edere conſtituiſſe. Sunt quidem antehac à plurimis de hoc negotio ſcripta plurima fateor, verum tamen an in iis plene & ſolide ad hanc πραγματείαν pertinentia tractata ſint omnia, valde dubito. Vnum nunc modo adferam, quod ſcriptum tuum, cuius à vobis diſcedens exemplum mecum auexi, accurate legenti, mihi non mediocrem ſcrupulum mouit, videlicet quod naturalem illam putredinem, ſiue τὴν καθόλου καὶ κατὰ φύσιν improprie ſic appellari aſſeris, magis autem proprie alteram, quæ violenta eſt: cum tamen Ariſtotelis diuerſa eſſe videatur ſententia. Etenim vera & propria putredo illi mixtorum perfectorum paſſio eſt, & contrarium cauſæ generationi mixtorum: interque ſe mutuo hæc eo opponuntur, tum quo ad terminum, quoniam generatio eſt ad eſſe formæ, putredo ad non eſſe: tum quo ad cauſas, quia illa fit actiuis qualitatibus dominantibus ſupra paſſiuas: hæc contra: tum deniq; quia generatio eſt terminatio, & vnio humidi cum ſicco, putredo vero eſt indeterminatio & diſſolutio. Violenta autem putredo eidem eſt τῶν κατὰ μέρος μόνον φθειρομένων, hoc eſt, ſecundum partem, non tam ſubſtantialem, quam quantitatiuam, quam vt ita dicam, qualitatiuam, nimirum receſſus à proprio & natiuo temperamento. Quare etiam de hac re loquens ait οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ ἰδίως γε, ὥσπερ λέγεται, id eſt, (vt nonnulli quoq; legunt) peculiariter, ſeu quodam modo, non autem proprie & vere putredo nūcupatur. Vt ſenſus horum verborum hic ſit: Atq; in omnibus, quæ corrumpuntur ſecundum partem, & recedunt à propria natura, & à proprio temperamento, reperitur quidam proprius & peculiaris modus putredinis diuerſus à modo putredinis eorum, quæ corrumpuntur ſecundum totum, qui ſcilicet modus, neq; generationi opponitur, neq; paſſio mixti eſt, vt miſtum. Hæc ſententia cum ad mentem philoſophi propius accedere videatur, etiam multis à doctiſſimo Archangelo in ſuis dilucidationibus, in plurima obſcura loca Ariſtotelis, in tractatu de generatione & putredine comprobata, & munita eſt. Illud idem etiam aſſerit, calorem naturalem nō ſolum ob duas illas cauſas, quas in tuo ſcripto exprimis, diminui, nempe à contrario & ob defectum humidi, verumetiam à calore ambientis per exitum & euaporationem ipſius, vt in putredine. Quæ tamen omnia à me non ob aliam rationem adducta eſſe exiſtimes velim, quam vt de quibus ambigo, de illis iudiciū tuum limatiſſimum cognoſcere queam. Verum nunc de tertio quodam dubio quærere, quod in ſupra nominato ſcripto tuo, tanquam alibi declaratum & confirmatum poſuiſti, videlicet, dato duplici calore, etiam duplex temperamentum ſtatui, cum hoc conceſſo, etiam duplicia principia, & actiones diuerſas in corpore oriri neceſſe ſit. Quod ſi tamen hoc tanquam corollarium cæteris beneficiis tuis mihi exhibitis addere voles, nihil eſt quod abs te amplius petere auſim. Vale, & me, qua cepiſti beneuolentia, complecti perge. Patauij Antenoris, 17. Martij. Anno 1578.

Putredo.

EPIST. CCXVIII.

IDEM EIDEM.

CVM te præceptoris loco & habuerim hactenus, & nunc habeam, audacius propono ea, de quibus interdum ſubdubito, vt de iis ſententiam tuam, quam merito maximi facio, cognoſcam. De metallis igitur num ea recte & tuto aſſumi poſſint, quæſtio agitatur à plurimis hac noſtra ætate medicis. Legi hac occaſione, quæ pro deciſione litis iſtius affers, tum in Antiparacelſicis, tum in nuper edito libello de auro poculento. Videor mihi ex illis hanc hypotheſin excerpſiſſe, metallica omnia in vniuerſum, quouis modo parata, nec tuto, nec commode intra corpus ſumi. Perpendi etiam rationes doctiſſime excogitatas, quas in citatis locis affers, fateor tamen mihi nondum in omnibus ſatisfactum, &截 ſupereſſe ſcrupulos adhuc aliquos, quos & ipſos rationum momentis, quæ cum experientia non ſunt diſſunctæ, mihi eximi cupio. Principio hoc facile do: Nulla metallica corpus noſtrum alere & nutrire, vt iis pro cibis in victu quotidiano vti liceat, neq; tam fatuum puto eſſe quēquam ſaltem ex iis, qui communi conſenſu non deſtituuntur, qui contrarium afferret. An vero etiam omnem corroborandi, refocillandi, & quatantenus in ſtatu ſuo partes principes conſeruandi facultatem iis adimere debeamus, non eſt in ita procliui. De auro, argento, & precioſis quibuſdā lapidibus fortaſſe experientiam teſtem producere poſſemus, cū conſtet in vſu medico illa ſæpe quo ad has intētiones vtiliter adhiberi, maxime vero animi deliquiis, ut aliis imbe-

Metalla num recte & tuto intro aſſumantur.

Nulla metallica nutrire.

Gemmas, aurum & argentum vtiliter dari.

imbecillitatibus. Quod rationes attinet, non eſt ea nulla, quam aliqui afferunt, de perfectione miſtionis ſumma, quæ præcipue in auro elucet, ob quam etiam cauſam pene interitus expers eſt. Gemmarum præſtantiam lux & ſplendor ille præfulgidus, quem prolliciunt ſatis patefacit, cuius ratione ſpiritus noſtris vitalibus in primis atque animalibus ſua natura luciđiſſimis cognatos eſſe mihi plane perſuadeo, ideoque facile adducor, vt credam, ob illam συμπάθειαν, & ſymbolicam conuenientiam ſpiritus & conſeruare, augere, & velut ignauos & deperditos ſpecifica proprietate reſtituere. Verum neque de huius generis viribus propoſitum eſt amplius agere. Quoniam itaque in medicamentorum, ſic proprie dictorum claſſem ea collocas, hic ſane conſiſtamus.

Metallica purgant.

Purgandi vires pleraque obtinere ſatis notum eſt: etſi ex vetuſtioribus, aut nulli aut pauci de hoc quicquam memoriæ prodiderunt. Imo aſſumpta adeo quidem naturam exagitant, vt illa ſtimulata ſurſum & deorſum quiequid excrementorum intra corpus continetur cum impetu exturbet. Hoc ipſum eſt, inquies, quod toties inculco, & cuius cauſa ego noxia eſſe, & plane δηλητήρια talia medicamenta conſtanter affirmo. Eſto ſane ita vt dicis, neque enim inficias iuerim, quin venenata & maligna aliqua qualitate participent. At ſi iſthæc ratio ſufficiens eſſet, tum nulla prorſus purgantia intra corpus quiſquam medicorum propinaret, cum certum ſit illa omnia corpori noſtro aduerſari, imo ob hanc pene ſolam cauſam καθαρτικὰ cenſeri. Proinde iſtud tantum ſequetur; Non cruda, & ita vt è terra eruuntur ingerenda eſſe; ſed quemadmodum & reliqua purgatoria, præparata prius, & aliis additis correcta, vt minus nocere queant. Qua vero tandem via & ratione illa præparabis, vt mitiora euadant, num igne? Atqui hic magis vim ipſis inſitam acuet, & penetrantiora reddet. Ablutio vero, quæ per aquam fit, dubio procul minoris efficaciæ æſtimatur; quam ve tale quid præſtare poſſit.

Metallica igne acriora fieri negatur.

Negarim ego ignem dextre adhibitum, & legitime adminiſtratum ſemper cum alia, tum etiam metalla, ob ἐμπύρευμα, quod in illis impreſſum relinquat, calidiora, acriora, nocentiora reddere. Quam enim multæ res ſunt, quæ cum antea crudæ & ineptæ eſſent, ignis poſtea beneficio coctæ & aptæ efficiuntur, ad corpus alendum, & in ſuo ſtatu conſeruandum. Teſtantur id carnes, & plurima alia, quæ in culinis ad victum quotidie apparantur: inprimis vero aſſa, in quibus nemo ἐμπύρευμα effugit, quo minus illis ſuauiter veſcatur, cum tamen certum ſit ſicco calore torrefacta, & ita igneitatem illam, vt ſic loquar, illis ſatis valide impreſſam eſſe, ſi dices toto hoc genere differre, & ita nihil inde ad rem propoſitam concludi, tum demum vel vnam ceruſſam tibi proferam; quam & refrigerare, & ideo repellere, imo emplaſticam eſſe, præter Dioſc. & Galen. alij quoque confirmant, & experientia ipſa euidenter demonſtrat.

Cur vero hic ἐμπύρευμα illud nō vrgeam, cum tamen à plumbo vſto, aut parum aut nihil differat? Itaque hoc reſtat vt dicamus, In igne non tantum vim calefactoriam conſiderandam eſſe, ſed etiam τὴν διακριτικὴν δύναμιν, quę ita in eo (ceu ſumme calido) pollet, vt ob id potius, quam illa calidi definitionem ingrediatur. Per hanc autem facili labore, dum metalla liquantur, partes puræ & impuræ à ſeſe inuicem ſeparari poſſunt, vt hac ratione, vel olea, vel liquores, vel, quos vocant ſpiritus, prout libet, inde extrahantur, relictis in fornacibus patulis illis terreſtribus & craſſioribus intentioni noſtræ minime quadrantibus. Quis vero eſt, qui in his omnibus, quæ modo nominaui ἐμπύρευμα tale reſeruari affirmare auſit, quod acredine & mordacitate ſua partibus corporis noſtri vim inferat: cum plurima eiuſmodi ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus vtiliter exhibeantur, vtpote, verbi gratia, oleum ſeu potius liquor vitrioli, item ſulphuris, in quibus guſtu etiam non admodum magna acredo deprehenditur. Taceo nunc de aliis aquis, quas deſtillatas vocant, ignis potentia elicitas inter quas multas refrigeratorias eſſe nemo prorſus dubitat.

Aqua deſtil. refrigerantes.

Sed neque illud ſimpliciter concedo: Quæ in dura & ſolida corpora ſæuiunt; mollibus & laxioribus multo magis infeſta eſſe. Quis enim aquam, vulgo fortem appellatam, ignorat? Hæc certe ferrem & chalybem, duriſſima cum ſint, breui tempore abſumit, & tamen manu caua multis modis molliori ſine noxa etiam excipi animaduerſum eſt.

Aqua fortis natura.

Videmus ſimiliter quid in obſidionibus vrbium fiat; vbi ſaccos ingentes lanarum floccis repletas ſuſpendere ſolent, contra maximorum tormentorum ictus, quos mœnia fortiſſima atque munitionibus inſtructiſſima tuto excipere nequaquam poterant. Nempe quia iſtic minor ſit reſiſtentia, debilior etiam actio conſequitur, hic vero animis vtrobique ad pugnam paratis, & neutro hoſtium alteri cedere volente, naturę quadam lege, acrior conflictus exoritur. Verum dum hæc ita in medium profero, nequaquam agyrtis illis, & inſanis Paracelſicæ ſcholæ

aſſeclis patrocinari volo, quorum multo maxima pars per neces hominum experimenta agit, & artem honeſtiſſimam, quam nunquam didicit, ſcelerate profitetur, proque medicina carnificinam potius exercet ſed illud tantum in præſentia determinari cupio, Num metallica proſus eorum, quæ intra corpus ſumuntur, numero eximenda ſint, ſi in eorundem vſu, hæc tria caute obſeruantur, vt nimirum, ante recte præparentur, recte præparata aliis additis corrigantur, & correcta demum debita quantitate, ſeu doſi exhibeantur. Quid ſane in talibus fieri poſſit ac debeat à multis præſtantibus Medicis, qui non tantum artis præcepta vniuerſalia nouerunt, verum etiam ἐν ἐγχειρήσει τῶν ἐν μέρει, μάλιστα δὲ τῆς λεγομένης χυμείας, ſeſe præclare exercuerunt, (inter quos non iniuria etiam Matthiolum numerauerim) ſcriptis traditum eſt. Ego autem ad te, mi obſeruandiſſime Præceptor, confugio, teq; oro, vt rationum momentis, quod potes, eadem hæc mihi breuiter explices. Etſi enim in libris tuis de his extant non pauca: quid tamen prohibet, ad particularia magis deſcendiſſe, adque auditoris captum ſeſe accommodaſſe? Promitto viciſſim debitam obſeruantiam, & omnis generis ſtudia, quæ à mea tenuitate in te proficiſci poterunt. Vale, & ſi me diſcipulum tuum agnoſcis, prima oblata occaſione reſcribe. Vratislau. 30. Iul. Anno 1578.

Metallicorum vſus rectus.

EPIST. CCIX.

IDEM EIDEM.

NON poteram nuper literis tuis ita ſatisfacere vt volebam, cum Tabellarius nimis properaret: aliquid tamen omnino ſcribendum fuit, ne iuſte neglecti officij accuſari poſſem præſertim cum ſatis ſeſe commoda occaſio offerret. Cæterum vel ab eo tempore Epiſtolam tuam accuratius legi, & relegi, cumque iis locis libelli tui de auro poculento contuli, quos tu manifeſte allegas, & ceu fundamenta huius diſputationis ponis. Placuerunt mihi pleraq; vel potius omnia mirifice, quod & ſolerter excogitata, & ſuis rationum momentis ſuffulta eſſent: quibus ſi firmiores opponere alias conet, actum agam, haud dubie & fruſtra laborem. Recte ponis diſcrimen inter metallica & ipſa metalla, quod ab initio non ſatis animaduerteram, poſtea tamen admonitus obſeruare cæpi. De gemmarum viribus etiam alios multos, nec indoctos addubitare video, qui tamen occultis illis cauſis, & proprietatibus alias tribuunt plurimum. Nolo aut hanc litem, quaſi ſepultam denuo renouare. Erudite poſtea perfectio miſſionis, quæ in auro reperitur, ab ea ſegregatur, qua corpora noſtra omnia reliqua ſublunaria præcellunt. Longe enim abſque dubio ſublimiori gradu ob operationum præſtantiam, hæc quam illa collocari merentur: vt ſi quis, quo ad hæc ſimilitudinem inter vtraque ſtatuat, plurimum mea ſententia decipiatur. Chalcanthi liquorem (quem oleum falſo nonnulli appellant, cum non ardeat) non ſemel ipſe guſtaui, ſed tamen ſine magna noxa, aut acredinis ſenſu eiuſmodi, qui linguam adureret. Imo pharmacopæus quidam erat ſuperioribus annis Patauij, qui multos, propter vaſis alicuius in pulmonibus eroſionem, ſiue ruptionem, ſanguinem exſpuentes, hoc medicamenti genere feliciter curabat, quo tamen ſi rationem ſpectes, nihil fieri poteſt abſurdius. Quamuis enim, quod ad ſiccandi vim aliquid forte profuiſſet, maius tamen damnum ab inſigni eius mordificatione expectari poterat. Qui autem aquam fortem, quæ paulo aut breuiſſimo tempore ferrum abſumpſerat, caua manu innoxie ſuſtineret ipſe vidi. An fucus mihi factus ſit ignoro. Nolim tamen in mea cute illud experiendo periclitari. De metallorum per ignem præparatione, inter ſeſe tranſmutatione, ac intra corpus aſſumptione, καὶ φημὶ καὶ ἀπόφημι καὶ οὐκ ἔχω ὅ φῶ. Non facile eſſe video rationibus ea euertere, quæ tuto ex omnium vetuſtiorum Philoſophorum conſenſu & decretis elicis: idem tamen video in multis experientiam non obſcure contradicere his, quę rationibus firmiſſime concluſa putantur. Negare vero ſenſum propter rationem, imbecillitatem eſſe iudicij, etiam Ariſtoteles alicubi pronunciauit. Quare hoc mihi interim perſuadeo: neminem de his recte atque ſine errore pronunciare poſſe, qui ipſe manum operi non admouerit. Fortaſſe enim hic quoque valet id, quod Anaxagoræ, ni fallor, tribuitur; ἡ χεὶρ αἰτία ἐστὶν τῆς σοφίας. Nec fruſtra Galenus toties τὴν ἄσκησιν τῇ μεθόδῳ καὶ λόγῳ coniungit. Quanquam enim τὰ καθόλου perpetuæ ſint, & indubitatæ veritatis, fieri tamen poteſt, vt fit ſæpiſſime, vt nos ἐν τοῖς λήμμασι, ſiue in ſumptionibus impingamus, dum particularia non omnibus, quæ illis vere accidunt ad vnguem expenſis perperam applicamus. Vnde multi ſæpe in vniuerſalibus illis cōceptibus, & in Theoria tota exercitatiſſimi vbi πρὸς τὰ ἐν μέρει, ſiue ad actiones deuētum eſt, turpiſſime hallucinantur, & ineptiunt. Quæ omnia eo tantum dico, vt intelligas, cur plura de his diſputando mouere nolim, vt qui

Chalcanthi liquor.

fatear

fatear me ἐν ἐγχειριδίῳ τῷ χυμικῷ, quæ profectò arcana plurima prodit minus quam oportebat verſatum eſſe. Itaque quando pro tua humanitate hoc liberaliter mihi permittis ad alia potius aſcendo. In tractatu de occultis pharmacorum poteſtatibus tuo, doctè atque ſcitè inter ſe diſcernis proprietates à forma dependentes ab iis, quæ materiam, ac temperamentum eius cõſequuntur (ἰδιοσυγκρασίας enim, quæ in certis duntaxat indiuiduis reperiuntur, tertij cuiuſdam ordinis eſſe libenter concesserim. (Ac poſtea concludis prioris generis facultates vix vſum habere in medendo, quod rariſſime vtamur pharmacis intra corpus ſumendis, quæ formam ſuam adhuc retineant. Sequetur ergo iam forma ſua priuata nos duntaxat vſurpare. Ex quo ego alterutrum horum abſurdorum colligo, aut nullis formis prædita eſſe medicamenta illa, aut id, quod eſſe creduntur, reuera non eſſe. Quid enim? An non res ſingulæ à forma & eſſentiam & denominationem ſuam accipiunt? Quare Rhabarbarum, verbi gratia, (& item alia quæuis planta) cum ſolum Rhabarbarum, cum terrę adhuc infixum eius ad ſe ſuccum, quo nutritur & viuit, attrahit. At vero *Cum* (liceat Poetæ verbis eloqui) *ſemel in ſyluis, imo de ſtirpe reciſum Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro.* Olim arbos nũc aliquid aliud appellandum erit: non minus ac animal quoduis anima ſua & forma exſpoliatum non animal amplius, ſed cadauer duntaxat nuncupamus.

Proprietatũ diuerſitas.

Hoc ſi nunc detur, etiam de viribus nouis, quæ vna cum noua forma acceſſerunt, quæremus. Quo loco iſtud etiam mihi explicari velim: An in rebus, quæ animatæ non ſunt, temperies (Galeno ſuam hac in parte liberam relinquo ſententiam) formæ vicem ſuppleat, In viuentibus enim, quamdiu viuunt, nihil ambigo quin anima ſit ἡ ἐντελέχεια & perfectio illa, quam furmam vocamus. Quid vero in his ipſis temperies, cuinam annumerabimus? Formæne? ita duæ erunt formæ vnius ſimplicis rei, ſubſtantialis vna accidentalis altera. Ergo ne materiæ? Atqui de huius ratione eſt non agere, ſed pati. Qualitates vero, ex quibus temperies conſtat, omnes vno ore Philoſophi fatẽtur, actionis eſſe cauſam proximam & per illas ſubſtantias efficaces eſſe. Sed & pro morborum totius ſubſtantiæ aſſertione hoc afferri poſſet. Reperiri in compoſitis præter materiam & formam tertium quiddam in quo fortaſſe ſedem illorum autores tui ipſis conſtituunt. Eſt autem tertium illud forma (quam ſic in ſcholis appellant) totius, alia non tantum ab ipſo compoſito, ſed etiam à forma partis, quæ vna cum materiâ compoſitum conſtituit. Sic exempli gratia, Homo totum eſt compoſitum, conſtans ex forma, quæ partis nominatur, hoc eſt, anima, & materia, ſiue corpore, eiuſq; temperie. Forma totius erit ipſa (vt ſic dicam) humanitas. Ita igitur morbos quoſdam reperiri opinari licet, qui nec materiæ, nec formæ per ſe, & ſeorſim competant, neq; etiam materiæ, ſed vtrique ſimul ſumpto infenſi ſunt. Vtpote peſtilentes, & venenato contagio inficientes. Quamuis enim forma, ſeu anima καθ' ἑαυτὴν non patiatur, tamen vbi corpus graſſatores illi inuadunt, amplius cum eo conſiſtere, & ipſum informare nequit. Corpus vero primo & reuera læditur, non tantum ſecundum ſimplicem temperiem, ſed ita vt prorſus deſtruatur. De his igitur, quæ diſcendi ſaltem cauſa propono, iudicium tuum cognoſcere vehementer cupio. Scio non eſſe illa demonſtrationes, ſed tamen in explicatione talium quoque argumentorum, quæ lenia & futilia habentur, multa ſæpe vtiliter in medium afferri poſſunt. Faciam autem finem vbi vnum iſtud quæſiero: Qua ratione contraria quædam ἔμμεσα dicuntur, quædam ἄμεσα, cum fieri nullo modo poſſit, vt extremum aliquod detur, quod medium non habeat? Dicuntur enim hæc πρὸς ἓν ἀλληλοφερόμενα. Contraria autem extreme ſibi oppoſita eſſe ſub eodem genere nemo negat. Medium igitur habeatur neceſſe eſt, ſiue illud iam nomen certum obtineat, ſiue ἀνώνυμον ſit. Atque ad hunc modum nulla prorſus erunt contraria immediata, de quib. ſatis multa in ſcholis logicorum eſt diſputatio. Verum ignoſces mihi, quod tam multis meis interrogationibus tibi moleſtiam creo. Diſſoluere tamen illas tibi operoſum haudquaquam eſſe plane ſtatuo: mihi vero ex illis ipſis reſponſionibus plurimum vtilitatis accedit, nec delectationis quoq; modicum. Vale 4. Nouemb. Anno 1578.

Morbi totius ſubſtantiæ.

EPIST. CCXX.

IDEM EIDEM.

MERITO tibi maximas ago gratias; qui viua voce olim præſentem, & nunc per literas etiam abſentem me erudire non dedigneris. Lubenter etiam fateor, me ex pruximis tuis, doctè, diſertè tum etiam copioſe & amanter ſcriptis profeciſſe plurimum. Ad quas in præſentia paulò tardius, quam animo conceperam, reſpondeo. De chemia non habeo, quod tuis fundamentis opponam amplius, imo gaudeo te

Chymiſtis &...

illam non vſquequaq; vt multis temere perſuaſum eſt, reiicere. Certe enim quod ad medicamentorum multorum præparationes idoneas attinet, quomodo ea ex ſolido damnari & reiici poſſit, nondum video. Metallorum autem tranſmutationem, vt maxime per naturam liceat, ſolius quæſtus cauſa moliri velle, haud ſcio num homine Philoſopho, nedum Chriſtiano, ſatis dignum ſit, vt taceam impenſis hoc fieri maximis, & nõ minori valetudinis cum damno, quicquid alii blaterent: deniq; qui montes auri ſe reperturos fruſtra adhuc quidem ſibi & aliis pollicentur. Ἰδιοσυγκρασίας tertij cuiuſdam generis eſſe, ideo pronunciaui, vt illas ab iis diſtinguerem proprietatibus quæ in omnibus indiuiduis certæ ſpeciei ratione materiæ & temperamenti ſine exceptione reperiuntur. Cum ſatis conſtet peculiarem ſubeſſe rationem oportere, cur magis vni, quam alteri ſingulari cõueniant: etſi interim à temperamento eas in vniuerſum prodire, vt vox ipſa teſtantur, non pernegem. Recte ais: opere & potentia definienda, quæcunq; talia dici merito debent.

Quæſierim tamen hic nihilominus, num tu à forma, an vero ab effectibus rem quamlibet denominandam definiendamve cenſeas. Quod ſi enim poſterius hoc ſtatuas, valde vereor ne tibi cum rixoſis Philoſophis res futura ſit, qui tam conſtanter prius illud in decretis ſuis affirmat. Quamobrem vt hanc inuidiam declines, opinor te hoc loco diſceſſiſſe à Philoſophica quidẽ & Phyſica conſideratione, quæ ſecundum accuratam rationem inſtituitur, rebus quibuſuis appellationes imponi à forma, vtpote, quæ illis eſſe etiam ſuum impertit, ſed tamen in medica operatione minus ad hanc reſpici, imo potius negligi, niſi effectus tales quales illi tribuũtur, de ſe edant. Hæc ſi tua eſt ſententia, à me diuerſam non eſſe profiteor, ſin aliter iudicas, me amplius de illa, ceu minus recte intellecta, informari cupio.

Si in animatis temperies formę rationem ſubit, & alia inſuper formæ accedit, qua res, id eſt, quod eſſe dicitur, adhuc affirmo, abſurdũ mihi videri, vni rei ſimplici geminas formas tribuere, non quidem ſubſtantialem vnam, accidentalem alteram, vt tu interpretatis, ſed ſubſtãtialem vtramq;. Quid enim? An non Galenus animam temperiem eſſe quandam putat, & anima ſubſtantia eſt niſi fallor? Quomodo igitur non duplex ſit forma ſubſtantialis? Vna, quam tumet ponis, & de qua lis nulla eſt, altera, hæc ipſa quam nunc dico, anima nempe, hoc eſt, temperies? Quod ſi enim de hominis ipſius anima Galenum, num ad temperiẽ referret, adubitaſſe ſcimus, quid de aliis inferioribus, vtpote, in brutis & vegetabilibus eum ſenſiſſe coniiciemus? Hoc pene conceſſo, etiam lapidibus, gemmis atque foſſilibus aliis, quæ animata vulgo creduntur, animas ſuas aſſignabimus, cum temperamento illa certo conſtare nemini ſit dubium. Atq; profecto, vt de hoc poſteriori, quod ſentio, libere proferam, hand ſcio, num recte metallica omni prorſus anima priuentur, cum ea creſcere & augeri liquido conſtet. Quod enim de externa duntaxat acceſſione, & neſcio qua accretione, & materiæ accumulatione garriunt, non ſatis mihi rem explicare videntur, qui ab interno principio motum quendam ſimul accedere plane ſtatuam, & argumento ſunt venæ illę, quas ſic vocant in auro, argento, & aliis nobilioribus metallis. *Metallicum anima.*

Humanitatem, quam formam totius ſcholaſticorum more appellaueram: ais non naturam eſſe aliquam per ſe ſubſiſtentem, ſed tantum νόημα, ſen conceptum quendam in mente. Id ſi ita eſt, vt non repugnauero, aliquod tamen neceſſario extra mentem dari oportet ὑφιςάμενον illi correſpondens. Vnde nempe hæc idea abſtracta eſt, niſi illam plane nugax commentum, & cogitationem inanem affirmare velis. Illud igitur qualenam erit? Homo ne ipſe? itaque homo prorſus erit extra mentem, id quod humanitas illa in mente. Hoc modo ſi controuerſiam hanc ſopitam eſſe cenſes, nõ moleſtus tibi ero, quo ad hoc in poſterum. *Humanitas.*

Morbos totius ſubſtantiæ, ſi omnino in vno trium ſummorum generum reponi debeant, nullibi certe rectius & conuenientius, quam inter intemperiei morbos ipſe collocauerim. Verumenimvero cum plane peculiari modo nobis aduerſi ſint, placuit primis horum inuentoribus facilioris doctrinæ & diſtinctionis gratia nouum illis ſedem aſſignare, vt vel ſola nomenclatura ipſorum inueſtigatoribus ſtatim in conſpectum veniat. Neque tamen vel ipſi opinor negabunt aduerſarij ſimul temperamentum neceſſario deſtrui. In quo tamen controuerſiæ huius caput quantum aſſequi licet, cõſtitutum minime eſt, ſed potius, quid primo & potiſſimum lædatur. Hic illi aiunt ipſi ſubſtantiæ partium ſimilarium, hoc eſt, ſpiritui calori innato, facultatibus, formæ denique ipſi nocumentum afferri, quod tamen nihilominus in temperiem ſimul redundet. Tu contra, ſi hypotheſin tueri voles, temperiem violari & corrumpi primo ſtatues, atq; ſic paruum inter ſim[...]em intemperiem, atq; hanc extreme [...]noſam peſ- *Morbi totius ſubſtantiæ recte attribuuntur intemperiei.*

peſſundantemq; hominem, diſcrimẽ relinquerur. Poteſt pro illorum defenſione hoc quoq; in medium afferri. Non valere hunc argumentandi modum: In ſubſtantiæ totius morbis neceſſe eſt temperamentum vitiari & deſtrui. Ergo temperamentum per ſe & primo læditur, & ita à morbis temperiei ſecerni non debent. Sicut enim in ſuffuſione v.g. à ventriculi affectu (de qua Gal. 4. de loc. aff. 9.) fieri non poteſt, quin oculi ſimul lædantur, & tamen oculorum morbus hæc affectio proprie non dicitur, neque primo ipſi læduntur, ita etiam conſimilem in modum hic quoq; ſe rem habere putãdum eſt; de quo quid tu iudices, nimirum, ex tua reſponſione cognoſcam. Solutio difficultatis de contrariis immediatis plane accurata eſt, & haud ſcio an non nimis exquiſita. Nequaquam tamen eam reprehẽdendam duco, ſed ſimpliciter, quæ mihi de ea cogitanti in mentem venerunt, profero. Fortaſſe igitur in hunc quoq; modum explicari res poſſet, ſi dicamus Medium hic non ſignificare formam aliquam mediam, inter duo extrema, ſed potius ſubiectum medium, cui formæ illæ contrariæ inhærere aptæ ſunt, vt nimirum contraria quædam ideo appellantur ἄμεσα, hoc eſt, ſine medio, quod nullum habeant ſubiectum medium, ſeu naturæ mediæ cui alterutrum horum non læſit, exempli gratia, vita & mors. Cum enim hæc animato corpori ſolum competant, nullum tale vnquam reperietur corpus ita medium, vt nec viuum ſit, nec mortuum. Offendit me autem aliquantulum ἀντιλογία illa, vt apparet, quod cum ſuperius dixiſſes, ſubſtantiis & formis nihil eſſe contrarium, paulo tamen inferius ſubiicis hæc verba, contrariorum quæ accidentia ſunt. Sunt enim & ſubſtantiarum differentiæ, per quas genera diuiduntur, contrariæ, &c. Vnum colligo, in ſubſtantiis quoq; ipſis contrarietatem reperiri, quod cũ dialecticorum pronunciato manifeſte pugnat. Certe enim differentiæ illæ, per quas genera diuiduntur, ſi εἰδοποιοὶ ſunt, ſiue ſpecificæ, & ipſæ erunt ſubſtantiæ. Quomodo igitur contrariæ? Confirmas etiam tuam ſententiam Ariſtotelis autoritate, qui neget, omnibus in genere relatione cõtentis, quæ nimirum, extreme oppoſita ſint, (de talibus enim nunc ſermo nobis eſt) accidere medium. Videtur autem hoc τὸ ἐν ἀρχῇ λαβεῖν. Nam cum hoc fieri non poſſit, aut debeat in præſentia quæritur. Sumitur igitur quæſitum pro confeſſo. Hoc ipſum nunquam eſt quod quæro, quomodo extrema quædam, & inuicem ſibi quam longiſſime oppoſ[i]ta eſſe poſſint, quæ medium tamen nullu[m h]abeant? Sub finem epiſtolæ aſſeris: Inter habitus contrarios medium ſeu gradus nullos eſſe. At ego non de habitibus, neq; contrariis, ſed de habitu & priuatione extrema inuicem ſibi oppoſitis. Attuli enim exemplum ſi recte recordor, de vita & morte. Et tu ipſe quoq; de ſanitate & morbo hac occaſione copioſe diſputaſti. Vide igitur nũ reſponſio tua ſic quoq; locũ habeat, vt quæ de habitibus dixiſti, etiam de priuatione oppoſita, quæ nihil reuera poſitiuum eſt, verificari poſſint. Scriptum de cometa tuum diligenter perlegi, ac reipſa comperi minus profanitatis habere, quam pleriq; male feriati illi attribuant. Fundamentis tuis, quæ ex rationum momentis accurate deduxiſti, non inuitus aſſentior. Miror tamen te de altero quoq; κριτηρίῳ, experientia nempe, ſeu aſſeuerando, ſeu refutando nihil, niſi obiter alicubi, in medium attuliſſe. Et videtur tamen illa locum in iis merito habere, quę ſub ſenſus cadunt, & obſeruationibus multorum ſingularium conſtant. Etſi autem plerunq; imbecillis eſt eiuſmodi probatio, quæ ab experiẽtia nuda ducitur, nõ tamen prorſus repudianda eſt, cum quam varie illa impediri poſſit, aut turbari, prudentes norint. Sed nimis latus ſe campus aperit, ſi de hoc quoq; argumento nunc tecum conferre velim, quod fortaſſe commodius alio fiet tempore. Vale. Poſtrid. Pentecoſt. An. 1579.

In ſubſtantiis nõ quid contrariũ.

EPIST. CCXXI.

IDEM EIDEM.

Rubea virt.

DE rubeæ radice recens mihi cum quodam lis fuit, quibuſnam ea ſcilicet viribus polleret, cum Dioſc. Gal. Plinius, & alij veteres eam menſes & vrinas ciere, ſanguinem proiicere, & eundem collectum valide diſcutere, ob caliditatem haud dubie & ſubſtantiæ tenuitatem aſſerunt. Inter recentiores autem Dodonæus in purgantium hiſtoria frigidam potius, ſiccamque ſtatuat, ac quibuſdam experimentis confirmet. Quamobrem quid tibi de eius facultatibus cognitum & exploratum ſit valde ſcire cupio. Quin alterum etiam illud, ſi aduerſum non eſt, adiicias, quid tibi de balneo, vt ſic appellem, formiculari videatur. Eo enim apud nos frequenter vti ſolent, in reſolutionibus, torpore, aliiſve neruorum debilitatibus, ita vt myrmecium, id eſt, formicarum viuarum agmen ſumant, in ſaccum condant, atq; iis decoctis affuſa aqua in ſufficienti copia balneum parent, in quo æger lauet. Haud ſcio an apud vllum veterum de hoc ſcriptum extet aliquid. Itaq; tanto lubentius ex te num cum ratione eiuſmodi lo-

Balneum formicarũ.

tio adminiſtrari poſſit, perdiſcere deſidero. Vale. 18. Aug. Anno 1579.

EPIST. CCXXII.

IDEM EIDEM.

IAMDVDVM tuas illas, menſe Septembri datas, accepi, ſed reſpondere nolui, quoad hic præſens tabellarius, quem in dies ſingulos expectabam, rediret. Is alias etiam abs te mihi attulit, quibus vtriſq; nunc ſatisfacere conabor. De rhabarbaro quid concluſum velis denique, adhuc ambigo. Ponis ſub initium literarum tuarum hæc verba: Res quaslibet opere & potentia definiendas eſſe, & eorum veritatem multis in medium adductis Ariſtotelis & Galeni teſtimoniis comprobas. Sane nec ego temere contra illa, quæ ſuo loco recte conceduntur pugnauero, ſed ſaltem mihi declarari interim rogarim, qualenam opus, & qualem potentiam intelligas. Vt enim in oblata hypotheſi perſiſtamus: Ecquando legitimum & verum eſſe rhabarbarum pronunciabis? Cum, inquies, opus ſuum ad quod à natura productum eſt, aget. At quodnam opus obſecro, vitale ne, ſeu, vt ſic appellem, formale, an naturale, & temperamentale, hoc eſt, an cum vita & anima præditum nutrietur, & augebitur? An vero cum vtraque ſpoliatum, & intra corpora aſſumptum, bilem expurgabit? Si prius affirmas, definitionem aut deſcriptionem huius radicis, quæ nimirum λόγος eſt τῆς οὐσίας, tibi opponam, in qua præcipuo loco ponitur, quod bilem, ſeu trahendi, ſeu euacuandi poteſtatem obtineat, id quod, niſi fallor, viuum & terræ matri inſitum nunquam præſtat: ſin poſterius aſſeris, vide ne tibi ipſi aduerſeris, dum ita loqueris. Euidenter, vt arbitror, probaui cum Ariſtotele me locutum, quando tibi reſpondens ſcripſi rhabarbarum in officinis non eſſe verum rhabarbarum. Quia opus cuius cauſa à natura factum eſt, facere amplius non poſſit; ſed rhabarbari veri cadauer, & quæ ſequuntur. Valde ego hic dubito, an non præcipuum opus, cuius cauſa à natura rhabarbarum factum eſt, ſit biliosi humoris in corporibus humanis expurgatio: cum quidem liquido conſtet, Res omnes non tam per ſe, quam propter hominem, & ad huius vſum atque emolumentum à præpotenti DEO principio creatas. Deinde in mentem venit quærere cur, verbi gratia, homo mortuus non amplius dicatur homo, niſi ὁμωνύμως. Rhabarbarum autem mortuum, tum demum vere & propriè ſic nuncupetur. Quæ hic eſt diuerſitas, quæ diſſimilitudo? Vtrobique certe forma, ſeu anima, qua viuebant, ablata eſt? Quid vero tandem philoſophis etiam reſpondebimus, dum illud perpetuo eſſe volunt, vt à forma res quælibet tum eſſentiam, tum etiam nomen ipſum adipiſcatur? Quin imo exempla, quæ præterea adducis, nō per omnia conuenire videntur. Manus enim & oculi partes duntaxat ſunt, ſiue organa ſui, vt ita appellem, principalis. Raued autem ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens, & conſiſtens, quæque ad nullam aliam refertur, operum ſeu operationum appellatione potentiam ipſam, à qua emanant, includi debere lubenter aſſentior. Memor enim ſum logicæ illius regulæ, qua dicitur: verba in definitionibus non ſemper de actu, ſed ſæpe etiam de potentia eſſe intelligenda, vtpote, cum homini proprium eſſe aiunt, videre, non quidem ſemper, τῇ ἐνεργείᾳ, ſed duntaxat τῇ δυνάμει, quæ cæteris brutis nequaquam conceſſa eſt. Metallis & lapidibus vitam omnem denuo aufers. Neq; ego hanc tot inuitis philoſophis, in ſolidum illis reponere auſim. Perſuadent tamen multa indicia, vt obſcuram vitæ imaginem ipſis ineſſe ſuſpicer. Certe enim quodammodo creſcere & augeri apparent, non vno in loco tantum, ſicuti fit in accumulatione à materia extrinſecus accedente, agglutinataque, ſed in omnibus vndique partibus. Habent item ſua maturationi deſtinata tempora, excrementa ab ſe reiiciunt, efflореſcentias emittunt, & denique in intimo ſui, metallica præſertim, ceu fontem huius nondum plane vitalis facultatis repoſitum habent, quod fortaſſe Ariſt. ſi diligentius conſideraſſet cordi ἀνάλογόν τι, quale in iſto genere dari poteſt dixiſſet: Humanitatem æque vt genus, ſpeciem, prædicabile, &c. νόημα eſſe ais intellectus noſtri, cui res nulla extra mentem reſpondeat. Ego vero vt de vocabulis ſecundæ intentionis, ita enim in ſcholis nuncupantur, illud facile conceſſero, ita haud ſcio an etiam ad cætera, quæ primæ intentionis nominant, idem accommodari recte poſſit. Probandum igitur fuerit in cenſu illo humanitatis vocem ſimiliter contineri. Quod ad totius ſubſtantiæ morbos attinet, etſi in ſumma rei tecum plane facio, nequaquam tamen diſplicet, peculiare nomen illis affectibus aſſignari, in quibus, ſecundum Hippocr. θεῖόν τι animaduertitur, vt nimirum, ſimplicibus temperiei vitiis facilius diſcernantur, & maiori poſtea cura & diligentia depellantur. Hac intentione ſi quis illos totius ſubſtantiæ morbos appellare velit, nō opinor valde errauerit. De contrariis mediis, medioq; c[illegible] entib. non reprehēſurum te ſignificas exp[illegible] atio- [illegible] ne:

Rhabarb. quando legitimum.

Morbi totius ſubſtantiæ.

nem meam, ſi modo medium illud ſubiectum (de quo loquor) poſſit inueniri. Atqui idcirco, quod reperiri nullo modo queat, contraria ἄμεσα dari dixi & non alia de cauſa. Vnde in hac ſolutione difficultas amplius haud latet. In mediis enim contrariis facile inuenitur corpus ſubiectum, quod, exempli gratia, nec album ſit, nec nigrum, ſed ſi ita res ferat, viride aut purpureum. Nullum autem omnino corpus, ſed potius animal datur vſpiam, quod neq; viuum ſit, neq; mortuum.

Eraſtus de Cometis.

Vides igitur meam ſententiam hactenus euerſam non eſſe, etſi tuam etiam nequaquam reiicio. Cometam tuum non contemnenda appendice adauctum & locupletatum denuo prodire lubenter cognoui, idque tanto magis, quod Marcelli Squarcilupi, ingenuoſi hominis, ſed non ſemper philoſophica cõſtantia præditi opiniones quaſdam mirificas in eo refellere conſtituiſti. Vnum hoc in multis huius farinæ ſcriptis deſidero, quod rem tam amplam, & adeo late patentem ſuis finibus & limitibus non ita, vt æquum erat diſterminant. Cum enim de cometarum ortu, ac potiſſimum ſignificationibus tractare in animum inducant, meminiſſe debebant, ex diuerſis fundamentis atque principiis diuerſimode quoque de hoc toto negotio diſſeri poſſe. Aliter enim & effectus alios haud dubie ex crinitis iſtis cometis præſagiet theologus, alios phyſicus, alios denique mathematicus ſeu aſtrologus, quorum quiſque ad ſuę ſcientiæ præſcripta de hoc ſeu meteoro, ſeu portento, diſputabit & vaticinabitur. Quod ſi diſcrimen iſtud obſeruatum non fuerit, non tantum tranſitum eum, quem Ariſt. in Analyticis vitioſum eſſe inquit, in ſcientiis committimus: verum etiam & nos & alios erroribus atq; confuſionibus multiplicibus implicabimus.

Præterea nunquam deerunt argumenta aduerſariis, quibus nos & oppugnare & expugnare poterunt, dum quæ theologice, aut mathematice dicuntur, ex harum nempe ſcientiarum principiis propriis deducta ea phyſice interpretari volent, & contra.

Theſes de morbis.

Theſes tuas de nutritione per humores corporis noſtri diligẽter perlegi. Neſcio tamen quomodo obſcuriores viſæ ſunt, quod non diſerte explicarent, de quibus humoribus, & quomodo affectis potiſſimum loquereris. Sanguinẽ enim ſolum corporis noſtri partes vere alere aliquoties affirmas. Bilis vero & ſuccus melancholicus excrementa cibi duntaxat ſunt. At vbi nam ſanguis ille in corpore etiam integre ſano reperitur, qui ab vt... bile & pituita exquiſite ſeparatus ſit? ſola, vt puto, imaginatione datur, non autem reipſa. Quomodo igitur τῷ ὅλῳ nutriet? Sanguis certe, qui ex venis etiam perfecte ſanorum effluit, humorum omnium indicia, & ſigna manifeſte commonſtrat. Eſt enim in eo pars ſeroſa & lenta, quæ pituitæ reſpondet, eſt alia craſſior & terreſtris, quæ melancholiæ, tenuior alia floris in morem quæ bili, denique puriſſima harum omnium, & quo ad ſubſtantiam & qualitatem maxime temperata, quæ ſanguinis denominationem κατ' ἐξοχὴν ſortitur. Quemadmodum antea tota hæc maſſa χυμὸς nuncupabatur. Videris vero tu etiam has omnes partes inter ſe quidem diſtinctas, vniuerſim vero ſanguini in venis commixtas admittere, niſi quod priſcarum appellationum, tanquam minus exquiſitarum, quæ tamen vulgo innoteſcunt, ipſiſmet adimis. Ita fortaſſe in vocibus maior lis erit, quam in rebus ipſis. Nemo enim puto tam longe à recta ratione aberrabit, vt ſtatuat bilem flauam illam, quæ in veſicula cõtinetur, ipſum nempe fel, aut ſuccum atrum è ſanguinis maſſa iam tum ſecretum, cum ea rurſus commiſceri, & ad nutriendum certas partes, ſeu ſanas, ſeu ægras in corpus diſtribui. Hoc ſane idem prorſus eſſet, ac ſi quis diceret, vel feces alui, vel ſtrigmenta, & ſordes cutis corpus alere debere. Sicut enim hæc primæ & vltimæ coctionis excrementa ſunt inutilia: ita illa ſimiliter mediæ, quæ in epate celebratur. Alia ratio eſt humorum quatuor quæ inſeparabili modo in vnam maſſam coëunt, & in vaſis, cum maioribus, tum minoribus, in omne corpus deferuntur. In quarta parte Antiparacelſ. diſputat. pag. 212. Ais chalybem & ferrum lienes & alia viſcera efficaciter deobſtruere. Velim igitur ſcire, qua ratione & methodo illa tum præparari, tum exhiberi ſolent. Vix enim arbitror te ignis opera eam ad rem vti, cum in eodem libro pag. 306. diſerte affirmes, Metallorum pulueres, olea, aquas, ſpiritus, &c. hæc omnia vehementium ignium vi confecta, & intra corpus ſumpta, vel non prodeſſe, vel maximopere obeſſe. Quem autem alibi lapidem ſabuloſum appellas, aut ſecundum Gesnerum ψαμμόστεον, ſeu ψαμμόλιθον, quæſo ſignifices an ſit oſteocolla, vulgo dicta, aut is lapis, cuius Matthiolus in capite de morochtho pluribus verbis meminit. Suſpicor enim dum effectus inter ſe confero, eundem eſſe. Ad nos ſane quod ſciam, non defertur. Quod ſi igitur eius copiam penes te haberes, rem mihi gratiſſimam faceres, ſi illius fruſta aliquot ad me cum tabellione iſto Baſileam reuertente tranſmitteres, & ſimul rationem & modum

Lapis ſabuloſus.

illius vtendi breuiter indicares. De precio portionis facile tranſigetur, & conabor vt par pari referam. Vale. 17. Decembris. Anno 1579. excurrente.

EPIST. CCXXIII.

D. THEODORO ZVINGERO. Medico Baſilienſi, &c. Petrus Monauius Med. S. P.

MERITO amo te, mi præſtantiſſime Zuingere, quod de acopo noſtro tam acurate, tamque fideliter mihi ſatisfeceris. Et ſi enim ſummam curationis nequaquam in eo poſitam eſſe ſcio, vt ſymptomata duntaxat depellantur: tanta tamen ſæpenumero eſt ægrorum moroſitas & importunitas, in hiſce locis præſertim, vt medicum vel inuitum, rationali illa, quæ ex methodi legibus inſtituitur, ſepoſita palliatiua, quam ita nuncupant, cura vti cogant. Eo namque ingenio ſunt multi, vt niſi ab initio ſtatim doloris, & aliarum moleſtiarum, de quib. potiſſimum quiritant, leuatio affertatur, poſtea auxilium aliud nullum admittant, aut ´aliem artifice dogmatico repudato, alios accerſant medicaſtros & agyrtas, qui magnificis promiſſis omnia complēt & veluti faſcino imperitorum animos ſui iuris efficiunt.

Nepenthes præſtans Narcoticũ.

Præſtans vero tuum Nepenthes in primis eſt, ad id quod in præſentia quærimus conſequendum, ita quidem vt vix vlli hac in parte pharmaco cedat. Quapropter te autore illud libenter amplector, quamuis multis de cauſis illud mihi antea ſuſpectum fuerit, nec fortaſſe immerito, quod tam variæ & inter ſe diſcrepantes præparationes illius paſſim exſtarent, ex quibus probate fidei aliquam eligere difficile fuit. A D. Laurentio Scholzio, ciue meo, particulam illius me impetraturum confido, quam ille eo ipſo in loco ſibi comparauit, quem tu in ſuperioribus literis mihi quoq; nominaueras. Neque te dubitare volo, adhibiturum me cautionem & circumſpectionem illam in vſu eius, quam tute præſcribis, & res ipſa per ſe exigit.

Catholicon Zuingeri.

De catholico etiam magna cura liberatus ſum, poſtquam tu nebulas illas, quę viſui meo imbecilli offundebātur, reſponſionis tuæ luce tam aperte diſcuſſiſti. Satis apparet mite eſſe & blandum: neque tanto impetu agere, vt humores ad partem aliquam corporis ex imo eius præcipitet. Itaque nec in catarrhis, aut in arthritide timendum venit. Puto eo præcipue directum eſſe, vt pharmaci blande purgantis penetrationē adiuuet, ac ſimul paulatim humorē in membris, aut artub. collectam, ſiccādo abſumat. Vnde etiam corticem ipſum potius, quam lignum ſumere primo illius Autori placuit. Sed euidentiſſimum huic rei teſtimonium perhibere poterit ipſa experientia, à qua minus præſidii petere hactenus licuit. Vbi tamen ſeſe occaſio offeret, αὐτοχειρὶ paratū exhibiturus ſum. Mirum certe ingenium eſt naturæ, quædam ita occultantis, vt ſi in apertum proferantur, & ſine diſcrimine quibuſuis communicentur, & præſertim τοῖς ἐμμασημένοις minus poſtea efficaciæ & virium habeant. Id igitur ne fiat à nobis quoq; cauebitur in præſentia.

Succus abſinthii.

De ſucco abſinthii idem profecto mihi etiam in mentem venit, accuratius rem perpendenti quod tu in medium affers, Sed hac ratione eleuari mihi videbatur familiaritas illa, quam à tota ſubſtantia cum ventriculo habere dicitur, ſi duntaxat à terrenis partibus, in quibus detergendi & aſtringendi vis ineſt, illa dependere diceretur. Secus, ni fallor, accidit in aliis ſimplicibus, quæ certis corporis noſtri partib. appropriata eſſe creduntur, vt pote in betonica, ratione capitis, in cichoreo, ratione epatis, in artemiſia ratione vteri, & in aliis ſimiliter. De his igitur tu videris.

Harmonia coctionum & ſuccorum.

illud interim valde placuit, quod animaliũ coctiones, & ſuccos inde progenitos, ad plantas etiam, κοινῶς & analogia quadā accommodas. Vnde rerum omnium in mundo mirifica inter ſe harmonia elucet, in qua apprehendenda plus nimio interdum cæcutimus, cum tamē myſteria in illa lateant omnino plurima, & vix humano ingenio axhaurienda. Illud mihi dubitationē mouit cum inter cætera ſcriberes, viuum reſpectu ὅτι terrei penetrare & detergere, Poſterius hoc ſane libenter concedo, ſed quo modo terrena moles penetrationēm adiuuat, & non potius impedit? Ego quidē hoc magis igneis & aëreis partibus, aut aqueis, diuerſa tamen ratione acceptum referrem, niſi tu aliud in animo habueris, in cuius locum ob feſtinationem hoc verbi irrepſerit.

Lues Morauica.

Iordani libellum de noua, vt ipſe appellat, lue in Morauia nuper exorta te vidiſſe & legiſſe arbitror. Quæſo igitur quid tibi de eo videatur, libere mecum communica. Satis ne cōmode autor dicit; Hoc veneni per inſpirationem attractum, & ita infectos fuiſſe homines? cum tamen non omnes, qui balneum ingreſſi ſunt, ſed duntaxat phlebotomo vulneratos, ideo correptos paſſim affirmet. Hæc an ſatis inter ſe conciliari poterunt? Et an non vicinior, & magis particularis cauſa, in particulari nempe infectione inquirenda eſt? ſed nolo tibi vlla in parte præiudicare, à quo potius plenius inſtrui omnibus modis cupio. [illegible]io &

noui ſolertiam tuam, quæ hac quoq; in parte ſi intendatur, euētu ſuo nequaquam fruſtrabitur, præſertim cum dignus ſit, vt ego quidem arbitror, hoc vindice modus. Cupio cognoſcere, quid nunc in manibus habeas,& num Philoſophicum vel potius medicum quid mediteris. Hippocrates quidem haud ſcio an non ægre laturus ſit, ſi abs te ſeminudus relinquatur, & non ea veſte, quam illi circumdare cœpiſti, totus induatur & exornetur. Vide igitur ne tantum hominem tibi inimicum facias,ac in nos etiam numen male æquum poſtmodum immittas. Vtinam Galenum Græcum ita nitidum & terſum nobis exhibeat Lalamantius,qualis fuit ſpecimen illud quod nuper publice oſtendit, ita demum veterem & incorruptam medicinam vere reuiĉtutam cum ipſis Autoribus putarem. Sed nimis garrulus ſum,& tua patientia abutor. Finem itaque ſcribendi faciam. Pragæ è Regia, 8. Martij An.1580.

[*Lalamantius.*]

EPIST. CCXXIV.

D. IOACHIMO CAMERARIO, PHY*ſico Norinbergenſi,&c. Petrus Monauius Med. S. D.*

QVOD ſtatum ſcholæ & vrbis noſtræ attinet, neſcio quid nobis aduerſi ex vicinia lues iſta infeliciſſima minetur. Quamuis enim, an vere peſtis, nondum Medici noſtri plane conſenſerint, dubitandum minime videtur, eſſe quid Epidemium, quod contagionem eiuſmodi, quæ à peſtis natura & conditione fortaſſe non adeo procul recedat. Profeſſorum artis noſtræ præcipui, Capouaccius nempe & Mercurialis hinc ante paucos dies euocati ſunt, vt quoniam peſtem id mali eſſe negant, hoc diſcrimine ſumma fide & diligentia adſerant. Ex Venetis Medicis non pauci affirmant, ipſiſſimam eſſe peſtem, morbum cum, qui iam diu vrbem æſtiuatim infeſtat, idcirco à curatione ſtudio ſeſe ſubtrahunt. Alij ad noſtrorum potius ſententiam illis oppoſitam deflectūt, idq; his potiſſimum,ſicuti aſſequor, inducti rationibus. Quod nempe,acuti ſit,atq; peracuti morbi febribus malignis cōiunĉti ortum non ducant à cauſa communi, ſeu vniuerſali quod non indifferenter multos inficiant,ſed vulgus hominum inprimis, exque his fœminas & pueros, quod deniq; magna ex parte ij,qui infecti ſunt,(ſi modo medicati libere ipſis concedatur) ad ſanitatem redeant,ſed nec principiū peſtis eſſe, eo quod iam per integrum annum, eundem curſum hæc lues tenuerit. Signa vero illa vulgaria, maculas, vrinas turbidas, inflammationes inguinum,deliria,ſomnolentiam,tumores, carbones,& ſimilia alia, minime neceſſario peſtem ſequi, & illam præſentem demonſtrare, vt ita ægrotantes his ſymptomatibus obnoxios inuiſitare nondum per Dei gratiam extremi periculi rem iudicare oporteat. Hæc vt vt ſeſe habeant, (inquiſitionem enim accuratiorem in præceptorum ſententias mihi haudquaquam ſumo) caute tamen omnino ambulandum ſtatuo, ne vel grauis vmbra ipſius peſtis nobis noceat, eoque magis quod cum plurimi ex Venetiarum Vrbe huc ſeſe conferant, initia quædam illius hic quoque gliſcere incipere nonnulli ſubuereantur. Deum æternum precor,vt bene meritam pœnam, à ceruicibus noſtris auertere, atq; exoptatam ſtudiis clementer largiri requiem dignetur. De reliquis nihil aliud quod addam habeo, donec abs te plura ſcribendi materia mihi ſuppeditata fuerit. Vale,Patauij.20. Iunij. Anno 1576.

[*Diſſenſus Medicorum in peſte Veneta.*]

EPIST. CCXXV.

D. IOHANNI HERMANNO, ILLVST. *Breg. Princip. Med.&c. Petrus Monauius Med. S. D.*

VALDE gaudeo quod ex literis tuis proximis intelligo, contagionis malum, quod vltra ſemeſtre ſpacium hactenus in patria graſſatum eſt,nunc quotidie miteſcere, vt tandem ſpes ſit, omnino euaniturum. Deus ſimul largiatur, vt pœna iſta admoniti de vitæ emendatione ſerio cogitemus; & nobis paternam hanc caſtigationem profuiſſe reipſa demonſtremus. Gratiſſimum eſt quod de obſeruationibus quibuſdam tuis mecum communicas. Salem abſinthij ipſe etiam Crato noſter, 6.m. valde commendat in libello ſuo, cuius exempla Francofurto nondum accepi. Magnam haud dubie vim ad inhibendam omnis generis putredinem & corruptionem habet. Doſin non aſſignas. Sed credo ad ſcrupulum vnum nos recte aſcendere poſſe, id maximum adiumentum ſimul adiunctum habet,quod modica aſtrictione, quæ tamen penetrationem non impedit, ſed potius adiuuat, viſcera ventriculum inprimis roborat. In curatione inter cætera plurimum confiderem Electrio Cogeleri, cuius deſcriptionem mihi D. Schepſius Schwidnizij communicauit, hic valde multis vtiliter exhibita fuit, præſertim robuſtioribus. Cæteris enim Diaſcordium Fracaſtorij magis conueniſſe ſenſi. Amuletū de Arſenico pleriq; aulicorum no-

[*Sal abſinthii.*] [*El. Cogeler.*] [*Diaſcordii.*]

Vicit tamen fraternus animus, & illius importuna ſolicitatio, vt tandem aliquid præſcriberem, quo illi, tuo adhibito conſilio, vtendum eſſe cenſerem: id tibi nõ diſplicuiſſe ſcribit, niſi quod paucula quædam pro iis indicationibus, quæ præſenti, quam abſenti notiores ſunt, immutaſſes, vtpote cum in confectione mea ad ſpecies Diambræ & Diamuſci, ſpecierum Diarrhodon aliquid adiecisti, haud dubie ad epatis calorem cõtemperandum reſpiciens, cuius tamen ratione ego etiam, ni fallor, ſpecies ſupra nominatas, in aqua roſarum diſſolui, & pulueris aromatici roſati nonnihil addidi. *Tragea ad ventric.* Ad Trageam quoque poſt paſtum vſurpandam ſignificat adiecisse carnes cydoniorum, corallos rubeos, & pelliculas ſtomachorum gallinaceorum. Recte quidem omnia, niſi quod nimis parua quantitas eorum eſſe videtur, & reliquis proportione vix reſpondens. Quomodo enim cuius libet horum ſcrupulus vnus cæterorum turbæ ſit ἀνάλογος. Itaque bona tua cum pace arbitror, deſcriptionem retexui, ac prout illi commodam futuram exiſtimare potui ordinaui. Saponem etiam odoratum, & alia ad rem facientia præſcribendo, quæ tamen vniuerſa tuæ cenſuræ libenter & merito ſubiicio. Sed vix bene fraternum debitum exolueram, cum de ſororis etiam valetudine non ſatis firma ad me refertur, conſiliumque ea in re meum expetitur. ſymptomata vt audio, præcipua ſunt: *Dolor capitis appetentia deiecta, aluus astricta.* Capitis dolor pene continuus, appetentia deiecta, ſitis nulla, & aluus minime laxa. Hemicraniam illam, quaſi hæreditario à matre, quæ etiam periodico illo dolore laborare ſolebat, accepiſſe exiſtimo. Fit autem haud dubie per conſenſum ventriculi, ab humore frigido & pituitoſo iſthic contento, accedente interdum ſtimuli loco bilioſo humore, qui, cum ad inferiora ferri, excretionemque promouere debebat ſuperiora petit, & vapores in caput deuehit. An vero vteri etiam intemperies & mala conſtitutio morbum adaugeant, non habeo, quod certo affirmem: quandoquidem num τὰ καταμήνια ſolenter fluant, & an aliquis in iis defectus ſit, ignoro. Tibi autem præſenti de his coniecturam facere perfacile fuerit. In victu plurima errata committi ſatis noui, intempeſtiuis præſertim iis ientationibus & merendis, quibus noſtrates aſſueuere. Deinde ſine diſcrimine quos libet cibos, qui palato illius arrident, ingerere ſolet, ſæpe etiam cum natura ad deiectionem ſollicitat, vi aluum comprimit, ſaltem ne etiam non magni momenti negotia intermittere cogatur. Quod quam ſit noxium, optime noſti. Quamobrem ante omnia maxime neceſſarium eſſe duco, vt certa diæta, ſiue victus ratio ordinetur, illique intempeſtiua iſta ientacula, & merendæ interdicantur, *Ientacula & merenda noxia.* præterea non tantum illos cibos fugiat, qui pituitoſum humorem, atque lentum & viſcoſum gignunt; ſed etiam qui acrimoniæ ſunt participes, & in vẽtriculo facile corrumpuntur. Vnde poſtea halituum copia prouenit, qui ſurſum elati caput turbant. In potu malim vino albo tenui & Rhenano vteretur, quam cereuiſia noſtrate, quæ craſſos de ſeſe fumos edit, & minime eſt diuretica. *Medicam.* Quantum ad medicamenta attinet, etſi eam ab his naturaliter abhorrere noui, fortaſſe tamen talis quædam ratio inſtitui poſſet, vt quam minima cum moleſtia illis vteretur. Poſt lenitam itaque aluum ex infuſione fol. ſenæ & rhabarbari cum ſyrupo roſaceo ſolutiuo, proximum eſſet diſpicere: num venæ ſectio in parua quantitate illi conueniret. Ego quidem an vnquam illam admiſerit neſcio. Si non neceſſaria eſſe videbitur, ac illa etiam plane repugnet, proximum eſſet ad præparationem humorum accedere, qui inciſione & attenuatione egent. Suaderem igitur oxymel cum aqua cinnamomi eligendũ, itemque ſyrupum de ſucco cardui & betonicæ, & in decoctione radicum cichorii, fœniculi, herbarum betonicæ, capillor. Veneris, borrag. cum drachmis duabus aut tribus calam. aromatici, aut illius loco ſemen aniſi, & feniculi tantundem, ſyrupus illos diſſoluendos, quod ſi ab iis, quæ in pharmacopolio parantur nauſeam concipiat, ſpecies ſupra nominatæ conciſæ illi dentur, vt ipſa eas in brodio aliquo gallinæ, aut carnis vitulinæ decoquat, & deinceps ſyruporum ad duo, aut ſummũ tria cochlearia admiſceat, ſicque per triduum, aut quatriduum mane tribus ante prandium horis vtatur. Sic enim facilius aſſenſuram ſpero, cum abſq; hoc, vt ante, dixi matutinis iuſculis aſſueta ſit. Finitis iſtis potionibus purganti aliquo pharmaco vtatur, inter quæ, vt ego opinor, Catapotia lubentiſſime deglutiet, cum ſucco aliquo, quem ipſa appetet, aut melle roſato, quod domi parare ſolet. Vt ligni vſum admittat, vix puto adduci poſſe. Alioquin non diſſuaderem illius potum, ſaltem ſecundarium, per dies quatuordecim aut quindecim. Cæterum ne materia denuo in ventriculo, aut primis illis viis colligatur, ſaluberrimũ fore conſiderem ſingulis ſeptimanis bis vel ter dimidiata hora ante cœnam ſumere ſex, vel ſeptem pillulas de aloe roſata, quę & ventriculi ſentinam expurgarent, & cæteris etiam partibus non moleſtæ eſſent, neque vim illam, etiam crebro repetitę, corpori af-

ethi libellus qualis ſit neſcio. Sed potes de hydrargyro ex collo appenſo inſpicere libellum doctiſſimum D. Iac. Theodori medici Wormatienſis de peſte, vbi varia etiam experimenta affert. Arſenicum ſeu ſacculum inde confectum appendi pluribus ducentis, aut trecentis, vix vnum aut alterum inde læſum memini, ex iis ſcilicet, quib. immediate cordis regioni applicuerunt, & ſudores copioſos non detetſerunt. Sed tamen in his quoque puſtulas duntaxat quaſdam vi manifeſta excitauit, quæ & ipſe poſtea euanuerunt. Legas de hoc aliquid in aſſertione Dn. Cratonis 6. m. pag. 53. & 54. Mitto exemplum libelli, qui ſuperioribus diebus primum appulit, & vt eum gratum habere velis oro. De affine & ſorore quomodo cura procedat ex te cognoſcere mire deſidero. Cætera in aliud tempus reſeruo. Vale, Pragæ. 15. Februa. Anno 1586.

Hydrargyrũ collo appenſum.

Sacculus Arſenici.

EPIST. CCXXVIII.

IDEM EIDEM.

MITTO tibi epiſtolam viuam, fratrem meum, qui facile, quod ſcriptioni decedit, coram complere poterit. Sed tamen peculiariter affinis mei mentionem facere oportet, de quo iam ſæpius apud me conqueritur ſoror noſtra, & ſymptomata illa timoris plena, augeri ſignificat. Ad Thermas, quas te ſuadere audio, ita illotis manibus accedere haud iudicarim eſſe conueniens, præſertim cum à natura epatis conſtitutionem iuſto calidiorem obtineat, & à bilioſis & mordacibus humoribus ſæpe infeſtetur. Ego ne meum officium neglexiſſe videar, medicamenta hic ſingulari cum diligentia parata tranſmitto quæ tamen tuo iudicio adminiſtrari, & exhiberi volo, verum vt ante omnia hoc vernali tempore corpus expurgetur, & ſanguis in mediocri copia emittatur. Inter cætera electuarium quoddam ex ſuccis herbarum inſpiſſatis, additis pulueribus & ſpeciebus accommodatis ordinaui, de quo præſeruationis gratia, quotidie, aut ſaltem alternis diebus ſumere poteſt aliquid, mane ad drachmæ, aut ſeſquidrachmæ pondus, veſperi cubitum iturus paulo minus. Senſi illud valde efficax in huiuſmodi capitis & neruorum affectionibus. Confectio in rotulis conſtat ex oleo carui, aniſi, fœniculi, nucis Muſchatæ, maceris, cum extracto galangæ & xyloaloes admodum delicata, quæ eidem intentioni ſeruit. Poſtea eſt Tragæa quædam poſt cibum ſumend ad prohibitionemm euaporationis ad caput, ſicut te etiam in vſu habere memini. A qua illa articulari, quæ Glidtwaſſer inſignita eſt, manus & pedes tremulos perfricare poteſt. Eſt autem ea ipſa aqua, quam illuſtriſſimi Electoris Augusti coniunx vſurpare conſueuit, & cuius deſcriptionem à Mag. Domino Fylenbeccio accepi. Niſi illam ante habes, haud inuitus tecum communem faciam. Paſſulæ laxatiuæ ad ſubducendam blande aluum faciunt ita vt duo circiter cochlearia ſemihora ante prãdium ſumantur. Si cupis horum omnium formulas, ad te lubenter miſſurus ſum. In præſentia habes theriacæ noſtræ, quam Germanorum vocare ſoleo, aliquid, & ſimul, ſi quidem ita vis, deſcriptionem illius. Quam ea lege & conditione accipies, vt pro te ſerues, & tuum mihi de illa iudicium ſignifices. Iam plures libras de illa pharmacopæus vendidit. Plebeii fere nihil aliud in ea, quam colorem minus atrum accuſant. Sed hic etiam illi conciliari non difficulter poteſt, ſiue chalcitide, ſiue alio quodam artificante admixto. Tuam vt mihi ſententiam liberrime indices rogo & obteſtor. Paulo poſt nouam, vt loquuntur, diſpenſabit pharmacopæus, vbi etiam ex tuo iudicio, quædam adiicere, aut detrahere potero. Vnguentum iſtud apoplecticum, quæſo an cum veſtro, quod iſthic parari ſolet, conueniat vide. Iuſſi hic parari ad veſtræ commodationem. An in omnibus aſſecutus ſim neſcio. In baſi, quæ eſt oleum nucis muſchatæ expreſſum, me non aberraſſe exiſtimo. Reliqua pro arbitrio adiici poſſunt. De cæteris alias. Bene & feliciter vale cum tuis omnibus. Pragæ Bohemorum. 8. Aprilis, Anno ſalutiferi partus 1586.

Præſeruatio ſpaſmi.

Ele. ſuccis herbarum.

Rotula.

Paſſulæ laxatiuæ.

Vnguentum Apoſtolicum

Deſcriptio Theriacæ Germanorum.

℞. Rad. angelicæ.
Gentianæ.
Zedoariæ.
Tormentillæ.
Diptami Cretici.
Pimpinellæ.
Valerianæ.
Oſtrucii.
Morſus Diaboli.
Ariſtolochiæ rotundæ.
Rad. Aſari.
Serpentariæ.
Leuiſtici.
Cardopatiæ
Peraſitid.
Pentaphyll. an. ℥ iij.
Herb. ſcordii.

Chamædrios.
Betonicæ.
Rutæ.
Card.benedict.
Galangæ.
Ceotaurii an.℥ß.
Fl.calendulæ.
Lauendulæ.
Anthos.
Sem.citri.
Acetoſ.
Napi.
Ammi.
Baccar.lauri.a.ʒ iij.
Boli armen.præpar.
Terræ ſigillatæ.
Cornu cerui vſti præpar.an.℥j.
Croci.
Maceris.
Macropipe.
Maſtich.
Thuris.
Santal.omnium an.ʒ ij.ß.
Myrrhæ elect.
Fl.ſulphuris.
Camphoræ an.ʒ vj.
Opii thebaici ℈ iiij.
Caſtorei.
Euphorbii a.ʒj.
Rhapootic.veri ℥j.
Cinnam.el.
Cortic.citri.
Arantiorum an.℥ß.
Nucum iuglandium excortic.
Ficuum per cribrum tranſmiſſ. an. ℥ iij.
Succi card.bened.
Veronicæ.
Verbenæ.
Scabioſæ.
Scordii.
Rutæ.
Saluiæ.
Acetoſ.
Borrag.
Meliſſæ an.℥ ij.
Olei vitrioli ʒj.
Specier.Diamargarit.frigid.
Calid.
De gemmis frig.
Calidis a ʒ j.ß.
Cordial.temperator.ʒ ij.
Diambræ.
Diamuſci dulcis.an.ʒj.
Theriac.Aodromachi ℥ iiij.
Mithrid.el.
Elect.de ouo an.℥ ij.
Diaſcordii ℥ j.ß.
Extracti Angelicæ ℥ ß.
Salis abſinth.ʒ ij.
Vini odorati ℔.ij ß.
Mellis opt.deſpumati ℔. x.ij.

Exquiſite commiſceantur omnia ad formam opiatæ.

EPIST. CCXXIX.

IDEM EIDEM.

QVONIAM proximis ſuperioribus diebus communis noſter amicus Dominus Daniel Preuſſius, in ſuis ad me cooqueſtus eſt, coniugem ſuam grauiſſime à febre quartana iſthic exerceri, & ea in re conſilium & auxilium meum implorauit, non potui aut debui aliter facere, quin in ipſius gratiam meam qualemcumque ſententiam tibi, qui valetudini illius præfectus es, aperirem, non equidem tuæ doctrinæ, peritiæ, prudentiæ? aut fidei, vel tantillum diffidens, ſed duntaxat, vt meum illi gratificandi ſtudium quoquo modo teſtatum facerem.

Quartana cura.

Quam autem morbus hic diligentem & operoſam curam, vtpote ſua natura perlongus, & cuius breuiſſimus terminus trium menſium ſpacio circumſcribitur, requirat, quo præſertim magis verſus hyemem vergit, ipſe noſti melius. Forte etiam adhuc primum tempus, ſiue principium, nondum ſuperauit, id quod ex coctionis rudimento, ſi quod apparet, cognoſcere licet. Venæ ſectionem, etſi in ipſa ægra multum pituitoſi humoris abundet, non plane negligendam putarim, idque è ſiniſtro brachio: nec deſunt Practici, qui ſatius putant nonnihil procedente morbo, quam ſtatim ab initio illam adminiſtrare.

De humorum præparatione & attenuatione paulatim procuranda, non opus eſt, me quicquam memorem monere. Dominus Crato noſter inter cætera valde decoctum radicum Eringii in tali caſu approbabat, ſicuti vbi humor melancholicus ex aduſtione eſt, raparum decoctum. Euacuationes ſæpe repetendas, & poſteriore quietis die, cum materia iam per ſe moueri incipit, magis exhibendas, ipſe noſti. Si horror aut frigus magnum eſt, theriacæ vſum, ſuo tempore datam, plurimum laudarim.

Digerentia.

Verum cum vulgaria hæc, veluti artifex, per te memoria teneas, vnum ſolummodo ſubiicere libet, quod ab amico ceu ſecretum quid accepi, & in multis caſibus non inutile deprehendi: ſumatur cor leporis, & eo modo, quo pulmo vulpis ſolet, præparetur, poſtea in puluerem redactum, atque in tres æquales portiones diuiſum,

Secretum cor leporinum.

rib

tribus vicibus exhibeatur, hora vna, aut circiter, ante inuaſionem, vino albo, aut alio conuenienti liquore diſſolutum. Vidi ego ſemel atque iterum poſt huius amuleti aſſumptionem, febrem deinceps non magis apparuiſſe, aut ſaltem paulatim euanuiſſe. Verum hoc non ſtatim ab initio morbi, ſed vbi iam manifeſta coctionis ſigna apparent, faciendum eſt. Volui hoc ipſum, quod hactenus in ſecretis habui, tecum communefacere, vt vterque pro viribus amico noſtro, qui in valetudine coniugis plurimum afficitur, ſuccurramus. Deus faxit, vt media iſta non ſine fructu abeant, & ægra quam primum melius habere incipiat. Vale, Pragæ Boiemorum, 9. Nouemb. Anno 1586.

EPIST. CCXXX.

Idem Eidem.

TVAM inſcribendo raritatem & Infrequentiam ſi accuſare velim: ipſe me multo accuſem iuſtius, quando nec prouectioris adhuc ætatis onere premor, neque etiam forte tam multis, vt tu occupationibus diſtractus ſum. Fit tamen neſcio quomodo, vt inuitus admodum ad hoc literarium officii genus accedam, atque vbi ſemel calamum in manus ſumpſi, pene vt de muſicis ſuis Horatius ait, non minus ægre deſinere queam. Debeo ſane adhuc tuis ſatis prolixis, quæ menſe, ni fallor, Iulio exaratæ ſunt, ſi quæ tamen in illis capita reſponſionem accelerari poſtulabant, de iis per fratrem dudum tecum egi, cuius valetudinem nunc meliore paulo loco eſſe, quam ante, ex te & illo intellexi lubentiſſime. *Exercitium.* Si pluſculum interdum corpus exerceret, e que cauea ſua in publicum prodiret, multo minus hauddubie excrementiciorum humorum, quæ materia catarrhi ſunt proxima, colligeret. Hoc autem dum non fit, natura ſponte ſua illos per patentes vias, quas emunctoria noſtri indigetant, expellere nititur. Pillulis ſiue de aloe roſata ſiue alephanginis, ſiue etiam vtriſque ſimul mixtis frequenter ſemihora ante cœnam vti velim. Hac namque ratione crudorum humorum in primis viis copia paulatim excluderetur, catarrhique cauſa potiſſima abſcinderetur. Eadem intentione Tragæam quoque ſtomachalem ſuaſi, tum ſcilicet, vt concoctio clauſo ventriculo, & exacte conniuente perficeretur melius, tum etiam vt ſuperflua humiditas huius ope quaſi abſorberetur: quæ præterea vſui eſſe videntur, tibi vt nico & medio optimo fidiſſimo e diiudicanda, præſcribendaque relinquo. Soror vſum garyophyllati ſibi plurimum profuiſſe aperte nuper ſcriptis ad me literis teſtata eſt. *Aluus dura.* De aluo dura & officium ſuum ſponte non faciente, iterum conqueſta eſt, vnde capitis dolor periodicus poſtea ſubſequi ſolet. Habet hoc vitium, tum ab ipſa matre, quaſi hereditario quodam iure, quæ ſemper fere hoc affectu laborabat, tum etiam à praua conſuetudine, quod naturæ ſtimulanti non paret, ſed potius illam cohibet, quo ad negotiola quædam quæ in manibus habet, expedierit. Ego ne hoc faceret diligenter monui, & ſimul εὐπέψια, & vulgaria quædam propoſui vtpote paſſulas laxatiuas, cum foliis ſenæ, & ſyr. roſat. ſolut. præparatas. Senæ etiam decoctum, quod apud nos vſitatiſſimum eſt cum prunis. Item iuſcula nonnulla cum maluis, mercuriali, quæ ante prandium abſorberet. Denique quando illam ea delectari ſcio, cereuiſia noſtra calefacta cum copioſo butyro. Hæc cibis præmiſſa aluum lenire, mollire & in genere τῶν ὑπαχωρητικῶν eſſe præclare noſti.

Ad deglutienda catapotia ex aloe vix adduci poterit, quæ tamen ſi menſes quoque non reſponderent, magna cum vtilitate præſcribereutur, ratione abſterſionis & ventriculi & vteri. Verum cum te illam frequenter inuiſere ſolere intelligam, plus verborum de his, quæ tibi ipſi magis nota ſunt & explorata, facere ſuperuacaneum arbitror. Filiolum eius quis nuper morbus abſtulerit, & funere merſerit acerbo, hactenus aſſequi non licuit.

Suffocat. Catarrhi cura. Catarrho tamen ſuffocante extinctum ſuſpicor. Solet hoc affectu correptos multos, qui in extremo diſcrimine poſiti ſunt & quaſi ſemianimes liberare, & in vitam reuocare Dominus Stromerus noſter, exhibitione Diaturbith ſui mineralis, à gr. ij. vſque ad v. vel vj. Hoc enim facto mox natura irritata ingentem copiam pituitoſi & lenti humoris, tum per vomitum, tum per deiectionem exturbat, & maiori oneris parte leuata ad ſe redit.

Fortaſſe idem etiam Galenicis noſtris medicamentis, puta, diagrydio, aut ſimilibus, in debita copia aſſumptis, conſequeremur, niſi plus iuſto timidi nonnunquam eſſemus, aut illam Coi noſtri ſenis ſententiam nobis in mentem reuocaremus. Extremis morbis extrema exquiſite remedia optima eſſe. Verum alio, quam inſtitueram delabor. *Sarſafras in Arthritide.* Liguo ſaſſafras, quod nonnulli feniculatum, odoris ratione indigetant, iam aliquoties vſus ſum in articulari, & aliis morbis, non ſane infelici cum profectu. Vſurparetur illud multo crebrius, niſi

Mercatorum obſtaret auaritia, qui precium nimis augent. Venditur enim hic libra vna pro 10. florentis, cum Antuerpiæ pro duobus coronatis ſummum venundari audiam.

Cotoneum lignum.

Cotoneum lignum, de quo libellum editum legiſti, illud ipſum eſt, quod vulgo ita appellatur, & de cuius pomis Diacitoniatum parari conſueuit. Conſtat hoc non tantum ex deſcriptione manifeſtiſſime, ſed etiam ipſe autor D. Cyriacus Lucius, Ingolſtadii mihi dixit, priuſquam libellus publicaretur. Radix charbe, vel chabre qualis ſit, plane ignoro: nec de ea vel fama nuncia, quicquam inaudiiſſe memini. Non adeo libenter à certis ad incerta deſcendo. Νήπιος (γὰρ ἦς) τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει Facerem ſane finem ſcribendi, quando tuis αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον reſpondi, niſi Dn. Reuſſius, Reipublicæ veſtræ ſcriba apud me vehementer inſtaret, vt ſuam quoque cauſam apud te agerem. Habet is, vt noſti, Coniugem non ſatis commode valentem, cuius curæ te & D. Abrahamum hactenus præfectum fuiſſe audio. His ego magiſtris & artificibus cur obſecro, velut anſer inter olores, obſtreperem? Quoniam tamen omnino cupit Dn. Reuſſius, vt meum quoque conſilium exponam, & in medium adferam, aliquid ſaltem dicam ne nihil dixiſſe videar.

Tuſſis diuturna cum ſputo ſanguinis.

Symptoma, de quo præcipue conqueritur, tuſſis eſt, matutino illam tempore maxime affligens. Hæc cum tam diu duret, à catarrho haud dubie dependet: ab initio quidem acri, ſalſo, tenui & ſeroſo, (vnde etiam ſputum ſanguinis conſecutum) nunc vero miſto magis, ex tenui ſcilicet & craſſo humore conſtante, ſicut fieri in inæquali intemperie ſolet, cuiuſmodi in hoc corpore eſſe apparet. In victus ſane ratione accurata, vt in omnibus aliis morbis chronicis, ita etiam hic magnam ſpem collocauerim, quam vos ex Methodi legibus inſtituiſſe nequaquam dubito. De potu potiſſimum cogitandum, quo ægri magis, quam cibo refici & recreari conſueuerunt. Placeret mihi vinum album, tenue, pauciferum, quod & ventriculo acceptum eſt, neque ad caput multum exhalat. Interdum etiam aqua mulſa, cui folia ſaluiæ, tuſſilaginis, capillorum veneris, aut ſimilium herbarum incocta eſſent, ſub veſperam præ... cum, aut horam ſomni vti poſſet. An ſarſæ decoctum illi præſcriptum ſit neſcio. De venæ ſectione, num ea & quomodo conueniat, præſentem medicum iudicare oportet. Quantum ad medicamenta, ſunt ea in triplici ordine in hoc morbo: Euacuantia nempe, diuertentia, & corroborantia.

Euacuantia.

Euacuantia vel communes materies in corpore peccantes educunt, idq; per ſeceſſum, vel eas, quę in pectore continentur, per ſputū & exſcreationem. Horum materias cum vos ipſi me noritis melius, indicare ſuperuacaneum eſſe exiſtimo. Illud tamen ſaltem monere libet, non videri mihi abs re, ſi interdum (pręmiſſis iam, quod dubio procul à vobis factum eſt, vniuerſalibus) ſub noctem aſſumeret pillularum aſſaiaręth ℈r. circiter, quandoquidem & purgant ſimul blandiſſime, & præterea etiam impetum humorum in pectus ruentium prohibent, propter adiunctos mirobolanos.

Diuertiria.

Diuerſio matutinis frictionibus cum pannis calidis factis, obitur. Item cucurbitulis ſcarificatis, & non ſcarificatis, in ſpatulis, & ſupra nates appoſitis. Si etiam vehementiora præſidia requiruntur, veſicatoriis, & cauteriis, quorum tamen neceſſitatem adeſſe nondum arbitror.

Roborantia.

Roborantia tum ventriculum, tum caput, tum etiam pectus reſpiciunt. Huc refero confectionem aliquam magiſtralem, his membris dicatam. Item Tragæam ſtomachalem poſt cibum ſumptum, prohibentem euaporationes in caput, præterea lotionem capitis ex idonearum herbarum decocto, in quo ʒ ij. aut iij. agarici macerauerint, factam, quam etiam aſperſio cum aqua frigida ſub extremum conſequatur. Laudo quoque pulueres pro bregmate ex roſis, ſantalis, veronicæ, garyophyllis, thure, maſtich, cum pulueribus betonicæ, maioranæ, florum ſtœchados, anthos, & ſimilibus. Vnde etiam caputia confici queūt, quæ certis odoribus, & ſuffumigiis imbuta tum recreant caput, tum modice exſiccant, tum etiam ſuperfluos humores abſorbent, eorumque incitatum defluxum prohibent. Mane rectiſſime exhiberetur ſaccharum roſatum, cum pauculo boli, aut etiam floribus ſulphuris permiſtum. Repurgato pectore, & abſterſione humorum facta, conueniret aqua myrtillorum, quam aliqui in tali caſu pro corroboratione pectoris mirifice commendant. Sed ſat dictum ſapienti & cur ego noctuas Athenas? Non certe, vt aliquid vobis, Præſtantiſſimi artifices præſcriberem, hæc recitaui, ſed ſolummodo ne eius voluntati refragari viderer, qui hoc tam impenſe à me rogauit. Ideoque etiam Domino Reuſſio, me ipſius ad te non fuiſſe immemorem, liquido confirmare potes. Iſta autem omnia, quæ currente calamo in mentem venerunt, veſtro exquiſito iudicio permitto, quod de re præſenti longe melius, quam à me abſente factum eſt, ſtatuere poterit. Domino Doctori Abrahan-

hamo Seilero officioſiſſimam ſalutem adſcribo, cui etiam memoriam amicitiæ noſtræ commendo. De cæteris quæ tum publice, tum priuatim aguntur, ex harum vt ſic loquar, oblatore, πάντα intelliges περὶ πάντων. Bene & feliciter vale cum vxore tua lectiſſima, & chariſſimis liberis, totaque adeo familia, quam meo nomine amice ſalutare non intermittes. Viennæ Auſtriorum, 9. ſecundum veteres, aut 19. Octob. ſecundum nouos faſtos, qui & ipſi nuper ex mandato S. C. M. ad valuas templorum hic affixi ſunt.

EPIST. CCXXXI.

IOHANNI ACHOLZIO MEDICO *Viennenſi, Petrus Monauius* *S. D.*

ET libenter & merito tibi inſeruio, quandocunque occaſio datur, quando tu quoque multis in rebus tuam erga me ſingularem beneuolentiam declaraſti perſæpe. Quod igitur caſum abs te propoſitam attinet, etſi ad quod ille morbi genus referendus ſit, non ſatis aſſequar, quæ tamen a me hac in parte petere videris, communicabo non inuitus. Recordor autem me aliquando tibi narraſſe hiſtoriam de Barone quodam Boiemo, cuius filius accepto philtro, totus contabuerit, tandemque mortuus ſit. Cadauere vero ſecto, inuentum eſt in ſtomacho eius quiddam durum cornu aſſimile, vnde pater in filii memoriam cochlear fieri curauit, quo longe poſt tempore vſus eſt. Tandem illud caſu quodam in ſucco Naſturtii aquatici diſſolutum fuit. Inde experientia comprobatum, naſturtium iſtud magnam vim contra philtra habere. Eopem præſidii genere alius quidam Nobilis a Seiterwiz vſus eſt, atque ex ſimili morbo reſtitutus. De Antidoto Moibani, quæ cum Saxonica fere per omnia conuenit, potes legere quæ Iacobus Aubertus Vindo refert in libro cuius titulus eſt, Progymnaſmata in Iohannis Fernelii Medici libro de abditis rerum naturalium & medicamentorũ cauſis. Præſertim autem caput 12. aſpicies, vbi præter Moibani antidotũ, etiam plurimum vſum Cynogloſſi, non vulgaris illius, ſed à Dioſcoride deſcripti, commendat. Extat autem eiuſdem antidoti deſcriptio etiam in Euporiſtis Dioſcoridis ab eodem D. Moibano olim editis lib. 2. cap. 144. ſi placet, ſimul conferas quę de talium morborum curatione tradit doctiſſimus Medicus Ioannes Langus in ſuis medicinalibus Epiſtolis, tomo ſecundo Epiſt. 34. & 35. Quemcunque autem euentum tua curatio habitura eſt, vt ad me ſcribere non graueris, oro. Ego quidẽ hac in parte in eadẽ cum opt. D. Adamo Lehnero, p. m. ſum ſententia, qui aliquando ad me dicebat; Omnia philtra, etſi inter ſe varie differant, hoc tamen commune habere, quod humorem efficiant Melancholicum. Quæ igitur medicamenta humorem illum clementer euacuant, & ſpiritus triſtes recreant; Hauddubie in tali affectu proderunt plurimum; Elleborum certe nigrum nõ temere ab antiquis tantopere laudatum eſſe, ſi quis illo recte præparato vtatur, res ipſa demonſtrat. Et quidem huius rei non ita pridem experientiam feci, cum ægrum quendam haberem, qui à morbo ſtolidus omnino & fatuus euaſerat. Illi cum cæteris nihil efficerem, ad extremum decoctum Hellebori nigri, adiunctis herbis cordialibus, & aliis quæ humorem melancholicum demulcent, propinaui ſatis felici cum ſucceſſu. Vix enim tribus, aut quatuor vicibus inde biberat, cum diſcuſſis imaginationib. illis, quibus antea infatuabatur, ad ſeſe rediret, & integra mente frui cæpit. De aliis te, vt artificem, monere nõ debeo, maxime quod hiſtoriam morbi, quo æger tuus laborat, non ſatis cognitam habeo. Neque enim an à philtro, aut faſcino aliunde exhibito, an vero à venenoſo quodam humore intra corpus genito, aut à mentis perturbatione exiſtat noui. Tractantur à practicis, quæ ad hanc materiam ſpectant, multa ſub titulo, de amore hereos. Ita enim inepte & barbare efferunt, quod Græci ἐρωτικὴν μανίαν aut etiam ἔρωτα ſimpliciter appellant. Scripſerunt & alii de amantibus curandis, aut animi affectionibus, quæ corporis morbos inducũt, tollendis, quæ fortaſſe tibi quam mihi notiora ſunt. Vale, Pragæ Boiemorum 28. Nouembris Anno 1584.

Tabes & mors à philtro dato.

Naſturtium aquaticum contra philtra præſtans.

Antidotus Moibani.

Iohannes Langus de philtris.

Philtra Melancholicos efficere.

Elleborus niger.

Decoctum Hellebori nigri.

Vide Philoxinum.

EPIST. CCXXXII.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c. *Petrus Monauius,* *S. D.*

CLARISSIME domine Doctor, reſpondeo tibi per eundem, qui mihi hodie mane tuas ſub prandii tempus exhibuit, ſed & alias ante paucos dies ad te miſi, vſus opera affinis tui, qui hic conditionem quærebat, eas autem ipſas te interc[illegible]piſſe confido. De methodo noſtri Bucephali libenter iudicium tuum cognoſcam, poſtquam eam, vt te promiſiſſe meminiſti, euolueris. Nolim me amplius quid de illa prædicaſſe quam tu reapſe experiare. Recte profecto pronuncias, fallax eſſe

omne experimentum; rationem autem ducem certiorem. Plerunq; enim, qui hac relicta, vndique illa captant, & corradunt, tandem ſpe ſua fruſtrantur, etiamſi aliquandiu illis ſatis feliciter vſi videantur. Quod ſi enim caſus aliquis incidat minus frequens, perturbatiorue, cuius ſimilis ante illis non facile occurrerit, ibi vere boni iſti experimentatores magis muti ſunt quam piſcis, & quo ſe vertant plane neſciunt. At neque in talibus ars deſerit, qui eius præſcriptum ſequuntur, ſed ex ſymptomatib. cauſas inueſtigare iubet, ex quibus omnis recta dein & legitima petitur curatio. Quantum igitur Catholicũ illud, quod in myſteriis habes, at tinet, nolo tibi in poſterũ eius poſtulatione moleſtus eſſe. Siue.n. mittas ſiue non mittas ſusq; deque feram, etſi quidem ſcire cupiã, an idẽ eſſet cum eo, quod mecum quoq; ſecreto cõmunicauit Theodorus ille noſter. Gratulor vero tibi ex animo, quod ſcribis, te conditionem nõ incommodam nactum: ac ſimul Deum precor, vt conatibus tuis ita benedicat, vt multis ſint ſalutares & vtiles. quod idem de ſe quoq; tibi nunciari voluit D. Ioannes Hermannus, vir optimus & integerrimus, cuius hactenus cõuictu vſus ſum. Mea priſtino ſunt loco, planeq; confido paulo poſt meliora fore. Sed ſatis de his in præſentia. Te b. & f. valere exopto. Vratisl. Elyſiorum 17 April. Anno 1579.

Catholicon VVeidneri.

EPIST. CCXXXIII.

IDEM EIDEM.

CLARISSIME domine Doctor, amice plurimum colende, malim te res quam verba ad purgandum, excuſandumue parare. Quod ſi enim in poſterum aſſiduitate ſcribendi compenſabis id, quod hactenus neglectum eſt, facile veniam tarditatis huius apud me impetrabis: ſin minus, valde verendum eſt, ne hæc ita, quam nunc tacite in medullis foueo, in neruum erumpat denique. Hanc igitur vt caute deuites, tute videris. Methodum tibi placuiſſe lætor, planeque gaudeo meas cogitationes cum tuis hac quoque in parte congruere. Puto te initio propter phraſin ſemibarbaram, ac alicubi etiam nonnihil ſolœcizantem offenſum, ſed rei, quam tractat, bonitas facile hanc moleſtiam remouit. Interim tamen tu magno me commodo priuaſti, quo tanto tempore à lectione & inſpectione huius libri me abſtinere coegiſti. Hãc igitur mulctã vbi abs te exigam, oportunitas erit. Pro ratione conficiendi olei gratias ago, captabo illius experiundi occaſionem ſolicite. Etiam Zvvingerus cum Baſilea diſcederem mihi de eo nonnihil communicabat, verum alio impenſum eſt vniuerſum, vt nondum ſcire potuerim, quem effectum habuerit adminiſtratum in cæcis, vt appellant, hæmorrhoidibus. Hippocratem Theodori illius noſtri te vidiſſe opinor. Donauit me ipſe autor exemplo, quod diligenter euoluere cœpi. Scribebam tamen nuper ad ipſum, non tam ſedatam, quam irritatam duntaxat eſſe famem meam editione huius operis cum adhuc reſtant, ſimili induſtria & felicitate publicanda impenſe deſiderem. Fac quæſo intelligam, quid tu de ea re iudices. Pro myſterio tuo μυστικῶς communicato, en aliud accipe ex Zvvingeri authographo bona fide deſcriptum, ſed non ſine auctario, vt Heſiodeum præceptum ſequar. Ita autem habet illius Catholicon: ℞. ſalſæ parrigliæ ℥ ij. cortic. Guaiaci mundatorum ℥ j. Rad. chinæ ℥ j. Infunde per noctem in ſ. q. aquæ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; in iure alectorio, ſi debilitas adſit in vino albo, ſi gallicus inueteratus, decoq. ad dimidias, tertiasue ſ. a. Refrigerari permittito. Sumito decocti ℥ v. in iis infunde per noctem Euxiſeos Ruffi ʒ ß. fol. ſenæ ℥ ß. vel circiter. Eccriſeos ſcammon gr. ß. Mane coletur per linteum. Adde colaturæ ſyrupi roſati ſolutiui ℥ ß. Diaſereos ℥ ß. Aq. meliſſæ, vel cinnamomi, vel iuniperi ℥ ß. vel circiter, iuæ ℥ ß. f. potus. Innoxie purgat in omni genere morborum, nec vel per dies quadraginta aut plures defatigat, nec aluũ adſtrictiorem reddit. Catarrhis vnice conuenit, arthritidis item προφυλάξει. Gallico itidem mane purgans, veſperi ſimplex decoctum, quod ſyrupo roſato ſimplici, vel quouis alio ad rem faciẽtem diluatur. Pharmacum τῷ ὄντι ἀπογραμμικὸν, quod non niſi manu Medici parari debet, & pauperum vſui inprimis conſecrari. Sequitur aliud ἐκ τοῦ πειασμάτος, Pyrapitum: ℞. Albi nihil paſſi pugillos ij. rubri pugillum j. nigri vnctuoſi q. ſ. Miſ. ſimul omnia. Globulos formato. Eos orbiculatim perforato corio ſuperligato, locis opportunis innoxie adhibeto. Hactenus ὁ Α'ναγκαστής. Vbi igitur quid tuum ſecreti habeat diſerto ſermone expoſueris, idem viciſſim de his à me expectabis. Ego interim rerum ignarus, imagine gaudebo, vt ille de ſuo heroe ait. Caue autem literam ſequare, donec illius expoſitionem cabaliſticam cognoueris. Litera enim occidit: Senſus autem valetudinem deploratam reſtituit. Scammoneæ præparationem Platherianam paulo pluribus verbis expoſitam, proximis ſuperioribus diebus inter chartas meas reperi. Gratum tamen accidit, quod tua quoque ſententia approbata eſt. Scio illam magni feciſſe Platherum, ac

Catholicon purgans Zvvingeri.

Einſdem κρυστικόν.

Scammoneæ præparatio.

ſæpiſ-

ſæpiſſime etiam vſum, vt referebat, felici cum ſucceſſu. Nunc ad difficultatem tam diluendam, quam propoſuiſti, accedo. Fateor mihi quoq; primum legenti eam ſcrupulum mouiſſe, ſed tamen poſtea viſus ſum illius ſententiam aſſecutus, cuius quidem ſummam tali tabella incluſi:

Triplex partis ſimilaris ſecundum Fernelium ſubſtantia.

In parte ſimilari triplex continetur ſubſtantia; nempe.
- Solida A.
- Humida, eaque aut
  - Aquea & Elementaris B
  - Oleaginoſa & ſeminalis. C.
  - Carnoſa, & ſanguinea, quæ rurſum eſt, vel
    - Muſculoſa, carnoſa dicta in ſpecie 1.
    - Parenchymatica 2.
    - Mẽbranoſa ſeu neruea 3. D.
- Spirituoſa. E.

Hæc tabella ad vtrumque Fernelii locum cum in phyſiologia, tum in pathologia recte intelligendum facit, niſi quod in altero generalius & ex profeſſo de hoc negotio agit, in altero ſpecialius & magis reſtricte, prout nimirum tractationis materia & methodus vtrobique tulit. A. Subſtantiam ſolidam, eam vocat, quæ reliquis fulcri & baſis loco ſubſternitur, partisque delineationem, & vt ita dicam σκιαγραφίαν totam complectitur & abſoluit. Conſtat autem ex ſeminis parte craſſiore, magisque terreſtri, ita tamen vt in aliis magis ſolida reperiatur, veluti in oſſibus, cartilaginibus, ligamentis, in aliis minus compacta & denſa, quemadmodum in neruis, venis, arteriis, muſculis & ſimilibus. In hac ſolida ſubſtantia immediate ſedem ſuam obtinẽt tum aquea humiditas (B,) quæ penitus terreis crallamenti partibus immerſa & commixta, ceu viſcum quoddam atque gluten illas inuicem copulat, & firmiter cohærere facit, tum humidum primogenium atque radicale vocatum (C,) quod nihil aliud eſſe videtur, quam ſubtilior, tenuior, adeoque aerea ſeminis pars, caloris natiui proprium domilium, & quodammodo pabulum: tum denique ſpirituoſa ſubſtantia (E,) hoc eſt tenuiſſima, ſubtiliſſima, ac pæne ætherea natura, igni ſeu flammæ potius reſpondens, quæ formæ vicem ob id non immerito gerit & præcipuarum actionum opifex eſt & adminiſtratrix. Carnoſæ ſubſtantiæ (D,) quæ ab ipſo ſanguine ortum ducit, cauitateſque & ſpacia inter villorum ductus primũ relicta explet, magna eſt varietas. Quædam enim peculiariter & in ſpecie caro (1) dicitur, qualis pulpa eſt muſculorum, quædam coagulati ſanguinis forma (2) viſcerum præcipuorum exędificationem abſoluit, vt- note iecinoris, cordis renum, pulmonũ, &c. ideo Græcis παρέγχυμα h. e. affuſio appellatur: quædam etiam (3) fibrarum ceu filorum textura & multiplici complicatione conſtat. Eiuſmodi ſunt ventriculus, vterus, veſica, inteſtina, item venæ, arteriæ, nerui &c. Fortaſſe præter hæc & alia carnis in genere ſic nuncupatæ genera conſtitui poterunt. ſi oſſa, attentius conſideremus, ſi cartilagines, ſi medullas; quæ & ipſa in ſimilarium partium cenſu veniunt. Sed Ferneliana interpretati propoſitum eſt in præſentia. Cur vero in pathologia non perſecutus ſit omnes differentias, & eodem modo, cauſa eſt ſcopi diuerſitas. Etenim ſuperius abſolute de his diſputauit, & per ſe: nũc vero eatenus duntaxat, quatenus hecticæ febris ſpeciebus declarandis ſufficiunt, ea attingere voluit. Vnde ſolidam ſubſtantiam ſubdiuidere minime neceſſe habuit, neq; etiam in tribus illis hecticę gradibus aqueę humiditatis amplius meminit: quod fieri nequeat, vt tantus calor in corpore viuente vigeat, qui aut hanc, aut illam abſumere poſſit. Dixit vero etiam ſupra 4 phyſiologiæ. 3 Humorem alimentarium ſeu ſanguinem (qui hic carnoſæ ſubſtantiæ nomine venit) & oleaginoſum ſeu primigenium viuentium, & eorum quæ aluntur eſſe proprios: Aqueum autem & elementarem omnibus prorſus miſtis competere. ad quæ in his reſpicitur. Hæc igitur ſunt, quæ pro Fernelio cum ab inconſtantia, tum a contradictione vindicando adducere placuit: In quibus an ſcopum attigerim, tuum nimirum eſt iudicare. Si quid præterea deſiderabis, vt pro viribus tibi ſatis facere queam, enixe operam dabo. Bene & feliciter vale. Vratislauiæ Eliſiorum, poſtridie eius diei, quo tuas accepi, hoc eſt, 19. Iul. vt inde diligentiam meam in reſcribendo animaduertas, ac tibi ad imitandum proponas. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Iterum vale.

Subſtantia ſolida. — *Humiditas aquea.* — *Humiditas oleaginoſa.* — *Subſtant. ſpirituoſa.* — *Carnoſa* — *Muſculorũ.* — *...nal.* — *Fibrarum.* — *Alia carnis genera.* — *In Pathologia cur non eaſdem ſequatur differentias.*

EPIST. CCXXXIIII.

IDEM EIDEM.

RESPONDIT tandem rupitq; ſilentia voce. Cur enim non verſum hunc pro mei excuſatione præmittam: verum, poſtquam nunc delictum vtriuſq; partis (quod certis quibuſdam in caſibus Iureconſulti concedunt) mutua compenſatione ſublatum eſt, id lege deinceps inter nos cautum eſto: ne reſponſum vltra menſem ſummum differatur. Qui contra faxit, ſacroſancti amicitiæ iuris reus habetor. Pœna aut mulcta, pro facti qualitate irroganda, arbitraria eſto. Ego ſane ne quid contra hanc legem in poſterum peccem, diligenter operam dabo, & occaſionibus abs te monſtratis vtar. Tu viciſſim, ſi quid ad me

penetrarent: tumori fruſtra fotus, illitus & emplaſtra adhibuerunt. quinetiam balneis, & neſcio quibus aliis pharmicis ægrum miſere ſatis diu torſerunt. A me percuratum affirmare non queo. Præterquam enim quod medicamentorum iam pertæſus, difficulter à nobis præſcripta (quæ tamen maxima ex parte diætam concernebant,) admitteret: prius etiam, quam cura morbi chronici finiri poſſet illinc diſceſſi, ab eo tempore quid factum ſit, nihil amplius cognoui. cupio illi eſſe quam optime. Vt vomitoriis rarius vtar & cautius, eædem me rationes impellunt, quas tu abducis. Olim quidem peruulgatas fuiſſe, & pæne familiares, in Græcia inprimis, & Ægypto, Medicorum libri relicti ſatis ſuperque reſtantur. qui naturæ ſponte eo non feruntur, iis vix imperare ſoleo. Fortaſſe quæ aluum blande ſubducunt, & abſterſionis vim habent, tantundem præſtant. Talis eſt aloe noſtra, ſpecies hieræ, & alia huiuſmodi. Dñi. Crato in frequenti vſu habet agaricum recenter trochiſcatum, & cum oxymelite ſubactum ad ℥j. vel ℈iiij. plerumque vomitus ſponte ſubſequitur, quem inhibendum & reprimendum non eſſe monet. ſin minus: ne ſic tamen ſpe noſtra omnino fruſtramur. De ſucco abſinthii quæ affers, in iis ne quid diſſimulem, tibi non aſſentior, quin potius ideo ventriculo minus gratum quam folia, comas aut ſemen eſſe arbitror: quod vi abſterſoria & aſtringente, quæ in terreis partibus potiſſimum reſidet, fere deſtituatur. Vnde non poſſum non Rondeletium demirari, qui te aſſerente (non enim ipſe legi) maiorem etiam adſtrictionem ſucco, quam reliquis partibus tribuat, quis enim hoc illi credat obſecro? Rei certè natura contradicit, ſecundum cuius ordinem ſemper ſuccus plus aquoſitatis participat, ſicut partes ſolidæ & ſiccæ, vtpote folia, radices, ſemina plus (liceat in præſentia ſic loqui) terreſtreitatis. ab hac autem, & non ab illa omnium Medicorum conſenſu, ſtipticitas & aſtrictio dependet. Sed etiamſi Galeno quoque demus ſuccum longe calidiorem eſſe ipſa herba, nunquid propterea ventriculo plus aduerſabitur? Non opinor. quamobrem quæ tuæ argumentationis hac in parte vis ſit, plane non aſſequor. In curatione hæmoptoici, quam recenſes, nihil erroris quod admiſſum ſit, animaduerto. Si tanta copia ſanguinis ſimul effluxit, venam aliquam grandiorem per anaſtomoſin apertam quam ruptam, aut exeſam veriſimilius eſt. Conſtantibus viribus, & corpore plethorico exiſtente, venæ ſectionem potentis reuulſionis gratia non improbo. Sed cur potioni ſiſtenti

Vomitoriis vſus rarior.

Abſterſoria & lenitiua.

Vomitorium Cratonis.

In ſucco abſinthii reprobat Rondeletium.

Succus herba ſemper aquoſior.

Pa . . . . . . hæmopto

champhoram addis? An non hæc ratione tenuitatis partium magis motum adiuuat, quam inhibet? Niſi abs te edoceat, cauſam huius rei indigare non queo. Emplaſtica in huiuſmodi caſibus valde prodeſſe ſentio: qualia ſunt bolus, terra lemnia, coralli & alia huius farinæ. Puluerem Iulii Cæſaris Scaligeri, quem Valetius in exercitationibus Hollerianis adeò commendat, tibi notum eſſe opinor. Cerotum quoque ſantalinum regioni iecoris applicatum magnam vtilitatem adfert. Sed cur magiſtri partes mihi ſumo? Ad quæſtionem: Num potus à vino vel cereuiſia inchoandus ſit, ex veteris verſiculi ſententia reſpondeo, Potio finalis ſit ſemper cereuiſialis. Et hunc morem ego quoque ſtudioſe ſeruare ſoleo, vt quandocunque licet prandium vel cœnam, & hanc quidem potiſſimum, cereuiſiæ potu claudam. Ratio ea eſt, vt halitus ſeu vapores minus confertim à ventriculo ad cerebrum ferantur, & illud turbent. Frigiditate enim cereuiſiæ quodammodo reprimuntur. Si tamen ſomnum quis conciliare malit, ei vt vinum & quidem paulo liberalius vltimo loco bibat, plane ſuaſerim. Ita vides, cum ad ſingularia ſeu τὰ ἐν μέρει detienitur, nihil eſſe in arte noſtro perpetuæ veritatis. Ad extremum illud abs te rogauerim, vt de progreſſu morbi epidemii nuper graſſantis, quem apud vos tenuit, me certiorem facias, & ſi quid aliud peculiare in illius curatione obſeruaſti. Item: nunquid vere contagioſum fuiſſe putes, & vnde originem traxerit? Quid febris catarrho illi adiuncta, an ephemera fuit, an ſynochus imputris, an vero de continuatum genere aliqua? venæ ſectio & expurgatio num veſtris hominib. vtiles fuere? Habeo non pauca, quæ hoc loco referre poſſem, ſed tua audire prius malo. in diaphoreticis ſumma curationis haud dubie repoſita fuit. Dominus Crato puluere cornu cerui, bolo armena, terra ſigillata cum aqua cardui, vel acetoſæ, & granis aliquot camphoræ præcipue vſus fuit. Alii electuarium quoddam, Diaſulphuris vocatum, vehementer profuiſſe teſtati ſunt: cuius deſcriptionem, artificioſam ſane & minime vulgarem, alias tecum communicaturus ſum. Nunc bene & feliciter vale, & quamprimum tibi commodum viſum fuerit, reſcribe. Pragæ Boiem. 28. Octob. An. 1580.

Camphora reiicitur.

Emplaſtica probantur.

Puluis Scaligeri.

Cereuiſia potio finalis.

De catarrho epidemio an. 1580.

Pul. Cratonis.

EPIST. CCXXXV.

IDEM EIDEM.

VIx ſatis ex literis tuis colligere queo num meas, quas menſe adhuc O-

ctobri ad te dedi, acceperis. Frater quidem eas recte ad te curatas eſſe in proximis ſcribit. Sed facile fieri poteſt, vt impedimentum aliquod incideret, cuius gratia tardius ad te perlatæ ſunt. Pro gratulatione tua magnas ago gratias, & tibi viciſſim omnia fauſta ac felicia repreeor. Caue autem putes, me alio animo erga te futurum, quam hactenus fui ſemper. Colamus inter nos amicitias non fucatas, non aulicas: ſed philoſophicas, quæ cum firmo fundamento nitantur ſtabiles ſunt & ipſæ atque firmæ, nec cuius impetui cedunt. De morbo epidemio in ſuperioribus etiam attigi aliquid & reſponſum abs te expecto. Placet id quod ex Fernelio affers de grauedine anbeloſa, & ipſe etiam ſtatuo, finitimos hoſce morbos eſſe. Iohannis Wieri obſeruationes ad manus non habeo. D. Balthaſar Brumerus Medicus phyſicus reipublicæ Hallenſis apud Saxones, peculiarem commentatiolum nuper admodum edidit: in quo febris peſtilentialis θεραπείας potius tradit, quam huius epidemici catarrhi. Strengliana magis arrident, quamuis & ipſa ἐσχάτως aliquas patiuntur. Nemo mihi facile perſuaſerit, in malignorum καὶ τῶν λοιμωδῶν numero babendum qui tam paucos interemit, & pleriſque ſalubris fuit, imo etiam in futurum cauſas morbificas abſtulit, vt non immerito de illata ſibi ab eo iniuria Medici conqueri poſſint. D. Crato febrem illam catarrho adiunctã inter περιφρυγώδεις referebat, contra Mercurialem, qui in ſynochorum imputrium cenſu illam collocabat. Putredinem vero aliquam, ſaltem leuem, affuiſſe ex contagiones nota mihi firmiter perſuadeo. Refert ſimilem morbum Rondeletius noſter In lib. de cognoſcendis morbis, & Iulius Palmarius in præſtantiſſ. illo volumine de morbis cõtagioſis. In cura tibi plane accedo. Parum enim felici ſucceſſu potentia illa præſidia, venæ ſectio nempe, & expurgatio adhibita ſunt. Bezoartica plurimum profuerunt. Ad Capouaccium, cuius tu præclaram, vt meretur, mentionem facis, ſuperioribus diebus ſcripſi: & dubia quædam expoſui, ad quæ, vt hactenus facere ſolitus eſt, eum benigne reſponſurum confido. Velim me in eo, quod petis tibi gratificari poſſe. At profecto ipſe pleraque illius adhuc deſidero: & doleo, mihi tantum otii non ſupereſſe, vt ipſe ea deſcribere mea manu poſſim: ægre enim in talibus librarii opera vtor. Indicaui tamen in proximis occaſionem, qua hac in parte vti non incommode poſſes. Promiſit aliquando Capouaccius, ſe ſimili methodo etiam artem ὑγιεινὴν ſiue de tuenda ſanitate complexurum, id quod ab eo petere, & cunctantem vrgere non deſino; quicquid alii de huius viri laboribus iudicent, ego illos minime vulgares, ſed ex intima potius philoſopbiæ & medicinæ medulla depromptoa eſſe puto. Gratæ mihi fuerunt binæ deſcriptiones, quas epiſtolæ tuæ inſerere dignatus es. Priorem, quæ Helldeum autorem babet, in meis aduerſariis conſignatam reperi: alteram Platherianam non item. Dabo operam, mi chariſſime Weidnere, vt par pari referam, & quidem quamprimum. Diſputationem Eraſti de putredine nondum integre perlegi. Quæ tamen hactenus in illa obſeruaui, de iis coram tecum agere mallem, quam per literas. Interim hoc tantum abs te quæro: An illud etiam pomorum vitium (ita enim ſane appellem) pro putredine habeas, Wann ſie beginnen teig zu werden. Verbum Latinum, quo hanc rem proprie exprimas, abs te ſcire cupio. Niſi fallor apud Plinium alicubi exſtat. Si dices initium putredinis eſſe: tum neceſſario quamuis putredinem præceder. Sed res non ita habet. Et præterea non corruptio quædam videtur eſſe (qualis omnis putredo eſt) ſed potius maturatio ſeu perfectio. Etenim fructus ſerotini & pyra duriora hac ratione ſuauiorem ſaporem adipiſcuntur, & maturiora eſſe iudicantur. Verum de his te cogitationem vberiorem ſuſcipere malo. Cynogloſſum, cur à nobis petas miror. Credo quemnis hortum tibi ſuppeditare poſſe. loquor autem de illo quod humi ſternitur, & cum Dioſcoridis deſcriptione conuenit: non de altero quod caulem cubitalem aut altiorem etiam addit. Si tamen omnino ad eum caſum expetis, in quo Aubertus conferre aſſeuerat: Moibani interim antidotum eius loco vſurpare potes. Sed non poſſum plura in præſentia. Vbi tuas viciſſim accepero, in me ſcribendi diligentiam non deſideraturus es. Bene & feliciter vale, Pragæ Boiemorum 22. Dec. An. 80. exeunte.

Grauedo anheloſa.
Catarrhus Epidemicus.
Similis morbus.
Methodus tuendæ ſanitatis.
Vitium pomorum Germanis teig, num putredo.

EPIST. CCXXXVI.

IDEM EIDEM.

MIROR te nullas cum iſthoc γραμματοφόρῳ ad me dediſſe literas, hac ſola contentum excuſatione, quod vbinam loci nũc agerem, neſcires. Quaſi vero probabile ſit te neſcire: in iis me eſſe oportere, quæ ſunt patris mei, hoc eſt, quæ muneris & officii mei ratio expoſtulat. Siquidem enim aulæ m e Cæſareæ (quamuis indignum) Medicum eſſe noſti, qui ab illa me longius abeſſe tibi in mentem venire potuit, aut etiam debuit? Vides igitur mi

Weid-

Weidnere, quam inane ſit boc & nullins momenti κρυπτοφύγιον, quod tibi ὡς παλίν χῦμαν aſſumere, & ſilentio minime neceſſario prætexere placuit. Ideoq; non magis tibi allaborandum, vt admiſſum erratum corrigas, & quibus potes modis cõtractam negligentiæ maculam eluas, quod non alia via aſſeqnere promptius aut facilius, quam ſi id, quod nunc prætermiſſum eſt, in proximis tuis ſcriptionis prolixitate abunde compenſes. Ego quidem non illas ſolum, ſed forte etiam alias plures hoc in loco abs te expectabo: ex quo quando digreſſuri ſimus, nõdum ſatis conſtat. Negotiorum certe, quæ quotidie offerũtur & moles & varietas tam cito ſeſe expediri non patientur. Poſonio Panniorum (vbi ſeſquimenſem Integrum connentus durauit) eum Viennam rediremus, paucis poſt diebus in arthritidem, quæ omnes penè corporis artus peruagata eſt, incidi. Factus ſum enim ex iſchiadico gonagricus, inde podagricus, demum etiam chiragricus, quin & colli partes malum boc infeſtare non prætermiſit. Præcipuam morbi cauſam hæmorrhoidum: quæ ſecundum naturam ſingulis ferme menſibus mihi antea fluere ſolebant, ſuppreſſionem fuiſſe ſtatno. Ea enim ratione materia collecta, cum iuxta conſuetudinem non vacuaretur, vicinas partes occupauit. Acceſſit ſtimuli loco vinum Vngaricum forte & habituoſum: quod me liberalius inter Pannones hauſiſſe (ita enim in aulis plærumq; & viuitur & bibitur) non diffiteor. Cum me ſatis diu morbus ille, ſtultitiæ meæ pœnas perſoluens, afflixiſſet, quadrageſimo demum die (qui tunc primus Maij erat) ex Hippocratis vaticinio domo prodire cœpi. Velim hic ſcire: quod tu conſilij ad prouocandum denuo hæmorrhoidas præſcribas? Debilibus mediis, quales ſunt biera ſ. aloë non lota, frictiones ani cum aſperis pannis, & ſimilia, fruſtra hactenus ſum vſus: à fortiorib. etiam conſulto abſtineo, quod metuam ne vehementius irritatæ hæmorrhoides illæ poſtmodum ægre & magno cum periculo ſiſti queant, quando ſponte quoque ſua fluentes antea, fere ſemper modum in effundendo ſanguinem exceſſerunt, meq; ſæpe decolorem reddiderunt. Sed & illud abs te lubens quæſierim: Num morbum hunc in poſterum per interualla rediturum cenſeas, nec ne? Ego quidem ita mihi perſuaſi: Longe eſſe rationem aliam podagræ, chiragræ aut gonagræ in ſpecie ita dictarum: ab arthritide, quæ generali nomine ſic nuncupatur. Illæ enim periodos ſolẽnes ſeruare, ac per interualla ſtata & certa redire ſolent: hanc cũ quaſi critica quædam expulſio fit, & ideo omnes pęne artus tempeſtatis in morem peruolitet, vnica inuaſione ſeu paroxyſmo finiri exiſtimo, niſi ſcilicet cauſæ externæ tam potentes accedant, vt nouum morbum procreandi & ſuſcitandi poteſtatem habeant. Tibi an idem videatur, ſcire percupio. Gaudebo ſane & in mea opinione magis confirmabor; ſi tu aſſenſeris. nolim tamen te ea propter celare, quæ mihi hac in parte metuenda iudices. Vino fortaſſe omni in vniuerſum interdices, & leges viuendi præſcribes duriſſimas; quas vt in hoc vitæ genere ita ſtricte ſeruare poſſim, valde vereor. Audiam tamen nihilominus te libenter, & quantũ omnino licet conſilio & præceptis tuis obſequar. Imo tibi maiorem etiam quam mihi fidem adhibebo: quandoquidem ſibi quiſq; peſſimus vt magiſter ita etiam medicus eſt. Superioribus proximis diebus Epiſcopum quendam per Dei gratiam ſanitati reſtituimus; qui ex vehementiſſimo inſultu epileptico poſtea in coma peruigil incidit. Velim totum medicationis curſum me tibi perceſere debere. Paucis interiectis horis cum vires conſtarent, & corpus impura plethora eſſet refertiſſimum; non modo acres clyſteres iniecimus, ſed ex vena ſecta large fluere ſanguinem permiſimus; exhibito præterea vel potius in os infuſo cathartico, etiam expurgauimus. nec infeliciter conſilium illud noſtrum, etiamſi aliqui ſedulo aduerſarentur, proceſſit. nempe extremis morbis extrema quoque exquiſite remedia opponenda eſſe præclare cenſuit Hippocrates noſter. Ad Pragenſes meas reſponſum abs te exſpecto. Nihil mihi gratius eſt hoc in loco: quam cum tot præſtantibus viris amicitiam inire, qui vndiq; huc aduolant. Te quoque inter illos eſſe valde optarem. quod tamen commodo fieri non poteſt; interim æquo feramus animo. Petebas aliquãdo à me pſilothrum. Nunc hoc cape; Sume lactis caprini q. ſ. adde alumen pulueriſatũ, & inuicem miſce. poſtea ſtilla per filtrum. Cum hoc inunge loca, ex quibus pilos auferri cupis. ſudato, prius, quam iterum abluas. Tuto huius experientiam facere, & mihi de euentu poſtmodum ſignificare poteris. Bene & feliciter vale, mi chariſſime Weidnere, & mei memoriam cum beneuolentia conſerua. Auguſtæ Vindelicorum è comitiis, 17. Iulij, Anno 1582.

Arthritis Petri Monaui.

Hæmorrhoides ... prouocandæ.

Arthritidis ... diuerſa.

Epilepſia & Coma.

Pſilothrum.

EPIST. CCXXXVII.

IDEM EIDEM

ACCIPIO excuſationem prætermiſſionis literarum, quam prætendis; et-

iam ſi non omni ex parte mihi ſatisfaciat. Videris enim ſubeſſe culpæ ſi non latiſſimæ at ſaltem latæ, quam, niſi ſcriptionis frequentia, in poſterum expiare nullo pacto poteſ. Neque tamen interea te plane liberum pronuncio ab eo debito, quod tibi pro iis perſoluendum eſt, quas amiſſas eſſe ſcribis. Forte enim cum occupatior eſſes, in eas tibi diligentius inquirere non libuit. Noli putare, mea me tam vili pendere: vt ea ſic abiici velim, quod minus poſtea denuo reperiri queant. Vix credas quam magna & pæne intolerabili pœna te affecturus ſim: ſi deperditas illas meas non denuo in lucem produxeris, & priſtinam illis dignitatem reſtitueris. Sic ſoleo in eos, qui meo imperio ſubſunt. Sed tamen omiſſo quæramus ſeria ludo. Gratiam habeo, quod te de recuperata valetudine mea lætari ſignificas: cum quidem illi hominum generi, qui cum arthriticis doloribus conflictantur pæne magis inſultari ſoleat, ac ſecundum Apoſtolum afflictio afflictioni addi. Tu tamen, quod hoc facere intermittis, verum te eſſe amicum oſtendis, & συμπάσχειν iſtis profecto non plane ridiculis doloribus. Expertus affirmo, & ne tu in ſimiles incidas, opto precorque. In prouocandis hæmorrhoidibus tuo plane conſilio obſequar. Non facile mihi perſuaderi patiar, vt nimis vehemẽtibus vtar. Fere enim maius periculum eſt in ſiſtendis illis, quam prouocandis: maxime ſi ſecundum naturam, id quod mihi accidit, vberius fluant. Etſi vero nondum omnino priſtinam conſuetudinem ſeruant: repetito tamen vſu aloës ante cœnam, ſentio nonnihil ſeſe illas rurſus explicare, & ad fluendum comparare. nolo illas acerbius prouocare. Commendat Varignana plurimum oleum irinum, item radicem lilij, quocunque modo imponatur, cuius fortaſſe, cum periculum nullum adiunctum habeat, paulo poſt periculum faciam. Ad ſectiones nunquam volens accedam: cum illud quoque exemplum, quod tu commemoras, me deterreat. Quæ poſtea de repetitis arthritidis inuaſionibus attexis: ea te aulicum non eſſe atque adulari atque blandiri non poſſe, plane arguunt. Eam enim potiſſimum ob cauſam hanc diſputationem mouetam: vt me, qui vix hoc malum effugi, conſolareris, fore, vt nunquam, aut ſaltem pertaro reuerteretur. Tu vero hac controuerſia neglecta, ſcapham ſcapham dixiſti, & mihi nouam pene ſolicitudinem iniicis, vt magis quam antea mihi à moleſtiis illis metuam. Vt Cicero in epiſtola ad Luceium, etiam pluſculum quam veritas concedit de ſe dici poſtulat: ita ego quoque putabam te opinionem meam confirmaturum, etiamſi non exquiſitiſſime cum artis præceptis conueniret. quod quidem ad ægros facere ſolere Medicos vt illos in ſpem erigant, notum eſt. adeo etiam vt hoc reſpectu aliquando ad me, tum Patauij decumbentem, diceret Bucephalus: Medici nunquam vera dicunt. Fortaſſe autem tu putaſti: Medicum à medico decipi æquum non eſſe, & ab hoc facilius quam ab aliis fraudem deprehendi. Quicquid tamen ſit: ne nunc quidem tibi plane aſſentior, quod ad arthriticas periodos attinet. Cum enim per modum criſeos expulſio fiat, vix eſt veroſimile, omnes corporis artus ita debilitari, vt infirmitatis ratione deinceps ſemper ſimilem fluxionem ſuſcipiant. quemadmodum in podagra fit, aut chiragra: vbi leui occaſione inuaſio repetit, & pæne certas periodos ſeruat. An vero arthriticus morbus, hoc eſt, qui ſine diſcrimine omnes artus corporis perreptat, idem ſit cum eo, quem Cardanus vagum appellat, & de quo peculiarem tractatum conſcripſit, tu videris. Quod à vino abſtinere iubes: rem duram imperas. An vero ſolius aquæ potu contentum eſſe præcipis? Nimirum caute & prudenter vocem ἐπισταμένως, quæ etiam apud Theognidem exſtat, adiicis. Sed non licet nobis aulicis ſæpe ita viuere, vt volumus: quando ad aliorum arbitrium nos comparare neceſſe eſt. Tecum qui tuo more domeſticam rem inſtituis, bene agitur. A Baſilienſibus iamdudum nihil habeo: quod contagionis ratione loca illa male tuta eſſent. Ad D. Zwingerum & Platherum paulo poſt ſcribam. D. Simon Grynæus Medicus diem ſuum peſte exſtinctus obijt. Quid de reliquis fiat, aut factum ſit, cupide ſcire deſidero. Cur Hippocrates humorem melancholicum aquam, vel vt in Græco textu eſt, ὕδρωπα appellat, ad Eraſti diſputationes remittis. quas certe, ſi ad manum haberem, inſpicere non intermitterem. Sed qui in iſta oberratione bonorum librorũ copia inſtructum eſſe licet? Eſt nobis aulicis illud in ore, quod Bias ni fallor, de ſe dixit: Omnia mea mecum porto. Partem librorum meorum Pragæ habeo: partẽ Vratislauiæ in patria, partem eorum etiam hic Viennæ. Illos in vnum cogere ecquãdo licet? ſubinde enim aula mutatur, quam me ſequi neceſſe eſt. Librorum vero ſupellectilem inſtructam quomodo quis ſecũ circumferat? Quæ tua de hac re ſit ſententia ſcire deſidero. Poſtea ad Eraſtum, velut ſupremũ iudicem, ſi ita libet, prouocabimus. De paralyſi poſt colicam non parua eſt controuerſia. Non dubito te ea vidiſſe & legiſſe quæ Eraſtus de illa ſcribit in 4. parte Paracelſi-

Varignanæ remedia in prouocatione Hæmorrhoidum.

Critica expulſio non cauſa fluxionum periodicarum.

Arthritis vaga.

Cura paralyſis in qua ſe ſolent colica.

celſicorum ſuorum. Sed vt ad rem propius perueniamus; peculiare exemplū tibi propono. Laborauit hoc morbo optimus Eſromus noſter, qui cum ſatis feliciter reſtitutus ſit, eius curationis proceſſum ad te tranſmitto. vt autem videas me Germana fide tecum agere; ex eius αὐτογράφου omnia tranſcripſi, quæ in ſchedula iniecta vides. Præceſſit in eo colicus dolor ſatis acerbus; poſtea διὰ τὸ ἐν χολῶδει λιμπανόμενα ἐν τῇ νόσῳ in triſtem iſtam ἀπυρέτως morbus incidit. Ne autem hoc nouum eſſe putes; legere potes ea quæ apud Hippocratem exſtant in 6. epidem. 4. comment. particula 3. ᾧ τὸ ὕπνηρον ὄπισθε τὰ δεξιά, &c. Item Paulum lib. 3. cap. 18. & 43. Præſentem iſtam curam quomodo ad Widemanni tui, cui optime cupio, caſum applicare debeas, tute videris. Noſtro illi Eſromo ſatis bene ſucceſſiſſe ſcio. Et aſcripſit ipſe vbiq; vt vides, non tantum remediorum formulas: verum etiam quibus, & quo cum euentu vſus ſit. Tu quoq; fac ſimile. Habet præterea dominus Crato in vſu oleum quoddam, cuius mirificam vim multis probauit. Illud hunc in modum conficitur; ℞. Gummi Galbani, Elemi, Hedræ, ol. laurini ana q. ſ. fiat deſtillatum, & ſeruentur, ſeorſim primum aqua, deinde oleum clarum, tertio oleum craſſum. Hoc emplaſtrum muſculis epigaſtrii applicat, & reliquias morbi feliciſſime diſcutit. Credo vltra duo millia apud Morauos & Boëmos hoc vngnento lucratum eſſe. quod tecum quoque pro amicitia noſtra communicare volui. Vniuerſalia quæ præmittenda, quæque intra corpus exhibenda ſint, per te ſcies melius. Crede mihi alteri non ita prompte communia iſta facerem.

Diſtillatum Cratonis.

In albo fluore pillulas de bdellio laudas: cū tamen in ſiſtendis potius hæmorrhoidibus & menſibus, alii, & potiſſimum Varignana, commendent. De roremarino nulla apud me eſt dubitatio; vt pote cuius admirabilem efficaciam ipſe etiam in muliebribus morbis expertus ſum. Tuæ tamen conſtanti aſſeuerationi fidem habeo. Pro tranſmiſſo abs te munere gratias ago maximas. Recte obtulit tabellarius, quę illi credidiſti. Ego vero quid referam? Cum ad manus aliud nihil ſit, mitto ad te exemplum Valeſii noſtri, quod mea opera emendatum Crato noſter nuper foris dedit. Cupio de illo intelligere iudiciū tuum. Pro pſilothro, quod inefficax eſſe dixiſti, en tibi aliud: ℞. Lac canis mixtū cum puluere auripigmenti in forma emplaſtri, ſiue linimenti, admotum depilat immediate. Si lac canis babere nequeas, ſubſtituitur lac eſulæ maioris, & applica in balneo ad ſpaciū recitationis trium orationum dominicarū, & iij. ſalutationum angelicarum, & quando areſcit, pili vna cum pſilothro remouentur.

Cura alborum menſil.

Rorismarini vis.

Non puto babere minorem vim, quam vnguētum illud Ruſma appellatum, quo Turcæ in balneo ad hanc rem vtuntur. Ligno Saſſafras, quod ex Florida ſiue noua Francia huc importatur, an vnqnam vſus ſis neſcio. Plane odorem & ſaporem feniculi refert. In delicatis naturis multo præſtantius eſt tum guaiaco, tum ſalſa. Ventriculo etiam melius conuenit. In Polonia creberrime nunc vſurpatur contra podagram, & alios chronicos morbos. Si quid de eo cupies: lubentiſſime ad te tranſmittam, & modum vtendi, ſi neſcis, ſignificabo. Bene & feliciter vale, & feſtinatam ſcriptionem boni conſule. 22. Nouemb. an. 1582.

Ruſma Turcarum.

Saſſafras.

CRATONIS.

In paralyſi inchoata manuum poſt coliſcam, qualis fuit mea, & hærente iam malo in muſculis ibi etiam ſugillatis, primum ad expellendam materiam è muſculis per exhalationes & ſudores, vtitur ſudorifico, fomentatione, & vnguento infra ſcripto.

Sudorifica;

℞. Syr. de betonica,
de ſucco cardui an ℥ ij. ß.
Theriac. præſtantiſſ. ʒ ij. Miſc.

(Hoc vſus ſum; ſed parum mihi fuit ἰδρωτικόν; præfero ſyrupum ſancti Ambroſij.) Sumatur mane vnum cochlear, alternis diebus, & cōtineat ſe æger in lecto, vt ſomno & fomentatione lectuli ſudor promoueatur.

Fomentum.

℞. Saluiæ, origani,
Roriſmarin. Iuæ arthetic, an. m. iij.

Incidantur, coquantur in aheno, & decoctū cum herbis calentibus infundatur in vaſculum ad hanc rem præparatum, quod tegatur ſuperne panno quadruplici, & fomententur manus per quartam horæ, mane & veſperi ante cœnam. Formam vaſculi non dubito tibi notam eſſe. Aqualis breuioris inſtar habet, & in lateribus foramina per quæ manus inſerantur.

Vnguentum.

℞. Axungiæ gallinaceæ ℥ ij.
Ardeæ,
Taxi, an. ℥ j.
Lumbricor. terreſtr. vino lotorum ℥ j. ß.
Coquantur lento igne, & addatur oleum nucis condiiæ.
Miſc. f. linimentum poſt fomentationem.

Additur his omnibus & ſapo certi generis, quo poſt fomentationem & vnctionem æger manus abluat: qui ſicceſcat ſua ſponte in manibus, & poſtea abluatur calida

Huius ſaponis deſcriptio ſequitur:

℞ Saponis veneti.
Mucillag. altheæ. an. ℥j.
Sem. Erucæ contuſ. ʒij.
Ol. Iuniperi ex granis ℥ß. Miſc.

Quod ſi ſuperioribus illis nihil proficitur, pro fomento ſuperiori, vſurpetur hoc: *Tertium.*

℞ Rad. vrticæ m. iij.
Cymin. pulu. ℥j.
Salis ʒiij.
Miſc. & coquantur vt ſupra,

Pro vnguento autem ſupra ſcripto vſurpetur tum hoc quod ſequitur:

℞ Ol. antiqui ℔ß.
Sanguin. porci. ℥iij.
Caſtorei ʒj.
Ceræ parum, Miſc. f. linimentum.

Vtriſque vſus ſum primis & ſecundis, & ſecundis in primis: quibus ſenſi tremorem in manibus (nam pedes firmi ſemper fuere) euaneſcere. quod fuit confirmati membri certiſſimum argumentum. Sed temporis detrimenta ferre nolui, cum eſſem tum totus in Pſalmis, &c.

His ſequentibus non fui vſus.

Vng. fortiſſ. Quod ſi vero neque proxime ſupra ſcriptũ vnguentum ſatis fuerit efficax, ſumatur quod ſequitur.


℞ Concharum nigrarum (hæ conchæ non potuerunt reperiri in noſtris officinis) vrantur in fictili, & colligatur
humid. pinguis ℥ij.
Axungiæ. Ardeæ.
Taxi.
Canis a. ʒj.
Seui hircin.
ceruini a. ʒ vj.
Saponis veneti cum ſucco cardui & altheæ diſſol. q. ſ.
Miſc. lento igne.

Quod ſi adhuc etiam magis acuenda curatio, adhibeatur ad extremum vnguentum ſequens:

Extremum.

℞ Pul. lumbricorum terreſt. ℥ ij.
Calami aromatic. ʒ vj.
Galangæ ʒ iiij.
Mellis deſpumati q. ſ.

Coquantur ad ſpiſſitudinem & extendantur in duabus alutis, quælibet ſit facta ad formam hanc:



EPIST. CCXXXVIII.

IDEM EIDEM.

ALTERAM tuam epiſtolam cum hoc ipſo tabellario accepi: priuſquam ei, quam ante hac Seligerus noſter mihi abs te attulit, perſoluerem: quod enim tertiæ cuiuſdam meminiſti, ad quam nondum reſponderim, ea qualis ſit neſcio. Nolo ſane tarditatem vel lentitatem potius in ſcribendo meam multis excuſare: illud tamen affirmo, me officium hoc neglecturum non fuiſſe: ſi quod ſperabam, γραμματοφόρος iſte ad nos Viennam rediiſſet. interim dum exſpecto, quoad reuertatur, totus delabitur annus. Sed ad rem. A Seligero non ita pridẽ literas Parauio habui: quibus adhuc reſponſum debeo. Miror autẽ quid tibi in mentem venerit, mi Weidnere, quod me dubitare ſcribis, arthritide nuper laborauerim, nec ne. Et eo nomine neſcio quam ab ipſa arthritide pœnam mihi infligendam minaris. Immerito ſane hoc abs te patior. Neq; enim tam ſum ἀναίσθητος, vt morbi ſatis immitis tormina non ſenſerim: neque etiam Stoicorum delirio faueo, qui affectus & dolores meras eſſe opiniones credulis ſuis auditoribus perſuadere conati fuerunt. Imo & ſenſi non magna cum voluptate mea arthritidis moleſtias grauiſſimas, & me ſentire ſcripſi, & ad te atq; alios conqueſtus ſum. Sed de hoc cap. quæſtio erat: Num arthritis etiam per certa interualla repetere ſoleat, vt chiragra, vel podagra an vero, veluti critica quadam expulſione, ſemel ægrum inuaſiſſe ſatis habeat? Vt de hoc dubitarem, multæ me cauſæ permouerunt: quæ fortaſſe tibi quoq;, etiam ſi nullus moneam in mentem veniunt, atq; id ipſum expreſſe quidam in theſibus ſuis, de hoc morbo nuper publicatis, affirmat. Bona igitur verba quæſo, & hũc potius ſi liber nodum diſſolue, quam vt me denuo cum morbo moleſtiſſimo conflictari iubeas. De dolore vago legere potes, quæ Hieronymus Cardanus in Methodo ſua medendi ſcribit ſect. 4. capite quinto, item in Conſilio quodam de hoc morbo peculiariter ſcripto, quod contradicentium Medicorum libris ſub calcem adiunctum eſt. Apparet ex eo ſcripto: ſtatuere illum morbi huius cauſam flatus potiſſimum hinc inde in corpore oberrãtes: cum nihil ſit, quod æque cito de loco in locũ moueri poſſit. Dracunculos Iohannes Wierus in doctiſſimo ſuo commentario de morbis nonnullis incognitis Germanice edito, putat eſſe, quos vulgo *die Mitteſſer* appellant. Morbi genus in Auſtria ſatis familiare. Diſcernit autem

An arthritis critica ſit aut periodica.

Dol. vagus.

Dracunculi.

ab his alteram illam ægritudinem, *die Varen, oder lauffende Varen*, & vtriuſque cognitionem atque curationem ſatis docte & accurate perſequitur. Antidoton etiam proponit τὰ γῆς ἔντερα, & eorum præparationem. quam eo haud dubie hauſit D. Hoffmannus noſter. Ad quæſtionem de loco Hippocratis hæc nuper ad me ſcribebat D. Mercurialis. Cur Hippocrates ſplenem aquæ fontem eſſe dixerit in 4. de morbis, diu ipſe quoque dubitaui. nec, ſi authoris ſententiam tueri volumus, alia ratio mihi occurrit, quam ſi dicamus, aquam Hippocrati eo in loco eſſe non ſuccum melancholicum & craſſum, qui per vniuerſum corpus diffuſus ſæpe conſpicitur: ſed aquoſum & tenuem, qui in liene colligi conſueuit. Nam certum eſt eiuſmodi viſcus ſæpenumero ob aquoſi ſucci copiam intumeſcere. & ſanguis, qui in anatome conſpicitur in ſplenis anfractibus, iecinoris ſanguini comparatus, plane tenuis & aquoſus videtur: vt non immerito viri quidam eruditiſſimi, & anatomicæ doctrinæ peritiſſimi promulgare non erubuerint; minime verum eſſe lienem ſuccum melancholicum attrahere. At hæc omnia ingeniorum laſciuientium exercitamenta ſunt. In artis operibus atque in iuuanda humana vita ſi quis ſtrenue verſetur, multo ſolidiorem laudem eum mereri iudico. hactenus ille. Etſi autem quam maxime opinioni illius accedam, quod certum ſit cum melancholico humore ſemper multum ſeri, vehiculi loco, adiunctum eſſe: magna tamen in ipſa voce eſt ἀκυρολογία cum ὕδωρ ὕδρωπα appellat. quod vero ait nonnullos lieni æque ac epati αἱματοποίησιν tribuere: in ea hæreſi etiam Platerus noſter eſt, vt ſæpe ex eo coram audiui, & etiam ex tabulis illius iam publicatis colligere licet. De quibus ſane iudicium meum exquirere minime opus eſt, cum me in hac palæſtra τῶν ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν minus exercitatum agnoſcam. artifices igitur de artibus iudicent. Statuo tamen nihilominus: multa eum monſtraſſe; quæ alii non obſeruarunt. cum ſciam quam ille περὶ τὰ ἀνατομικὰ & induſtrius & fœlix, vt nomen eius atteſtatur, eſſe ſoleat. Diligentia certe ſola maximam laudem meretur. Si, quæ ſit Eraſti de pareſi poſt colicam ſententia, integre cognoſcere eſt animus, euoluas longam illius diſputationem in quarta & vltima parte antiparacelſicorum illius à pag. 236. vſque ad 258. Meminit quoque affectus huius Ioh. Langus in epiſtolis ſuis medicinalibus parte 2. epiſt. 55. Quibus perlectis, ſi quod dubium amplius ſupereſt, de eo poſterius inter nos per literas colloquemur. Fr. Valleſius quem dudum diem ſuum obiiſſe credidimus, ipſe opus ſuum Controuerſiarum medicarum ad recudendum Chriſtoph. Plantino ex Hiſpaniis Antuerpiam miſit. Verum cum ille videret Wechelum priori editioni denuo euulgandæ manus iam admouiſſe: ipſe ſponte abſtinuit, & autorem de hac re admonuit. Haud dubie multa præclara his totis xx. & amplius annis à ſe obſeruata, adiecit, vt illa etiam cum ſtudioſis doctrinæ illius cupidis communicari æquum ſit. Ingenio apparet eſſe maximo, indicioque exquiſito: ſed prima editio iuuenile quid reſipiebat; hæc poſterior omnia maturiora, & exquiſitius cogitata & recogitata habebit. Si autorem adhuc viuere vel ſuſpicari potuiſſemus: nemo noſtrum tam audax fuiſſet, vt ſine illius conſenſu quicquam hac in parte tentaret. quicquam iſtam quoque molitionem ſine fructu non abituram ſpero: ſi modo ille, quæ in præfatione Cratoniana ſunt, legere & expendere dignabitur. Turbith minerale re ipſa nihil aliud eſt; quam artificioſa mercurii præparatio. De qua varii variorum conatus ſunt in medio. Velim te illa legere, quæ de puluiſculi aurei ex mercurii præparatione & diſerte & erudite ſcribit Anton. Gallus medicus in lib. ſuo de Ligno ſancto non permiſcendo, pag. 33. & aliis in locis, inter cætera autem hæc quoque refert, quod non memini me alibi legere: cryſtalli argentei viui verum & vnicum alexipharmacum eſſe, & illius parandi & exhibendi modum adiungit. potes quoque conſiderare quæ in Ioh. Vigonis Chirurgia extant de puluetis rubei confectione & adminiſtratione eiuſdem tam intra quam extra corpus. Item apud Marianum Barolinum diſcipulum eius, qui etiam peculiariter de hoc verba facit. Capouaccius, quod miror, eundem mercurium in antiquis gallicis doloribus exhibet: & quomodo ſymptomata nonnulla, vſum eius fere conſequentia auertenda ſint, monet Quercetani oracula aut ænigmata non intelligo; nec ſcrupuloſe inquiro. ſino mortuos ſepelire ſuos mortuos. Hæc, quæ ſequitur, deſcriptio mihi à quodam inſigni chymico, & optimo, (vt ſic loquar) Galeniſta communicata eſt: quam germanam eſſe ſtatuo: etiamſi nondum manibus meis parauerim; ſed duntaxat ab eo tali methodo paratam poſſideam. ℞. Mercurij aceto & ſale ter quaterve abluti ℥ ij. ol. rubicundi de acetoſa minerali ℥ iij. ſalis eiuſdem ʒ j. ß. Coniuncta in geranio immergantur in arenam, & per diem naturalem coquantur. Materiam infrigidatam candidam eximito, terito, aqua calida affuſa recoquito, de-

Quomodo ſplen ſit aquarum fons.

Sanguis lienis tenuis & aquoſus.

Sanguificatio lieni à quibus etiam attribuatur.

Plateri induſtria

Eraſtus de pareſi poſt colicam.

Langius.

Valleſius.

Turbith minerale artificioſa Mercurii præparatio.

Cryſtallus Alexiphar. verum Argenti viui.

Turbith minerale Zwingeri & Bodenſt.

fundito, abluito tertio vel quarto, ſuper carbones exſiccato, frig'da iterum abluito, reſiccato. Remanebit Proteus Pactoleæ inſtar ſcobis. Datur à gr. iij. ad v. cum theriaca, vel aliquo purgante in gallicis doloribus & vlceribus: quibus etiam exterius adhibitum, in emplaſtris gummatum, certiſſime medetur. quod ſi auri calcinati ʒ j. adiiciatur, nō purgat: ſed fit multo magis hidroticum. Habes integrum proceſſum & velut αὐτοψίαν huius operationis: etiamſi propter conciſam breuitatem quædam obſcuriora videantur. Sed manus, vt ille inquit, cauſa eſt ſapientiæ. Si quas voces ſtudioſe artificio quodam inuolutas & occultatas non ſatis aſſequeris: ego tibi Apollinis inſtar ero. Idq; ex eius ore, qui mecum deſcriptionem communem fecit. alioquin enim chymicis iſtis operationibus exercendis non valde aſſueui. quod tamen, ſi qua occaſio eſſet, libenter facere velim. Aula, quam ſequi cogor, ſuis migrationibus hoc totum impedit.

Aloe roſata loco hieræ.

Aloe roſata nihil aliud eſt, quam aloe ſucco roſarum depurato bis terve infuſa, & poſtea in maſſam, vnde catapotia formantur, redacta. Habet hanc dominus Crato noſter in valde frequenti vſu, & hieræ loco vſurpat. Plerunque ſemihorula ante cœnam exhibet à ℈ j. ad ʒ j. Blāde & abſque vlla moleſtia ventriculum & primas vias expurgat. Euentum curationis in nobili illa matrona, cuius caſum mihi proponebas, ſcire deſidero. Fortaſſe enim tu illam ſanitati prius reſtituiſti: quam reſponſum à me habere potuiſti. Symptomata mirifica ſunt & ſatis implicita, nec malignitas aliqua, in viſceribus deliteſcens, abeſt. In talibus igitur vtiliſſimum eſt præter ea, quæ manifeſta qualitate proſunt, illa quoque admiſcere quæ occulta quadam facultate τὸ κακόηθες retundere creduntur. Cardiaca ſcilicet, & his ſimilia: quorum materias recenſere ad te non eſt neceſſe. Cum etiam adſtricta aluo ſit: aloes roſ. vſum illi plurimum conducere arbitrarer, etiam menſium prouocandorum gratia. Rite expurgato corpore electuarium quoddam cōficerem ex talibus, quæ præcipua viſcera reſpiciunt: adderemque præter ſpecies nobilium confectionum etiam thæriacæ & mithridatii aliquid. Lignum aut ſarſam num illi propinaueris, neſcio. Vix enim ſaſſafras apud vos, niſi maximo pretio, haberi puto. Etiam hic eandem ob cauſam, exoleſcit. Gratiam habeo pro iis, quæ ex epiſtola Zwingeriana de aceto ſtillaticio exſcripſiſti. Et ita vere res habet. Multa ex falſa imaginatione potius quam vero indicio improbamus, quod etiam in ſimilibus aliis non ſemel obſeruaui. De chirurgia recte admones. Doleo certe, me in illa exercenda non plus inſudaſſe: quando eius rei in Italia occaſio offertur ſatis commoda. Sed quo tempore ego ibi fui: fere ſemper peſtilens contagium graſſabatur, vt ita minus tutum eſſet ſine diſcrimine quibusuis manum admouere. Præterquam autem quod Mercurialis noſter chirurgum crudelem eſſe vult, etiam immundum velit nolit eundem eſſe oportet. à quorum vtroque non parum abhorreo. Nihilominus Medicus Phyſicus in multis caſibus ſi maxime manum ipſe admouere nolit, conſilio ſuo tamen prodeſſe, & chirurgum in ſua operatione dirigere poteſt. Quod ego aliquoties feci hactenus non malo cum ſucceſſu, & etiam cum vtilitate aliqua.

Terra Anvvaldiana.

Terram Anvvaldinam nondum videre contigit. Petii nuper à D. Camerario, vt particulam mihi illius tranſmitteret, non auſim credere tot illam vires habere, quot illi autor in tractatu ſuo de hac edito tribuit. Multos credulitas magis ſanat & ſuperſtitio, quam vera ratio.

Terra Sigil. Strigomenſis.

Strigenſi bolo non aliter vſus ſum, quam in dyſenteriis & aliis alui fluxionibus cohibendis. D. Iac. Theodorus in libello de peſte, terræ ſigillatæ eam æquiparat. Sed multum adhuc ſordium admixtum habet, quas melius elui vtile foret. Si bene aquis idoneis lauaretur, & rurſus exiccaretur; crederem plus opis allaturam.

Glogouienſis.

Etiam alia nunc circa Glogouiam reperitur, quæ Strigenſi candidior eſt, &, vt ego puto, etiam efficacior. Si nondum habes, aliquid illius ad te mittam proxime. In præſentia cum nihil aliud ſuppetat, cenſuram de operibus Hippocratis ad te mitto: ea lege atque conditione: vt tuam de hac cenſuram libere atque aperte ad me perſcribas. Petiit à me hoc autor ipſe D. Hieron. Mercurialis dum inter cætera in proximis ſic ſcribit: Ob Hippocratis cenſuram à nemine laudari cupio. Sed in eum finem ſolum edita eſt, vt ingenia excellentia in ea cenſenda ſeſe exerceant, mihique addendi, mutandi ac corrigendi occaſionem præbeant. Itaque quod à te peto illud vnum eſt, vt virorum apud vos excellentium iudicium explores: & quæcunq; obiiciuntur, libere mihi ſignifices. Hæc ille. Te autem mi Weidnere in eorum numerum, qui Hippocratica diligenter legunt, & de eius ſcriptis iudicare norunt, libenter recipio. Expecto igitur quid reſponſurus ſis cupide. Meas cogitationes viciſſim, ſi ita voles, libenter patefaciam. Velim te lectam hanc cenſuram etiam cum D. Laurentio Scholzio, viro optimo, & integerrimo, communem facere:

quan-

quando exempla, quæ ſingulis mitterem, in promptu non erant. Sed manum de tabula iandem. Vrget enim, qui modo aſtat, tabellarius. Te bene feliciterque cum tuis valere opto. Pragæ Boiemorum 5 Decẽb. anno 1583.

EPIST. CCXXXIX.

IDEM EIDEM.

MIHI quoque tam diuturna ordinarii noſtri emanſio, ne quid diſſimilẽ, moleſta accidit: ac quidem ne inter vias ſiniſtri quid paſſus eſſet, ſubuerebar. Sed illius aduentus omnes facile ſuſpiciones diluit. De nummis reſtituris a me te, lectum eſt, conuenit numerus, & non neglexiſſe habeo gratiam. Veruntamen non eo ſenſu quo ſeruulus ille apud Comicum, qui de fide debitoris ſui nonnihil addubitare videbatur. Ego me officium iſtud recte collocaſſe lætor: etſi profecto in palæſtra hac minime ſum exercitatus. ἀνῤῥίφθω ὁ κύβος. Placet omen tuũ de arthritide: quam & ipſe a me in perpetuũ exſulaturam promittis. Iam certe tertius annus agitur: cum poſt primum illum inſultũ nihil mali ab illa per Dei gratiam perpeſſus ſum. Vtinam etiam in poſterum ab illa immunis ſim, ita vt nunquam limen meum ſubintret. Noſtris eueniat hoſtibus illa precor. In præcautione nullo alio remedio hactenus vſus ſum, quam vt diligẽter operam darem, ne ſuperfluitates in corpore eatenus augerentur, vt nouum paroxyſmum generare queant, Puluerem Italicum, qui contra podagram tantopere nunc decantatur, & domini Cratonis de eo iudicium, à vicino tuo D. Laurentio Scholzio petere licet. Illi ego hæc ſubmiſi omnia; & poterimus de his alio inter nos conferre tempore. Valleſium vna tecum viuere & valere exopto, vt multa talia ſcripta ſubinde nobis ex diuite penu ingenii ſui depromat. Proximam editionem opera Plantini etiam apud extremos Iberos accepiſſe non dubito. Turbith illud, quod minerale vocant, ipſe nunquam para[illegible] ed nec ob alio parato hactenus vſus ſum. [illegible] i nequaquam reiicio: tutiora tamen amplecti malo. Et ſcelus eſſe iudico ad præſidiũ tam anceps accedere; vbi alia in promptu ſunt, quæ minus periculi adiunctum habẽt. Et tamen interdum in extremis morbis ad extrema huiuſmodi remedia confugere neceſſe eſt. Deſcriptionem quam miſi, omnino genuinam eſſe confido. Mercurium, qui ſumitur, viuum eſſe oportet. Sequenti eum præparatione ſatis corrigitur. Acetoſam mineralem recte ſuſpicatus eſſe chalcanthũ. *Acetoſa minerale.* Sed oleum illud rubicundum craſſius eſt: non autem quem ſpiritum vitrioli vocant, cærulem potius quam rubicundum. Geranium, vulgo matracium appellant, in hanc fere formam confectum vitrum. *Geranium matracium.*



Aurum, quemadmodum & alia metalla calcinari, & in chymicum puluerem redigi poteſt. Coemiſſem tibi turpethi mineralis aliquid: ſi commode ab idoneo artifice impetrare licuiſſet. Interim de meo tantum tecum communico, quantum forraſſe in præſentia ſatis eſt. *Turpethum minerale.* Triplex vero huius eſt differentia. Primum illud ſub litera A, auri ferme colorem refert, vt vides: quod ſecundum eam deſcriptionem quam accepiſti, paratum eſt. Alterum ſub B, à Iudæo quodam, præſtanti artifice mihi communicatum eſt. Tertio illo ſub C, frequenter vtitur D. Stromerus noſter, quod etiam cæteris præfert. Mihi primum illud magis arridet. Tibi vt vnius aut alterius periculum facias, in deploratis præſertim gallicis, liberum permitto. Ante paucas hebdomadas huius exhibitione perſanauit Italum quemdam D. Stromerus: quem gallica illa lues peſſime defœdauerat: & totum ferme naſum depaſta fuerat. Tum demum ad ligni decoctum acceſſit: quod antehac fruſtra ab aliis Medicis miſero ægro propinatum fuerat. Libelli illius titulus, quem petis, hic eſt. De ligno ſancto non permiſcendo, Antonio Gallo Medico autore. Idem in imperitos fucatoſque Medicos. Eſt autem hic liber oppoſitus alteri cuidam Alfonſi Feru, qui inſcribitur: De ligni ſancti multiplici medicina, &c. Hic excuſus eſt Lugduni in 16. ille Pariſiis apud Sim. Colineum, anno 1540 in forma octaui. Pro excerptis ex Anancaſtæ noſtri literis magnas gratias ago. Iam diu nihil ab eo vidi. Cogito tamen ad intermiſſum ſcribendi officium redire. Quercetanus quid ſibi velit, multo minus, quam Anancaſtes intelligo. Quod ſi operoſa illa, & non reuelanda præparatio diſplicet: eam eligere potes, quæ extat apud Aug. Fernetium de morbo gallico libro *l.* in 7. curandi eundem morbum modo, vbi multa notatu digna inuenies. Vocat ipſe autor pillulas mercuriales, & quædam de diuerſa exhibendi illas ratione in medium affert. *Pil. Mercuriales.* Excuſus eſt hic libellus in eo faſciculo qui inſcribitur; Theſaurus ſanitatis paratu facilis, per Ioh. Liebaultium, &c. Pari-

ſiis in t6. Licet etiam conferre cum iis quæ Maſſa Venetus, & Mattiolus, item noſter quoq; Capouaccius de medicamenti huius recta & methodica cum præparatione, tum exhibitione tradunt. Quantum ad caſum illum nobilis matronæ attinet: ſymptomatum quorundam mitigatio aut ablatio, non plane morbum illum incurabilem eſſe ſatis oſtendunt. Dolorem capitis & tibiæ dextræ adhuc remanere ſignificas. Neque tamen ſcio, an dolor ille capitis cõtinuo affligat: an vero per certa interualla redeat, & periodicus ſit: item an anterior pars, aut poſterior, vel etiam circa tempora magis doleat. Etiãſi vero ab initio per conſenſum aliarum partium, v. g. ventriculi, aut vteri, originem ſuam habere potuit: poſtquam tamen tam diu durauit, eam impreſſionem feciſſe veriſimile eſt: vt nunc caput mutata temperie, per eſſentiam etiam laboret. Nihilominus multum illis remediis crebro repetitis efficitur: quæ inferiorum partium impuritatem auferunt, vnde ad caput prauæ expirationes ſubinde attolluntur. Habuit in frequenti vſu Fernelius (vt à domino Cratone accepi) pillulas quaſdam: quibus tantam vim in detergendo ventriculo & præcordiis offenſis tribuit, vt nullam ſe hemicraniam repetiſſe affirmauerit, quam non hac ratione curauerit. Deſcriptio hæc eſt:

Dolor capitis.

Pill. cephalicæ Fernelii.

℞. Aloes optimæ ℥ß.
pulu. El. de gemmis,
Diatrion ſantal.
Roſar. rubear. an. g. iij.

Redigantur omnia in puluerem, & cum ſyrupo de abſinthio & violar. f. maſſa mollis. Seruetur vſui in veſica. Exhibuit alternis diebus, bis vel ter in hebdomada ℈ ij. aut ʒ j. hora vna ante cibum. Dominus Crato alias etiam commendat de ſuccino in hanc formam:

Pill. de ſuccino Cratonis.

℞. Pul. ſuccini, Maſtiches an. ʒ ij.
Aloes ſucco citrin. ʒ v.
Agarici albiſſ. ʒ j ß.
Ariſtolochiæ rotundæ veræ ʒ ß.

Cum ſyrupo de ſucco betonicæ q. ſ. f. maſſa. Vtatur ʒ j bis in menſe, & ſumat eas poſt primum ſomnum.

In harum pillularum vſu perſiſtendum. Nam cum morbus diuturnus ſit: vt paulatim & diu curetur oportet. Deinde ad particulares capitis euacuationes per nares, palatum, & fauces accedi poſſet: quorum formulas ipſo noſti melius. Ineunte autumno non prohibuerim venæ ſectionem, ſaltem euentationis gratia fieri: item purgationem aliquam, præmiſſa corporis præparatione, vniuerſalem. Si qua malignitatis latentis ſuſpitio eſt: plurimum conducunt Electuaria ex ſuccis inſpiſſatis herbarum, quibus deinde pulueres idonei, ac denique theriacæ aut mithridatii aliquid additur. Si voles vnam atq; alteram deſcriptionem proxime ad te mittam. Tu modo ſignifica, quæ interea mutatio acciderit, & quantum vires ſufferre poſſe exiſtimes. Fonticulum vt Itali appellant, in inferiori cruris parte cum vtilitate aperiri poſſe δηλοῖ ἡ ὄψις. quando ſcilicet natura ipſa in eo loco exitũ quærit, & nonnihil inde leuationis acceſſit. Malum autem viciſſim auctum eſt, quamprimum materiæ illi exitus præcluſus eſt. Si delicata eſt fœmina: rectius fit operatio illa potẽtiali, quam actuali cauterio. habes pyrapyrum illud, quo me etiam non infeliciter vſum memini. Et hæc quidem mihi in præſentia de propoſito caſu in mentem veniunt. Riſi cum litem de ſubſtantia & accidente veneni cum Theologica illa controuerſia, in qua ſimiliter de eſſentia peccati quæritur, comparas. Volo autem adſcribere ipſa D. Hier. Mercurialis verba: quibus ad illud caput Epiſtolæ meæ nuper ad me ſcriptæ reſpondet. Accedo, inquit, ad id, vt probem rationes, quibus vteris ad probandum eſſe in prædicamento relationis venenum collocandum, aduerſus meam ſententiam, non tantum habere momenti, quin facile dilui queant. Nam, vt hinc primum exordiar, ea dicuntur ad aliquid ex Ariſtotele, quorum eſſe aliorum eſt, aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo plane ad aliquid nec alimentum nec venenum dicitur, ſed ſecundo modo: prout ſcilicet ad aliquid, ſeu reſpectu alicuius, nempe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto vere ad aliquid ſunt. Si quidem maior pars venenorum æque alia bruta atque hominem interimunt, & multa etiam alimenta ſunt non minus belluarum, quam hominis. Sed concedamus eſſe ad aliquid venenum: quid prohibet vnam & eandem rem diuerſimode acceptam ſub diuerſis prædicamentis collocari? Magnũ & paruũ in quantitatis & relationis, morbus & ſanitas in qualitatis & relationis prædicamentis ponuntur. haud ſecus etiã forma ſubſtantialis in duobus prædicamentis eſt: cum forma quælibet ſit alicuius forma. Quare de veneno quoque dicere poſſumus, vt refertur ad hominẽ, eſſe ad aliquid: vt vero mixtum quoddam eſt ex propria forma, quæ eſt vis venefica, & ſubiecto, eſſe in prædicamento ſubſtantiæ. quemadmodum ex materia & forma, neque ipſe vnquam dicerem totum ſcorpionem, aut totam viperam eſſe venenum: ſed illius ſpirituoſum

Quod venenum nõ ſit ad aliquid.

corpus

corpus vl venefica formatum, quod ictu communicatur. Huius autem corpus ſallnoſum ſimiliter conflatum, & morſu communicabile, Hactenus ille. Quibus equidem quid viciſſim opponam, meamq; opinionem defendam, non ignoro. Velim tamen ex te ſcire, quid de lite iſta ſentias, præſertim num credas, fieri poſſe vnum & idem diuerſo reſpectu: modo ſit ſubſtantia, modo accidens? De terra Anwaldina pauxillum quid nuper mecum communicabat dominus Ioachimus Camerarius, quæ tamen an legitima ſit, & cum tua conueniat ignoro. Si igitur quid ſuppetit, velim mecum partiare, ſaltem tantillum, vt eius periculum facere, & cum ea particula, qnam ante habeo, comparare queam. Ero viciſſim gratus in iis, quæ penes ſunt. Sphacellum ex gangræna profectum iam bis terve vidi, non magua certe cum voluptate mea. Vtinam plane hoc monſtri è hominum natura tollatur. Sed aſtat tabellarius, qui mannm de tabula amonere iubet, & prætereaetiam alio vocor. Tu quæſo hæc, quæ feſtinanti calamo, & animo non ſatis libero ſcribo, boni conſulas, meq; amare pergas. Vale & ſalue chariſſime mi Weidnere. Datæ Pragæ Boiemorum die 2. Iulii. Anno Chriſti 1584.

EPIST. CCXL.

IDEM EIDEM.

NON debeo etſi occupatus ſum, ſcribendi ad te officium negligere: cum te in reſpondendo tam gnauum eſſe animaduertam. Et præſertim hunc ordinarium noſtrum ſine meis dimittere nefas putauerim: cum nunquam antea id factitare ſoliti fuerimus. De turpethi mineralis præparatione quid Ananeaſtes noſter ſentiat, ſcire peruelim. Augeri quidem Fernerii libellum in tam inſtructa bibliotheca apud ipſum exſtare non dubito. Si tamen voles: libenter quæ de eo in medium ille adfert ad te transſcripta mitam. Fieri poteſt vt Ananeaſtes ipſe ſua manu arcanum illud elaborauerit. ta non :ntum auritum, ſed oculatum etiã teſtem habituri ſumus. Scribebat ad me dominns Crato non ita pridem in hanc ſententiam: Multis annis cum D. Zwingero per literas ſum collocutus. Nunquam de chymicis tam multa ſcripſit, quam nunc. Vt ad illius opinionem accedam, vix perſuadebir: cum Arrogoſio, qui ſæpe multis horis de iſtis mecum egit, nunquam potuerim fidem adhibere, & ille ſibi eum magiſtrum eſſe profiteatur. Ars eſt vna; quam ſi Hippocrates & Galenus vere nos non docent, & Montanus illuſtrat, eiuſqne fundamenta ex intima philoſophia monſtrat; à qu bus diſcenda ſit, neſcio. Materia medica ingens & nnmeroſa. In ea principem locum tenere medicamenta ex ſulphure & Mercurio confecta, vix adducor vt credam Laudanum vero quid eſt al 1 id, quam Philonium: & quem morbum eo profligabimus abſque periculo? Chymicis remediis propter ſingularem efficacitatem nihil detraho: Chymiæ vero autorem Theophraſtum minime ſtatuo. hæc ille: cum ei occaſio à me præbita eſſet in literis quibuſdam: vbi iudicium illius de libello qnodam chymico quæſieram. Caſus nobilis illius matronæ pæne memoria exeidit, nec ſunt modo ad manum literæ tuæ, quibus illum prolixe exponebas. An cauterium aliquod, quo exitus materiæ illi aut malignæ, aut malignitati proximæ præbeatur, molitus fueris, neſcio. Scis autem Hippocratieum illud: Quos morbos medicamenta non ſanant, ferro & igni aggrediendos eſſe. Magnam tamen ſpem concipio, dum ſcribis: vſu & frequenti continuatione quorundam lenium medicamentorum multa ſymptomata remiſiſſe, & morbum nunc mitiorem videri quam antea. Vtinam radicitus tandem euellatur auerrunceturq;. An electuarium è ſuccis parraueris, quale præſcribebã, nihil addis. Ego in morbis longis & pertinacibus, qui ab intemperie quadam occulta dependent, multũ præſidiis huiuſmodi tribuo. Petis vt purgans aliquod nominem, quod aut nullius ſaporis, aut certe non ingrati ſit, & abominabilis. Inter ſimplicia nullum noui, quod hac in parte radici Mechoacan præferre poſſem. Iam ſæpe illud exhibui delicatis perſonis, qnæ à mẽtione etiam Rhabarbari, agarici aut aliorum abhorrẽt. Doſis illius eſt à ʒ ß. ad drachmam integram, aut etiã ſcrupulos quatuor. In puluerem redigo, & admixto pauculo gingiberis ſtimuli gratia eum vno atq; altero cochleari vini dulcis ſeu Pucini ſeu maluatici propino. Blande expurgat, & fere agarici vires æmulatur: niſi quod ventriculo minus infeſtum eſt. ſi deguſtaueris, ferme nnllum odorem aut ſaporem percipies. Et tamen in euacuando non ſegne eſt. Iuſſi etiam aliquando, vt eadem radix pani, quam vocant, Martio incoqueretur. & ſic ægro ignoranti, non ſine fructu, exhibui. Quo plus candoris habet, eo melior eſt. Credo ad vos etiam deferri. In Galliis freqnens eſt vſus illius, & Heidelbergæ. Eraſtus p. m. ſibi valde familiarem reddiderat, quem alii deinceps Medici imitati ſunt. E compoſitis blande & ſine moleſtia corpus expurgantibus pluri-

Laudanum Philonium.

Purgans non ingratum. Mechoaca.

Mechoaca præparatio cum pane Martio.

Paſſula laxatiua. mum tribuo paſſulis laxatiuis vulgo dictis; quibus hic in aula nihil eſt frequentius. Conſtant autem ex infuſione foliorum ſenæ, in qua paſſulæ, in ſ.q. macerantur, & deinceps ſyrupus roſatus ſolutiuus affunditur. interdum etiam Rhabarbari aliquid adijcitur: ſed in communi, ne nauſeam pariat, omittitur. *Conf. Aniſi laxans.* Laudo etiam confectionem aniſi laxatiui, quæ pro cuiuſuis arbitrio parari poteſt. Denique electuarij cuiuſdam lenientis deſcriptionem ſubiungo: *El. lenitiuū.* quæ nuper me autore in officina ſuæ Maieſt. &c. parata eſt:

℞. Fol. ſenæ purgat. ℥iiij.ß.
Rhabarb. el. ℥j.ß.

Infunde in vini maluatici ℔. iiij. ſucci cydonior. depurator. ℔. ij. Mane bulliant ſ. a. exprimantur fortiter. Expreſſioni adde pulpæ pomorum redolentium dulcium (qualia ſunt Miſnenſia noſtra, Porſdorfiana dicta) arte coctorum ℔. vj. Brodij zinziber. ℔. j. Brodij cydoniorum, aut miuæ ℔. ß. ſacchari ℔. iij. coquantur ad formam Diacydoniati. Ac ſub finem decoctionis adde Mannæ Calabrinæ diſſolutæ puræ in vino maluatico ℥ vj. Diſtribuatur in capſulas. Non tantum ſine moleſtia, ſed etiam cum voluptate aſſumitur. Totam autem maſſam hanc in duas partes diſtribui: & alteri pro ſingulis vnciis grana aliquot diacrydij adieci, vt in paulo validioribus per ſe eius pluſculum operaretur. A ß muncia vſq; ad vnciam integram tuto exhiberi poteſt. *Medicata vina.* Et ad exemplum horum plura alia fingere licet: quibus noſtri homines, alias à purgantibus natura abhorrentes, fallantur. Pertinent huc etiam vina medicata, quæ vim purgandi habent, & cibis etiam abſque periculo miſceri queunt. ita nodulos parare ſoleo ex herbis & ſeminibus, adiectis Rhabarbaro, foliis ſenæ, vel etiam agarico pro diuerſa intentione. Hos in vinum immergi in eoque per noctem macerari iubeo: de quo ſingulis diebus vnum hauſtum in prandio, loco vini abſinthitis, cui noſtri aſſueuerunt, aſſumunt nulla cum moleſtia, ac ſuauiſſime inde aluus ſubducitur. Vt domini Mercurialis ſententiam de veneni ſubſtantia rectius aſſequi poſſis: authoris illius librum ad te mitto, quem meo nomine gratum habere velis. Gratuito accepi, gratuito dono. Interim illius loco vtor altera editione, quæ Francofurti ad Mœnum ſuperiori anno prodiit. Sed cum nondum à bibliopego receperim: hunc iam compactum librum rectius tranſmitti poſſe iudicaui. Adhuc contendis, non abſurdum eſſe: vt vnum idemque diuerſa conſideratione modo in categoria ſubſtantiæ, modo in cæterarum aliqua ponatur, & exemplum caloris innati vrges. Sed ego hoc ipſum mihi explicari velim: qua conſideratione calorem illum natiuum tum ſubſtantiam, tum accidens aut qualitatem eſſe aſſeras. Si partem aliquam ſubſtantiæ corporis noſtri (neque enim vniuerſum abſoluit) eſſe vis, vbinam repones? Num inter continentia, aut contenta, aut impetum facientia? Hæc enim tria vt ſcis, Hippocrates noſter recenſet: quibus omnia contineri vult, quæ in ſubſtantia corporis noſtri ſpectantur. atque ipſe τὰ ἴσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα καὶ τὰ ὁρμῶντα appellat. Calorem per ſe ex ſua natura accidens eſſe, nemo vnquam dubitauit. Et Galenus ipſe in explicatione 4. Aphoriſmi primæ ſectionis inter calorem ſeu caliditatem & calidum diſcernit: Illud enim meram qualitatem ſignificare affirmat; per hoc autem denotari, ſubſtantiam qualitate illa præditam. Ita ego quoque dixi: Calorem, ſubſtantiam admodum impropriè dici, & non niſi κατ' ἄλλο, quia ſcilicet calor iſte cum ſuo ſubiecto proprio, cui perpetuo inhæret, ſumitur, & ita propter aliud, cui iunctus eſt, ſubſtantiæ rationem habet. quid autem hęc, in quibus tanta eſt catachreſis, ad artē pertinent? Non communem loquendi ſeu vſum, ſeu abuſum conſiderari: ſed quomodo propriè res quęlibet appellari, & in qua claſſe ex artis præſcripto poni mereatur. Dialecticos nunc agimus, quibus vnice proprietas cordi eſt: non Rhetores, quibus longius euagari licet. Medicos porro non eo ſenſu logicos eſſe negaui, quo tu accipis: quaſi videlicet ἀλόγως omnino eſſe, ant ratione nulla vti velim. Sed logicas tantum illas diſputationes, quas ita etiam Galenus ſæpe appellat, ab vſu artis tanquam inutiles, vel ſaltem ſuperuacaneas remouendas cenſui. Cum enim Medici finis ſit agere ſeu operari, certum eſt circa particularia illum verſari debere, in quibus ſenſus dominatur, non ratio. Neque enim profecto hominem curat: ſed Socratem, aut Platonem. Hi cum indiuidua ſint: ſenſu percipiuntur, non ratione. Et vt rectius mentem meam intelligas, dico ratione finis principalis ſeu vltimi Medicos magis eſſe artifices ſenſatos, quam rationales. nempe quia ratio ſenſui inſeruit: non hic illi. in Theoricis ſcientiis contra ſenſus rationi ſeruit: quia illarum vltimus finis eſt ſpeculatio, quæ à ſenſu originem ducit. Sed in medicina ideo Theriacam partem diſcimus, non vt in ea tanquam vltimo fine acquieſcamus: ſed vt illa actionem ſeu operationem, propter quam omnia traduntur, dirigamus. Ita ratione finis principalis ſeu vltimi vna cum Galeno rectè aſſerui:

Medi-

Medicum eſſe artificem ſenſatum. Sic tamen ne rationem prorſus excluderem: ſed potius, vt omnino faciendum eſt, neceſſario includerem. Tu tamen hoc velut abſurdum reprehendis. Fortaſſe autem ſi rem recta reputabis via: ad opinionem, non tam meam, quam veritati ipſi conſonam accedes. Cum calidum (rectius quam calorem) innatum *σωματικὴν οὐσίαν* appellas: arbitror te magis proprie loquuturum, ſi *πνευματικὴν* noncupes. Siquidem naturalem ſpiritum, & calorem illum ſeu calidum innatum pro eodem Montanus, & alij plures accipiunt. Sed de his plura in præſentia non licet. Hæc ipſa prout in mentem, vel potius buccam venerunt, effudi, ac tibi ad corrigendum propono. In reipſa me non multum aberrare confido: in exponendo maiorem te elegantiam requirere arbitror. De terra ſigillata noſtrate quæ ſcribis, libenter cognoui. Fuit nuper per aliquot ſeptimanas nobiſcum autor illius, & mecum multa contulit. Molitur pręparationem illius magis artificioſam, & quæ Anwaldinam proxime æmuletur: quam nihil aliud eſſe iudicat, quam extractum terræ ſigillatæ certæ, & nequaquam ſimplex aliquod, ſed potius compoſitum. Ego quibus in partibus poſſum illum promoueo. Cogitat hac ipſa in vrbe deinceps terram ſuam parare, tanquam in illuſtriori loco: vnde facilius innoteſcere & in alias terras exportari poſſit. Miſimus aliquid illius in Italiam: & expetitur alibi etiam. In tremore manuum poſt vniuerſalia exhibeo ea, quæ caput & neruoſas partes roborare creduntur, quale eſt præcipue Diacorum, & extractum calami: extra autem tremulas manus foueo vino calido, in quo betonica, ſaluia, maiorana, roſmarinus, & ſimilia incocta ſunt, & penetrationis cauſa ſpiritus vini aliquid affundo. ita multis tremor paulatim remiſit, donec prorſus aboleretur, cætera quæ reſtant, in aliud tempus reſeruo: & te vna cum tuis bene feliciterq; valere exopto, Pragę Boiemorum, pridie Kal. Febr. Anno 85.

Extractum terræ ſigillatæ.

EPIST. CCXLI.

IDEM EIDEM.

FERIATVM iamdiu eſt inter nos à literario officio: vt ad ordinarias ſcribendi operas redire pæne videatur tempeſtiuum. Etſi quidē haud ſatis memini, quis noſtrum negligentiæ huic occaſionem præbuerit: quoniam tamen proximis tuis me iterum in aciem prouocas: breues haſce & tumultuarias remittere placoit. Pro votis tuis, quibus nuptias & coniugium meum piſſime & amiciſſimæ proſequeris, magnas gratias ago: & tibi ac tuis viciſſim omnia felicia & ſalutaria repręcor. Annus ſane iam abiit, & vnus inſuper menſis cum dimidio: nec tamen dum genialis lecti fructus apparet. nihilominus ſpem bonam fouere pergo, & me Homerico illo conſolor: ὄψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. Tu fortaſſe huc in certamine prioris abſtuliſti de quo tibi, vt debeo, gratulor. In epidemico morbo magnum vſum percipi ex Dioſcordio Fracaſtorei cum idoneis exhibito aquis. Dominus doctor Hermannus, qui nunquam Vratislauia pedem mouit, quam diu ibi peſtis regnauit, plurimum defert ſali abſinthiaco cum theriaca permiſto, quod putredini potenter reſiſtat, & naturales facultates aſtrictione ſua roboret, & tamen nihiloſecius inſigniter penetret ſudoresq; cieat. Curaui eodem illo tempore hic parari theriacam, quam Germanorum indigetaui: de illa aliquid tranſmitto, vt vires eius explores, ſimulque iudicium tuum ſignifices. Crede mihi tam valentem atq; Andromachi alteram expertus ſum: immo ei plus fido, cum ex eis conſtet potiſſimum quæ in noſtro orbe gignuntur, & à qua fraus omnis abeſt. Drachma huios tribus crucialibus conſtat, cum altera ſæpe quarta Ioachimici æſtimetur. Nigredinem aliqui deſiderant: ſed mangonium illud facile accerſiri poteſt chalcitide adiecta, aut ſucco prunellorum ſylueſtrium inſpiſſato, quod aliis magis arridet, permiſto. Plura in præſentia non licet. Differo igitur in occaſiones alias. Bene & feliciter vale cum tuis omnibus, quibus felix ineuntis anni noui auſpicium ex animo comprecor. Pragæ Boiemorum, pridie natalitiorum domini, inchoantis Annum 1587.

Contra peſtem.

Theriaca Germanorum.

Nigredo vt [illegible]

EPIST. CCXLII.

LAVRENTIO SCHOLZIO MED. &c. *Petrus Monauius Medicus Cæſareus* *S. D.*

NISI ex aliis indiciis, quo in te animo eſſem, hactenus perſpexiſſet: facile de illo ex tam diuturno & inuſitato meo ſilentio dubitandi occaſionem arripere poſſes. Verum vt ne illud facias, abs te amauter peto, chariſſime mi Laurenti: imo potius tarditatis aut negligentiæ culpam mihi imputes: quam vt de meo in te perpetuo ſtudio, vel minimum ſuſpiceris. Fuerunt certe non paucæ occupationes, quæ me invitum quoq; abſtraxerunt, quo minus tuæ voluntati, & meo deſiderio ſatisfacerem. Sed tamen vt ante migrationem ex hoc lo-

eo nihil plane ad te ſcriberem, committendum non puraui. Imperator quidem nudius tertius iam tum hinc mouit: quem ego ξὺν θεῷ intra biduum ſubſequar. Cum domino D. Hieronymo Micbaele heſterno die chartas tuas medicas remiſi: pro quarum communicatione tibi magnas gratias ago. Pleraque deſcripſi: quæ etiam mihi non diſplicent. Capouaccianas pagellas de cauteriorum adminiſtratione diu habere concupiui. Oſtēdi illas, dum hic eſſet, Woiſelio noſtro: qui de quibuſdam capitibus ſuas peculiares cogitationes mihi expoſuit. Illud pene pro derídiculo habuit, quod dicitur: Medicamenta purgantia etiam ſoris impoſita, & vnguentis, ſiue emplaſtris commiſta: tamen humorem proprium è corpore attrahere. Etiamſi hoc paradoxon plane videatur: ſalſum tamen & imaginarium non eſſe, & de aliorum experientia certus ſum. Noui enim prǫſtantem Medicum, qui id mihi hic confirmauit; ſeſe pluries id expertum: quādo talia verbi gratia, elleborum, agaricum, ſcammoniū, colocynthidem, externis quoque medicamentis adhibuit. Nam & ſic applicita partem aliquam peccantis humoris extrahere, & vt vulnera atq; tumores facilius percurentur efficere. D. Hoffmanni cōſilia libenter legi: atq; haud ſcio an non nimiam accurationem præ ſe ferant. Multitudo iſta medicamentorum, etiam optimorum, tamen ægrum perturbat, & ſæpe multum confuſionis parit. Crato noſter magno ſtudio hanc copiam ſubterfugere videtur. Si Medicus ipſe præſens adſit, ac pro variarum circumſtantiarum conſideratione curationem immutet, longe alia eſt ratio. Abſente illo ne hæc quidem ſuffecerint. Conſilia domini Cratonis quotquot habeo tibi deſcribi curabo, atq; iam tum huius rei initium feci. Dabo operam ne tu pauciora accipias, ſed potius plura, & tuis non inferiora. Lectiones communis præceptoris noſtri de morbis mulierum apprime videre geſtio: idq; propter methodum tractationis inprimis. Vt ipſe iſta deſcribas: abs te petere non auſim. Si tamen hoc oneris ſponte in te ſuſcipere voles: iam tibi αὐτόδωρον paratum eſſe noris. Accepi enim ex intimis ſcriniis domini Cratonis breuem quendam tractatum de morbis mulierum, tum ante partum, tum in partu; tum etiam poſt partum: quem ipſe in gratiam cuiuſdam generoſæ fœminæ de ſuis obſeruationibus congeſſit. Habes in eo libello, licet breui, pulcerrima medicamenta εὐπόριστα in omnibus ferme affectionibus, quæ fæmineum genus infeſtant: & non niſi éiuſmodi remedia, quæ ipſe pluries hinc inde expertus, & magnam inde laudem & gloriam conſecutus eſt. Deſcripſi ex ipſius autograpbo: & tibi viciſſim, ea conditione, quam antea poſui, mea manu deſcribam. Fortaſſe etiam alia quædam ſubſequentur, quæ ex myrethecio Cratoniano accepta nemini hominum hactenus communia feci, ſi prius, quomodo illa placeant, ſenſero. Aquam tuam ex ouis formicarum deſtillatam cum nuper Hebræo meo chymico oſtenderem: dicebat ſe quoque illam non ſemel paraſſe, ſed rutilam magis, quam tuam euaſiſſe. Vnde maius ἐμπύρευμα habere collegi. Venit nunc in mentem medicamentum quoddam: quo collega meus Neapolitanus magno cum ſucceſſu vt ſolet in ſuſpicione morbi gallici: aut in iis, qui ligni decoctū bibere recuſant. item in gonorrhœa virulenta, & ſimilibus caſibus. deſcriptio hæc eſt:

An electiue purgantia etiam de foris vſurpata electiue purgent.

Tractatus Cratonis de morbis mulierum.

Stillatitia ex ouis formicarum.

Puluis contra luem Veneris.

℞. Salſæ pariglię ℥ iij.
Cortic. ligni Guaiac. ℥ j.
Cinnamom. opt. ʒ j. ß.
Senæ oriental. el. ℥ ß.
Epithymi.
Rad. Ellebori an. ʒ ij.
Sacchari albiſſ. ℥ iiij.

Miſc. fiat puluis ſubtiliſſimus. Et diuidatur ʒ j. ß. pro doſi. Poteſt etiam omitti Elleborus & Epithym. Idem meus collega feliciſſime vtitur in pellendo calculo Radice ononidis, quam vulgo roſtam bouis vocant, ſuperiore cortice ablato, (in recentibus cortex relinquitur, & potiſſimas vires habet) internam medullam conquaſſat, ac deinde in taleolos diſſecat, & in idoneo liquore decoctas propinat. Potes tu quoq; ſi libet, periculum facere. Mittebat nuper ad me dominus Camerarius ſpecimen noui herbarij Theodoriani quod fortaſſe iſthic apud Cratonem vidiſti. Si finis principio reſpondebit: nihil ſimile in hoc genere hactenus editum eſt. Sed manum tandem de tabula. Bene & feliciter vale, mi chariſſime Laurenti, & in poſterum frequentiores à me expecta. Pragæ Boiemorum 15. Decemb. Anno 1581.

Bonum remed. calcul.

EPIST. CCXLIII.

IDEM EIDEM.

DE nona conditione valde tibi gratulor, amatiſſime mi Laurenti, neque dum rationes conſilij tui perpendo, cur illud improbare debeam, video, præſertim cum ea accedant commoda: quæ tu longa oratione recenſes; & ego nequaquam vilipendenda iudico. Pro communicatione conſiliorum domini Cratonis, tua manu deſcriptorum, magnas tibi gratias ago: ac omni-

omnino conabor vt par pari referam. Habeo enim ego quoque non pauca: ſed quæ Viennæ reliqui: & me ibi, cum eo venero, viciſſim deſcriptum promitto, imo pro intima amicitia noſtra hoc tibi ſanctè affirmo, nihil eſſe quod in mea poteſtate eſt, quod non tecum etiam cōmune eſſe velim, quandoquidem tu quoque tuorum nihil à me celas aut abſcondis. Eſt profectò aliquid peculiare, vt tu quoque rectè iudicas, in Cratonis noſtri conſilijs, quod in aliis ſimiliter non apparet. Nam & dexterrimè affectuum cauſas venatur, & inde indicationes elicit: ac tandem medicamenta ſuccincta ratione proponit. Non delectatur ita operoſis compoſitionibus, vt multi, qui aut ignorantiam ſuam hac ratione patefaciunt, cum ſine methodo temere plurima ſæpe viribus inter ſe pugnantia coagmentant, at certe oſtentationis gratia hoc faciunt, tum vt apud imperitos glorioſam aliquam captent tum etiam vt pharmacopæorum lucrum adaugeant. Sed iſtos ſinamus & meliores magiſtros nobis ad imitandum proponamus, quos nunquam hoc agitaſſe certum eſt. Quod de Cratonianorum medicamentorum, quorum deſcriptiones ad te miteram doſi & facultate quæris: ſcias me non omnibus vſum eſſe, ſed pleraſque ita vt in officinis reperi deſcribere ſatis habuiſſe. Electuario tamen de Macis in corroboratione principū partium, cerebri nempe & cordis vtitur: ſicuti electuario caryophillato innentriculi, poſt longos morbos, imbecilitate. Confectionem de ſtyrace, aut pillulas de laudano, in quibus caſibus vſurpet, ignorare me fateor. Licet tamen facile aliquid colligere: ſi ingredientium vires & poteſtates expendas. Diacodii idem eſt vſus, qui & aliorum compoſitionum, quæ hoc eodem nomine inſcribuntur, & in diſpenſatoriis paſſim extant: nempe in tenuibus fluxionibus ad aſperam arteriam, & in pulmones cumprimis, quæ huius exhibitione incraſſantur, & ſiſtuntur item ad ſomnum conciliandum, & in ſimilib. aliis caſibus. Confectione de Rhabarbaro in bilioſis corporibus, & hepatis obſtructione laborantibus vti conuenit. Rotulas inde mediocris magnitudinis parare iubet, de quibus ſingulis matutinis ad aliquot dies duas aut tres deuorare iubet. Eſt valde vtile & ſuaue medicamentum in delicatis: & qui fortiores euacuationes ægre ferunt. Mouet vnam atque alteram ſedem præter conſuetas & naturales: ſed ſine moleſtia. Capouaccii noſtri lectiones de morbis mulierum tum exſpectabo, quando tibi eas deſcribere, & mihi tranſmittere commodum viſum fuerit. Ego tibi

Singularia[?] *in Cratonis conſiliis. Simplicitas remediorum.*

El. Macis Caryophyllati vſus.

Diacodium.

Conf. Rhab. barb.

interim ἀντιδώρου loco ea quoque mittam, quæ pollicitus: Cratonis nempe noſtri quędam in ſimili argumento, quæ quin tibi grata futura ſint nequaquam dubito. Pulueris quem collegę meo familiarem eſſe dixi, deſcriptionem pro intentione occurrente tibi mutare, & propoſito caſui accommodare non erit difficile. Senæ plus minus ſumere potes. Interdum etiam Elleborum prorſus omittere. Vſus erit illius vbi vel ſemina ſunt morbi gallici, vel illius reliquiæ quędam reſtant. Non opus eſt tam accurata victus ratione, vt in cæteris qui decoctum bibunt ex profeſſo. Si mane horam vnam, aut paulo plus in lecto ſudare poteſt, ſufficit. Inde ſudor diligenter detergeatur. In publicum prodire, niſi aer valde auſtrinus aut borealis fuerit, licet. Cæteroquin in omnibus mediocritatem ſeruare vtiliſſimum eſt. Sed vſus ipſi rationi coniunctus hæc rectiſſime docebit. Radicis ononidis cortex exſiccatus exhibetur ad drachmam vnam plus minus cum vino. quod ſi acrimoniam metuis, propinetur cum aqua maluarum. In decocto ad ʒ iij. ad ℥ß. aſſumere innoxium eſt. Pręcedant tamen materiarum communiū diuerſiones per enemata, aut per exhibitionem terebinthinæ cum Rhabarbaro, cuius aſſumptione etiam viæ vrinariæ, ad commodius excludendum calculum, laxantur. Hiſtoriolam de rubea noſtra abs te confectam lætor. Rem gratiſſimam facies domino Camerario, & me ſimul hoc faſce leuabis. Exquiram tamen ipſe etiam domini Camerarii de illa iudicium. Fortaſſe non male faceres, ſi etiam domino Cratoni legendam exhiberes. Vbi Viennam, Deo volente, peruenero, ea quæ vis apud D. Acholzium tuo nomine efficiam. Spero autem nos intra dies abhinc quindecim illuc appulſuros. Illinc in Auſtriam ſuperiorem proficiſcemur, & demum quod fęlix & ſaluiare Deus eſſe iubet, Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ ad Auguſtana comitia. De cæteris alio inter nos conferemus tempore. Tu bene & feliciter cum tuis omnibus viue & vale. Poſonii Pannoniorum, 4. Februar. anno. 1582.

Pul. Gall. cur mutari poſſit.

Doſis rad. ononidis in calculo.

Sequitur deſcriptio eorum medicamentorum, quorum in hac epiſtola mentio facta eſt:

Electuarium de macis.

℞. Macis in aceto per horas xx. præparati ℥j.
Extracti ligni aloes ʒß.
Theriacæ Auguſtan. ʒ iij.
Sem. citri excortic. ℥j.
Conſer. è fl. borrag.
Cortic. citri condit. an. ℥j ß.

Miſc.& cum ſyr. de corticib. citri q.ſ.f.
Electuarium.

Electuarium caryophillatum.

℞.Conſer.roſar.rub.℔.ß.
Spec.aromatic.roſac.Gabriel.ʒ ij.
Caryophill.inciſ.ʒ ij.
Ambræ el.℈ß.
Miſc.& cum ſyr.de cortic.citri q.ſ.f.
Electuarium.

Confectio de ſtyrace.

℞.Paſſular minor.ʒ vj.
pulu.liquiritiæ ʒ j.ß.
Ligni aloes.
Nucis coodit.
Cinnamom.a ℈j.
Styrac.calamitæ ʒ ß.
Boli armen.℈ij.
Miſc.& cum ſacch.albiſſ.in aq.violar.
diſſol.℥.v.f.conf.io morſulis.

Pillulæ de Laudano:

℞.Laudani puriſſ.ʒ ß.
Trochiſcor.Albandal.ʒ iij.
Maſtich.ʒj.
Maſtix & laudanum ſuper carbones in mortario calefiaot, & diſſoluantur, deinde Trochiſci cum Electuario de ſucco roſarum ʒ ß. incorporeotur, ac add.parum ſyrupi roſac.ſolut.f.maſſa.ſ.a.

Diacodion:

℞.Capit.papauer.alb.numero xx.
Siliquar.pingu.& enucleat.℥ ij.ß.
Glycyrrhizæ,
Myrtillor.an.℥j.ß.
Rad.tuſſilag.℥j.
Decoq. in lib.x.aq. donec tres remaneant, & adde ſacchari penid.℔.j. Coquantur ad ſpiſſitudinem mellis currentis.

Confectio de Rhabarbaro:

℞.Rbabarbari el.pul ʒ ij.
Extracti Rhabarb.℈j.
Miſc.& cum ſacch.albiſſ. in aq. ſimplici diſſol.℥ vj.f.cōnf.in rotulis.

EPIST. CCXLIV.

IDEM EIDEM.

ET tuis & meis occupationibus fit, vt rarius ſcribamus inuicem. hoc tamen amicitiæ noſtræ aliquid derogare minime decet. Quas itaque mēſis Iunii die vigeſima ad me dediſti: eas vndecima ſequentis menſis rectè accepi Auguſti Rheticorum in ipſis comitiis. Pro tranſmiſſis iis, quæ in lectionibus Bucephali noſtri περὶ μεθόδων γλωσσικῶν reliqua erant, tibi magnas gratias ago: & referre etiam in ſimili officiorum genere ſtudebo. Res quas tractat præclaræ ſunt, & maxima doctrina refertæ, experientiaque diuina ſatis ſuperque comprobatæ: ſed genus ipſum dicendi pæne horridum eſt: atque ſæpe adeo obſcurum, vt vix ab ipſo autore intelligi credam. quo in genere quantum Italis Galli, & hos imitati Germani nonnulli Medici ſuperiores ſunt, cuius manifeſtum eſt. nec immerito ſapientiſſimus autor Thucidides hæc duo in viro politico coniungit, nimirum γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα *Viri politici requiſita.* id quod etiam in cæteris profeſſionibus locum habet. Res certe ipſæ nominibus inuoluuntur: Quæ ſi ignota ſunt & obſcura, qua ratione perſpicue & clare percipi & tradi poſſunt? Verum de his ſatis. Communicaui tibi ex penu mea viciſſim Cratoniana quædam: quæ tibi non ingrata eſſe puto. haud dubie fratre meo curante iamdudum illa accepiſti. In præſentia particulam epiſtolæ eiuſdem Cratonis tibi tranſmitto, qua tribus meis quæſitis ſatisfacit. *Frangula.* Quorum primum eſt de cortice fraogulæ, cuius decoctum Pharmacopœus quidam Pragenſis mihi ... tulit D. VVillebrochium ſolitum propinare patientibus ſuis: vt de euentu morbi certior eſſet. Macerabat autem corticem illum per quintiduum, poſtea de infuſione propinabat ℥ iij. circiter: & ſic explorabat num æger morbum eſſet euaſurus, nec ne. quibus tamen indiciis iſtud cognoſcebat ignoro. Vides quid Crato noſter ea de re ſentiat. Alterum ζήτημα erat de præparatione humorum ante expurgationem: quamnam methodum ille vſurpare ſoleat, cum rariſſime in illius euacuationibus eiuſmodi decoctiones, aut ſyrupos, quibus vulgo Medici vtuntur, viderim. In reſponſo illius quædam deſidero, quæ per te animaduertere potes. Ac niſi longiuſcula eſſet, meam quoque epiſtolam, quam illius oppoſui, ad te mitterem. Sed audiam prius quid tibi in mentem veniat: vt vberior inter nos conferendi ſuppeditur materia. Tertium quæſitum erat de opere quodam Franciſci Valleſii Medici Hiſpani, quod de controuerſiis Medicis in ſcribit. Hic liber præſtantiſſimus nunc opera Cratonis denuo recuſus eſt in officina Andreæ VVecheli Heredum, & per me quoque à multis mendis repurgatus, vt in præfatione præmiſſa videre licet. Adiunxi autem præter ἀποδεχὰς Cratonianas etiam aliud quoddam ſcriptum de vtilitate Rhabarbari: quod à ſummo quodam viro Auguſtæ mihi communicatum eſt: cui D. Adolphus illud clam obtulit. Cupio ſcire quid tibi de eo videatur. Auguſtæ cum eſſem, cum multis præſtantiſſ. Medicis principum & ciuitatum notitiam contrahendi occaſio data fuit: quæ me adhuc delectat: & in multis nō mediocriter profuit. Vellem

te quoque interdum adfuiſſe cum cõſultationes ſiue publice ſiue priuatim haberentur. Inter cæteras autem iucundiſſima mihi fuit conſuetudo optimi Camerarii noſtri, quem antea de facie non videram, & cum quo totos ſæpe dies continuo tranſegi. Aderat deinceps ibi quoque D. Paulus Lutherus, D. Kolreuterus. D. Poſtius, D. VVierus, & alii quam plurimi, quos longa referre mora eſt. Taceo de Auguſtanis D. Luca Stenglio, D. Adolpho Occano, D. Scheurlino, D. Zanlio, & aliis publice notis. Vno verbo dicam: *μυρμηκία ἀγαθῶν ἀνδρῶν ϗ ἀγαθῶν ἰατρῶν* illic conuenerat. D. Frid. Sebiſcium ſi quando ad illum ſcribes meo nomine amãter ſalutes. Inter cæteros præclaros libellos Medicos, & diu à me deſideratos, quos Auguſtæ æquiſſimo precio emi, etiam Herbarium quoddam viuum eſt, magna & accurata diligentia collectum, quod etiam D. Aeholzio, cui nudius tertius oſtendi, placuit. Velim tibi quoque inſpiciendi facultatem dare, ſi fieri poſſet. Sed quod locorum intercapedo prohibet: aliis rationibus compenſandum eſt. Corollarii loco electuarium quoddam tranſmitto, quod in obſtructionibus viſcerum maximo vſui eſt, & præſertim in morbo virgineo ab Hippocrate vocato. Communicauit autem mihi illud ducis Bauariæ Medicus præſtantiſſimus, & ſe multa centena eo lucriſeciſſe dicebat, & fere domi ſuæ, ne innoteſcat parare ſolere. Hæc autem eſt deſcriptio ex illius *αὐτογράφῳ*:

Electuarium de chalybe.

℞. Limaturæ ferri electi ſeu chalybis ℥. Molatur ſuper porphyrite ſubtiliſſime cum aceto, deinde ſiccetur ad ſolem aut ignem, & ſic ſepties iteretur.

℞. Limaturæ ſic præparatæ ℥ vj.
Cinnamomi.
Nucis condit æ an. ʒ iij.
Rhabarbar el. ʒ ij.
Spe. aromatic. roſat. ʒ vj.
Mellis optimi,
Sacch. albiſſ. el. an. ℔. j. ℥ j.

Miſc. cum lento igne, & f. Electuarium, Qui hoc Electuarium aſſumit exercitio vtatur, *Δόσις* ſit inſtar caſtaneæ, vel ℥ ß Præcedat autem purgatio vniuerſalis. Poteſt vti ad dies xxx. vel xl. Vidi libellos quoſdam à D. Salomone Alberto nuper foras datos: qui mihi valde placent: ob rerum & verborum bonitatem. Soletne etiam tecum per literas communicare? Miſiſti ad me aliquando deſcriptiones quorundam medicamentorum Cratonianorum: cum mea in hoc genere tibi inſpicienda prius dediſſem. Eam chartam amiſi, aut ſaltem alicubi latitantem reperire non poſſum. Rogo igitur vt denuo ad me deſcripta mittas. Conabor par pari referre. De cæteris alias. Peſtis in vicinia graſſans, & totam fere Bohemiam depopulata nobis etiam minari incipit. DEVM precor vt eam à noſtris ceruicibus clementer auertere velit. Bene & feliciter vale, & ſalue amice integerrime. Vienna Auſtriorum, 20. Octob. an. 82.

EPIST. CCXLV.

IDEM EIDEM.

BINIS mihi literis tuis ſatisfaciendum eſt: quarum alteras menſe adhuc Nouembri anni proxime elapſi accepi: alteras ante dies plus minus quinque. Vt autem hanc meam tarditatem æquo animo feras, amanter oro: Et potius meam accuſes negligentiam, quam vt illa me ex parte tui oblitum eſſe ſuſpiceris. A morbo meo arthritico, poſtquam ſemel repulſus diſceſſit, immunis fui per Dei gratiam hactenus. quia tamen facile fieri poſſet, vt ſtato tempore reuerteretur, præſertim cum nobis in aula degentibus non ſemper temperatiſſimis eſſe liceat, omni cura in præcautionem incumbo, & intra paucos dies poſt venæ ſectionem etiam corpus expurgare in animo habeo. Hæmorrhoides vt denuo fluant, mitioribus pharmacis impetrare nequeo: fortiora autem exhibere aut applicare multis de cauſis vereor præſertim cum etiam ſanitatis tempore alioquin immoderatius promanarint: ac ſæpe maior labor ſit in ſiſtendis ſuperfluis, quam in parcioribus irritandis & prouocandis. Electuario de hiera vtor frequenter ſub ipſum cœnæ tempus, & mihi multum conferre ſentio, ipſæ tamen hæmorrhoides aloes permiſtione, vt antea fieri memini, ſe ad fluxum permoueri non patiuntur. Supplent interim vicem cucurbitulæ ſcarificatæ, quas ſupra genu collocare ſoleo. Sympto ma illud meũ, quod mihi moleſtum fuiſſe noſti, iã à biennio ſere integro, & amplius nõ recurrit. Vtinam plane emaneat, & ad extremos Garamantes relegetur. Conſilium Cratonis in hoc caſu ad me ſcriptum, vna cũ aliis nonnullis proxime admiſſurus ſum: non enim in præſentia deſcribere vacabat ſignificabo etiam quid in me ipſo expertus, ac quibus potiſſimum adiutus ſum. Vero tamen id vſurpare poſſum, quod alicubi apud Gregorium Naſſianzenum legitur: Fuiſſe hanc curationem potius *ψυχῆς ἔργον ἢ φαρμάκων*. etſi quidẽ remediis ex arte adminiſtratis ſi piæ preces adiungãtur, ita ſæpiſſime Deus benedicit, vt ſalutarem euentum ſortiantur. Quæris de virib. terræ noſtræ ſigillatæ Sileſiacæ. Ego vero nullam hactenus peculiarẽ in illa facultatem ineſſe, deprehendere potui,

Cucurbitulæ vice hæmorr.

Vires terræ ſigillatæ.

quæ de dolore oculorum & ſiſtendo ſanguine Camerararins refert: ea à manifeſtis qualitatibus dependent. Ac non tantum hāc noſtram, ſed terram quamuis hoc præſtare crediderim. Certe enim emplaſticam vim, & adſtrictoriam omnes in vniuerſum obtinent: etiamſi ratione puritatis, aut compactionis ſeu denſitatis certos gradus habeaut. In dyſenteria & aliis fluxionibus ea lubentius, quam bolo aut ſphragide lemnia vti malim: rurſum in peſte & aliis febribus malignis longe hanc illi præferre velim. Potes aſpicere quæ Galenus in 9. ſimpl. de terris omnibus in genere ſcribit; quæ item de hæmatide peculiariter refert. Cum in patriam nuper exſpatiatus es: ſcire velim an etiam Cratonem noſtrum inuiſeris. quod ſi neglexiſti, haud recte abs te factum aſſero. Denuo ſe ad conſultationum ſuarum medicarum editionem accingit, & Weindrichio noſtro munus illas colligendi, & deſcribendo in ordinem redigendi aſſignauit. Ego ἐργοδιώκτου officio fungor. Et currenti, quantum licet, calcar addo. Herbarium illud viuum, quod Anguſtæ comparaui, vulgares maxima ex parte plantas continet, raras valde paucas. Impetrabam nuper à Cluſio noſtro: vt ſi quæ falſæ noménclaturæ appoſitæ eſſent, eás corrigeret, & pro ſuo iudicio veras ſubſtitueret. quod etiam in mei gratiam fecit haud inuitus. Electuarium de chalybe tibi placere lætor. Extant & aliæ deſcriptiones paſſim in antidotariis, & præſertim vna quæ Rhaſi attribuitur: ſed hanc cæteris ſelectiorem eſſe apparet. In viſcerum, lienis maxime obſtructionibus magnam vim poſſidet. Etiam feminis & virginibus decolorib. recte datur. Feci & ego in vna atque altera periculum. Epiſtolam tuam ad Dominum Willebrochium mox altero die curaui: & ipſi equis diſpoſitis ſummo præfecto in manus dedi. Si quid reſponſi accepero, continuo ad te miſſurus ſum. Additi meas quoque litteras, cum hæc ſcribendi occaſio offerretur: & de nonnullis ex eo quæſiui. Reſponſum tecum itidem communicaturus ſum. Vnguentum viride cuius mihi ſpem facis, videre cupio. Quę de viribus Rhabarbari tranſcripta mittis: ſignifices velim à quo habeas, aut vnde acceperis Cratonicum quid redolent: qui & ipſe huiuſmodi confectionem è Rhabarbaro in vſu habet. Venio nunc ad ea quæ cum hiſce literis ſunt. Habes in primis conſilium Cratonis noſtri de præcautione in peſte Latine conſcriptum, cuius in ſuperioribus meis ad te memini. Conuertit autem illud ipſe in vulgarem linguam. & quædam ſuis locis immutauit, correxitque: quod & ipſum tecum commune facere placuit. Sunt deinceps theſes de peſte, quas in domini Camerarii gratiam confecit; & denuo emendauit. itaque vt hoc modo ad ipſum Camerarium deſcriptū mitterem rogauit. Præter alia hoc nouum in illis eſt, quod peſtem duplicem, publicam nimirum & priuatam facit, & quod in curatione ſuam quandam peculiarem methodum ſequitur. Quid per ambram griſeam quæ ſulphuris colorem referat, intelligat: non aſſequor. Quæ apud nos in precio habetur, cinereum colorem habet, aureis quibusdam punctis micantibus interſtinctum. Vnde & chryſea ſeu vt vulgo loquuntur, griſea appellatur. *Ambra griſea rara.* Reſponſionem illam ad quæſtionem meam: An durantibus doloribus arthriticis euacuatio molienda ſit: tibi non ingratam fore confido. Adieci aliam ἀπυδο-χὴν ex iis literis, quas ante triduum modo accepi. *Arthritis cura.* Tuum de his iudicium expecto. Dum feroſum humorē principem cauſam iſtius affectus facit, Fernelio plane adſtipulatur. Ad quam ſententiam etiam accedit Ioh. Siluius Inſulenſis: qui de hac re peculiarem commentarium edidit. Cuius inſcriptio eſt: De articulari morbi curatione tractatus 4. Propoſitum eius eſt, ad vſum practicum accommodare ea, quæ in Theoria Fernelius de iſtis fluxionibus tradidit. *Sir. incraſ. initio fluxionum proſunt.* Ego quoq; ſæpe expertus ſum: inchoantibus iſtis defluxionibus, valde vtile eſſe exhibere ſyrupos illos modice incraſſantes, vtpote ſunt de liquiritia, de roſis ſiccis, de iuiubis, & ſimiles, cum aquis accommodatis: præſertim autem in bilioſis naturis: in quibus humores acriores ſūt & ſubtiliores, & ideo ad fluxionem magis apti. Præmitto tamen bolum aliquem ex caſſia, Tamarindis cum ſcrupulo vno vel ſemidrachma Rhabarbari pulueriſati: quibuſdam valde multum profuit. Hydrotica in præcautione proſunt: non in curatione. Sic enim magis ad articulos humor ſubtilis deturbatur: niſi fortaſſe in declinatione morbi, corpore iam à craſſis humoribus repurgato. Ad extremum addidi integram curam, qua feliciter vſus eſt Efromus noſter in paralyſi poſt colicam: qui morbus in iſtis terris, Auſtria nimirum & Morauia, valde frequens eſt, adeo vt fere nulli colici fiant, quin paralytici euadant. Modum præcauendi hoc malum in 4. parte Antipatacelſ. D. Eraſti legere potes. Aſcripſit Efromus ferme vbiq; quo cum ſucceſſu ſingula vſurparit, & ego ex eius autographo hæc conſignaui. Vt autem vberius etiā me tibi gratum oſtendam pro tot communicatis remediis, en ἀπόρρητον quoddam ſingulare in producēdis capillis vbi illi deciderint. *τριχοποι-όν*

Sume

Sume ſpumam carnis bubulæ nõ valde pinguis, vel potius macræ in aqua decoctæ & illam collige in ollulam mundam, poſtea loco depili reddito, inunge. Poteſt etiam aliquid mellis addi, vt craſſiorem conſiſtentiam adipiſcatur. Sed mihi magis placet priori modo adminiſtrari: ne propter lentorem pori cutis, vnde pili erumpere debent obſtruantur. Ego nuper admodum in quodam cui ſuperciliorum pili ex morbo omnino deciderant feliciter vſus ſum. Accepi autem à D. Stromero, qui mihi hocquoque pſilotrum communicauit:

Pſilothrũ.

℞. Calcis viuæ ℥ iiij.

Auripigment. ℥ j.

Cum lixiuio commiſceantur in formam vnguenti, vtatur eo æger in balneo cum ſudare inceperit, & vltra octauam horæ partem illitum non relinquat, tantiſper ſcilicet, donec crines euelli incipiant. Poſtea aqua trepida locum abluat: aut, quod ſatius eſt, lacte calido, ne quid exulcerationis in cute relinquatur. Aiebat etiam ſe ſucco hyoſcyami in eundem finem vſurpare. Vnum ſi in præſentia addidero, finem ſcribendi faciam. Communicauit mihi quidam amicus meus, medicinæ Doctor, ſingulare quoddam experimentum in quartana, quo ſe quam plurimos reſtituiſſe gloriabatur. Eſtque hoc: Accipe cor leporis ita præparatum, vt pulmo vulpis præparari ſolet, poſtea diuidatur in tres partes æquales, & patienti paulo ante paroxyſmum, aut etiam in ipſo paroxyſmo cum vino detur. Continuetur hoc tribus vicibus, vt dictum eſt. Et 4. paroxyſmus prorſus emanebit. Tu ſi libet, huius rei periculum facere poteris: ego ab eo tempore nullum quatnanarium habui. Vidi nuper libellum Medici Galli Chriſtophori Landrini, Germanice conuerſum per Hieremiam Martium Medicum Auguſtanum: in quo plurima εὐπόριστα, remedia ex vtiliſſimis rebus, in primis vero ab excrementis animalium petita, traduntur contra morbos grauiſſimos & periculoſiſſimos. Statim emi & auide percurri: ac quidem eum ipſum eſſe puto, quem te olim apud D. Salomonem Witebergæ vidiſſe, ſæpe dicere memini. Ita enim excrementorum vſum extollit, vt fere ab his ſolis aduerſus præcipuos morbos remedia ſumat. Niſi antea habes: non dubito quin illum pro re comparaturus ſis. Chartas pauciſſimas habet, & adiectus eſt ad librum ſecretorum Gabrielis Fallopii, qui inſcribitur *Kunſtbuch*. Hæc volui neſcius ne eſſes. Cætera quæ reſtant, in aliud tempus reſeruo. Bene & feliciter vale, chariſſime mi Scholzi. Reſalutant te Dom. Cluſius & Aicholzius. Viennæ Auſtriorum, 11. Martii: ipſo nempe æquinoctii verni die, Anno 1583.

Secretum pro quartana.

Euporiſta [illegible] excrementis animalium.

EPIST. CCXLVI.

IDEM EIDEM.

INſtitueram ad te bene longam epiſtolam, chariſſime mi Laurenti, cum idoneos homines, qui eam ad te perferrent, nactus eſſem: ſed crede mihi, ita nunc occupatus ſum vt totam diem circumcurſitando, & ægros viſitãdo inſumam, nec quicquam vacui temporis ad ſcribendum mihi relinquatur. Ad poſteriores tamen tuas, quas ante paucos dies accepi, vno atque altero verbo reſpondere placet. Quod ad eum caſum attinet, in quo D. Acholzii conſilium expetis: ſententiam is ſuam miſſa ſchedula in hæc verba expoſuit. Procul dubio caro illa ſpongioſa per orificium prominens, pinguedo quædam fuit, glandoſa & durior facta à collecto craſſo quodam humore articulo tam diu diſtorto. Cum vero illa non cedat aſperis medicamentis impoſitis: ſuſpicor ne canceroſum quiddam contrahat. Proinde mitius vlcus tractandũ exiſtimo: ne aliena intemperies vehementium vſu parti illi concilietur. Quieſcendum vero ſemper: aut crure eleuato ſedendum illi, dum curatur. Ambulandum certe nunquam. Hactenus ille. Quamuis autem in ſpecie medicamentum nullum proponit: à præcipitati tamen vſu abhorrere non ſenſi: modo is ita adminiſtretur, vt nimia acrimonia auferatur: id quod fiet ſi aliquoties in aq. roſar. plantag. & demum cardui bened. lauetur. Poſſunt etiam circumponi defenſiua, vt vocant: ne malignitas longius ſerpar, & ſanas partes occupet, alioqui mitiora adhibenda, quæ natiuam parti temperiem, quantum fieri poteſt, reſtituant. Cætera tu pro iudicio tuo gubernare ſcies. In primo caſu, quem mihi proponis, omnino Guaiaci decoctum, cui ſub finem radices cichorii, herba agrimonia, & iua adiunctæ ſint, conuenire exiſtimaτem. Saſſafras vix apud vos haberi puto. Vſus tamen ſum eo hactenus non ſemel, etiam in arthriticis affectibus. De quo plura in præſentia non licet. De Chriſtophori Landrini libello idem pæne ſentio, quod tu. Et ſcis quid Galenus ipſe in hanc ſententiam ſæpius ſcribat. Ad ruſticos & muliones, item veterinarios medicos illa relegemus: quoties meliorũ & his non infirmiorum copia ſuppetit. Non enim, vt recte Diocles ait, tantum cito & tuto, ſed iucunde etiam curandũ eſt. At quid in his eſt iucunditatis obſecro: Niſi nos ſcarabeos eſſe velis, qui fimo delectantur.

Præcipitato acrimonia auferatur.

aut eū veteri comico σκατοφάγυς ϗ ὑροπότας, in conuicio appelles. Cæterum in præſentia vnum ex libris abs te mihi communicatis remitto: quem mox conſequetur alter intra dies non multos. Curaui mihi deſcribi, quæ in eo deſiderabam: ſupereſt duntaxat, vt relegam, & lacunas alicubi, ob librarii imperitiam relictas, expleam. Oro vt tarditati meæ veniam des. Pro more vero noſtro conſiliū quoddam à domino Cratone nupertime conſcriptum adieci. item alterius cuiuſdam medicamenti deſcriptionē: quo ſe mirificas curationes obiiſſe dominus D. Stromerus teſtatur. Ait plus quingentis florenis ſibi conſtitiſſe. Ego vix magnis pre- *Preparatiß.* cibus extorquere potui. Habes etiam medicamenta duo excellentia in paralyſi, vel cōtractu poſt colicam:

℞ Rad. Vrticæ m. iij.
Iuæ artheticæ. m. ij.
Baccar lauri,
Saluiæ,
Rutæ,
Roriſmarin. ana m. j.
Gran. Iuniper. m. j. ß.
Incid. & dentur ad chartam pro balneo.

℞ Pingued. taxi.
vulpis,
gallinæ,
anatis,
anſeris,
ciconiæ, ana ℥ j.
Succi ſaluiæ,
abſinthii inſpiſſat. ana ℥ ß.
Ol. laurin. ℥ ij.

Miſc. f. vnguētum, quo inungatur poſt balneum: ſunt & hæc Æſculapii noſtri. Cætera in aliud tempus reſeruo, & te cum tuis ex animi ſententia valere cupio & opto. Vienę Auſtriæ in ſumma feſtinatione, dię 8. Auguſti, anno 1583.

EPIST. CCXLVII.

IDEM EIDEM.

Recte accepi, quæ veſtrates iſti mihi abs te attulerunt omnia: tibique pro eorum communicatione magnas ago gratias. Ignoſces tamen quod eadem, vt voluiſti, nunc non remitto. Crede mihi, tantum vacuit tēporis, vt attente illa ſaltem relegere poſſem, mihi conceſſum non eſt. Vrgent me ægri haud pauci; quos deſerere, aut negligentius tractare minime cōuenit. Dyſenterię epidemicę hic multos affligunt. de quibus hæc verba heri ad me ſcribebat Æſculapius noſter: peſtilentes alui fluxio- *Dyſenteria epidemica.* nes frequentes in Auſtria animaduerti. Ad præcautionem conſeruam roſarum veterem cum mithridato dedi. In curatione ad præpotentem cauſſam reſpexi. Statim papyrum mithridato illitam ad vmbilico, vel ventriculo appoſui. Clyſterem ex decocto hordei in iure carnis veruecinę cum radicibus tormentillæ, & vitello oui ſemi cocto per clyſterem inieci. Pueris puluerem è zedoaria, margaritis & terra ſigillata dedi. addidi interdum tragacantham. Multos beneficio Dei ſeruaui. Ab iſtis magnis compoſitionibus enematum, lacte vitulato, & cæteris nugis abſtinui. Facile læduntur in teſtina: & ne lædantur adhibitis clyſteris cautio eſt. Vides illū ſtudioſe inſiſtere Mōtanicæ methodo, & ab omnibus adſtringētibus in hoc morbo abſtinere, vixq; admittere emplaſtica. haud tamen ſcio an auctam fluxionem hac ratione abigere liceat. Itaq; vel inuiti ad adſtringentium vſum interdū cogimur. Tibi, quid hac in parte videatur, ſcire velim. Noſtram Sileſiacam bolum facile ſigillo lemnio, quale quidem ad nos adfertur, in hoc caſu prætulerim. Multo enim vim emplaſticam maiorem habet. D. Carolus Oſlerius iam duodecimum diem hic agit. Vocatus eſt in aulam: vt operam ſuam ei collocet. Credo in collegium noſtrum aſcitum iri. Mecum interim habitat, & communi conuictu vtitur. Libros tuos manuſcriptos dabo operam vt quamprimum recipias. Male facio; quod illorum fructu te tam diu priuem. Non habui quorū opera in deſcribendo vterer: & ego hac in re paullo ſum negligentior. Sed de his & aliis plura proximè. Nunc ne præſentem occaſionem negligam cautio eſt. Bene & feliciter vale, chariſſime mi Laurenti. Viennæ Auſtriorū 22. Auguſti, anno 1583.

EPIST. CCXLVIII.

IDEM EIDEM.

Scripsi nuper ad te cum legatis reipub. veſtræ: verum breuius & ſuccinctius multo, quam vel tu à me deſiderabas, vel ego etiam ſponte mea cupiebam. Accidit illud propter eorundem legatorum veſtrorum, non quidem feſtinationem ſed, tamen abitum opinione mea celeriorem, quando alias in aulis, peregrinos cito expedire, & ad ſuos tempeſtiue remittere (quod illi vnice optant) non adeo vſitatum eſt. Librum vnum Capouaccianarum commentationum de venenis, quem illis perferendum dederam, te recte accepiſſe confido, vna cum aliis quibuſdam, quæ tum ad manum erant, chartis medicinalibus. In præſentia à fratre meo alterum recipies: in quo

in quo lectiones de lue venerea, de vitiis ſanguificationis, de morbis ſeu affectibus capitis potiſſimum, continentur. Oro te autem, optime mi Laurenti, vt huic meæ tarditati, quæ etiam merito in reprehenſionem incurrit ignoſcas; & pro tuo libitu pœnam quam libenter ſufferam, imponas. Nihil aliud eſt, quod æque inuitus faciam: quam ſi in tranſcribendo occupatus eſſe debeo. Poſtea tamen nactus ſtudioſum quendam medicinæ, popularem noſtrum, cum ſe proceribus quibuſdam per me commendari cuperet: ei interim in hoſpitium meum recepto hoc laboris dedi; vt quicquid reliquum fuerat, in lectionibus illis capitalibus, deſcriberet. quibus corrigendis meam deinceps manum admouerem, neceſſe fuit. Commentarium de venenis perlegi tantum; non quoque deſcripſi. Iam enim ſæpius ipſe dominus Capouaccius, ſe illum correctum & augmentatum in lucem editurum promiſit. Prælectiones de morbis oculorum & aurium eiuſdem adhuc mecum habeo: omninoque operam dabo; vt cum primum volente Deo, Pragam peruenero, tibi illarum vſu diutius carendum non ſit. De reliquis, quæ in myrothecio tuo ex Capouaccianis κειμηλίοις poſſides, poſterius agemus: ne me nimium procacem appelles: aut illud in me torqueri poſſit, quod apud Epigrammatarium eſt: nam turpe eſt ſemper ſumere, nilque dare. Ego ſane quid hoc in genere tecom communicem non reperio. Pagellas tamen nonnullas libro tuo addidi, quarum fortaſſe lectio & meditatio tibi non ingrata erit. Iam ad capita Epiſtolarum tuarum accedo: quibus tetnis, ni fallor, mihi adhuc perſoluendum eſt, ſi illud demas, quod cum legatis veſtris quaſi cutſim ad te ante perſcripſi. Morbus arthriticus ex quo me ſemel abſoluit, nunquam hactenus per DEI gratiam rediit. Vtinam etiam in poſterum emaneat, & ad extremos Garamantes æternum relegetur. Mones tu recte, prudenter, atque etiam pie, vt exquiſitiſſimam victus rationem feram, nec recidiuæ, intemperantia mea, occaſionem præbeam. Puto ego quoque id faciendum eſſe, & facerem omnino, ſi meo arbitratu res ageretur. Sed memineris me in aula verſari: præterea inconiugatum eſſe: vt velim nolim limites diætæ Medicæ interdum tranſilire cogar. Multa certe, vt Cicero venuſte inquit: Dantur amicis, multa temporibus, multa etiam locis. In hac igitur ſeruitute, dum multorum me ingeniis accommodare oportet, (niſi extreme ἄγροικος atque inciuilis eſſe, & haberi velim) dum aula modo huc, modo illuc migrat, dum conuictum certum nullum habeo, conuictores autem omnino varios: quomodo, obſecro, quiſquam ita rationes ſuas inſtituere poteſt: vt ex Medicorum præſcripto perpetuo viuat? Sed tamen ſic quoque pro viribus caueo: vt vel minimum in victu committam, vel certa commiſſa errata tempeſtiue corrigam, ne in neruum res erumpat denique. Sicut ſemel atque iterum minitari mihi morbus viſus eſt, προδρόμοις ſuis iam tum præmiſſis. Cum igitur primum curſum, qui maxime appetitur, obtinere nequeam: ſaltem mutata velificatione, vt τὸν δεύτερον πλοῦν non amittam, operam do. Quanquam ne quid diſſimulem, hac quoque in parte non cum omnibus ſentio. Videas enim quotidie nonnullos rigidiſſime medicorum præcepta ſeruantes, & ne latum quidem, quod dicitur, vnguem ab iis recedentes: qui nihilominus pluries in podagram incidunt, & diutius ab ea detinentur quam qui liberiorem, non tamen prorſus licentioſam vitæ rationem tenent. hoc vndenam euenire putas? Non vnam ſane ob cauſam. Quibuſdam enim hoc accidit, quod nimis ſubito à conſueta victus ratione, ad aliam plane oppoſitam (etſi morbo per ſe idoneam) tranſiliunt. Cum natura ſubitas mutationes nequaquam ferat: quantumuis ad melius fiant: & conſuetudo, vt dici ſolet, altera ſeu acquiſititia natura ſit. deinde cibi qui præſcribuntur, plerunque ab inuito ventriculo, & aliud appetente, aliiſque aſſueto, recipiuntur. Vnde fieri vix poteſt: vt ab eo recte alterentur & concoquantur. Præſertim quia fere ſemper vini etiam non potentis, & extra paroxyſmum vſu interdicitur. Hanc ob cauſam humores crudi gignuntur; qui poſtea in totum corpus, atque in articulos, ceu partem læſam præcipue diſtribuuntur. Ægri quoque emaciantur, decolores fiunt, & ferme nunquam veram appetentiam habent. His igitur malis quonam modo occurrendum? Aio ego: ſicut in pharmacia: ita etiam in diæta non tantum ad morbum: ſed etiam ad naturam & conſuetudinem ægri reſpiciendum, atque ita vni dandam operam ne alterum prorſus neglexiſſe videare. Quæ morbi ratione obſunt, indicanda quidem non tamen ſi æger impenſius illis inhiet, aut alioquin illorũ vſui aſſueuerit, ita prohibenda: vt nihil prorſus de iis deguſtare liceat. hoc ſi præſtas, vere accidit illud, quod in Hippocrateo oraculo dicitur, vt videlicet cibus & potus paullo deterior, ſed ſuauior, (& in minori quantitate aſſumptus)

Quid diæta conſueta, & ſi ſimpliciter non optima: ſit in ſuo genere melior & ſalubrior.

meliori quidem, at ingrato præferendus ſit. huc quoque altera illa in eodem libro aphoriſtica ſententia pertinet: conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent. Conſequuntur etiam inde hoc lucri Medici: vt ægros in multis obſequenti res habeant, cum illi aliquibus nonnihil ſibi indulgeri animaduerterunt, multorum quoque multas calumnias effugiunt: quæ ob hoc vnicum erratum illis certatim impinguntur. Sed aliud præcipere eſt, aliud permittere. Non hoc dico: vt Medicus iis cibis ægrum veſci iubear, quos ſcit illi noxios eſſe, & inſalubres: ſed tantum, vt cum morbi ratione diætam ordinauerit, etiam accurare perpendat, quid natura, vel conſuetudo commode perferre poſſit aot non poſſit. hic ſi videt, ventriculum quoſdam cibos auide expetere, & cum delectatione aſſumere, quinetiam probe concoquere, qui illi alias, morbi ratione, interdicti fuerant: moneat ægrum, vt parcius illis vtatur, & quantum licet, nonnihil correctis. Sic vtrique intentioni ſatis fit, tum quo ad morbum, tum etiam quo ad particularem naturam, ſeu conſuetudinem ægri. Veriſſima certe ſunt illa, quæ vulgo iactantur, etiam ab imperitis rei Medicæ: Quod ſapit, nutrit. Item quod parum eſt, parum nocet. Infero hoc qooque conſentieotibus multis doctiſſimis Medicis: In victus ratione plus & perniciofios peccari in quanto, quam in quali. ita vt ſi quantitas moderata conſtituatur: qualiras cibi (neque enim venenum eſt) non ſit tantopere pertimeſcenda. hoc autem præſertim apud Germanos noſtros per ſe ingluoiei deditos locum babet: qui regulis Medicorum multo minus, quam vlla alia natio, parere ſolent. Vnde etiam in vetitum tanto vehementius nituntur, cupiuntque negata: cum ſi aliquid largiremur, facerent hoc multo minus cupide. Quod (enim, ſecundum Poetam) licet iograrum eſt, quod non licet acrins vrir: hac fallacia multos à vetitis cibis abduces facilius, quã ſi ſeueriſſime illos in ſolidum prohiberes.

Cibus in quali erratiſſ. er quam in quali.

Præbuit de his mihi cogitandi occaſionem quod nonnullos ita miſere macerari viderem, dum Medicorum edictis contra naturam & conſuetudinem ſuam ſiue minus parce victitando, ſiue à certis cibis abſtinendo, obtemperare nituntur: quando interim alii, qui aliquid genio, & conſuetudini indulgent, & ſuauius viuunt, & morbi acceſſiones multo rariores quandoque etiam mitiores habent. Cur igitur tam rigidi eſſe pergimus, & per ſe afflictis nouam afflictionem addimus? Præſtaret certe, ſecundum Hippocratem aliquid dare tempori, aliquid regioni, aliquid ætati, aliquid denique conſuetudini: cum præſertim hic morbus chronicus ſit, parteſque ignobiliores occupet, & non perpetuo duret, ſed per interualla recurrat. hæ tamen cautelæ addantur.

Cautela in liberiori Diæta.

Primum, vt quæ morbo non conueniunt, ſed tamen auide à ventriculo arripiuntur, iis æger parcius vtatur.

Deinde vt ipſi quoque ægri obſeruent, à quibus cibis potibusve iuuari illos aut lædi maxime contingat. hoc autem ſæpe fit ab occulta magis proprietate, quam ἰδιοσυγκρασίαν Medici vocant; quam à manifeſta.

Denique ſi modum ſe exceſſiſſe ægri ſentiant, vt continuo, aut vomitu, aut euacuatione ſuccurratur, priuſquam noxa per totum corpus diſtribuatur, inque laborantes partes detrudatur. qui ſunt ad vomendum faciles: iis non incommodum eſt, quolibet menſe ſemel aut bis per vomitum ventriculum & primas vias à crudis humoribus repurgare. Reliqui medicamentum aliquod ἐκκοπρωτικὸν ſeu benedictum in familiari vſu habeant: quo eundem finem conſeqnantur. In boc cenſu erit biera ſimplex, pill. de aloe roſata. pill. alephanginæ, infuſio foliorum ſenæ, paſſulæ laxatiuæ, & ſimilia. Quibus profecto ſæpius repetitis tantum efficimus, quantum fortiſſimo aliquo pharmaco purgatorio ſemel aſſumpto, & multo minus vires aut natura inde læduntur. Immo nonnulla ex his talia ſunt vt & cibis tuto immiſcere liceat, & ſingulis etiam diebus per integri anni ſpacium ſumpta nihil proſrus detrimenti afferant. quod & de mea, & aliorum experientia liquide affirmare poſſum. Verum de his in præſentia ſatis.

Tu quid tibi de hac hæreſi mea videatur, aperte & conſpicue reſcribas, obſecro. Hæmorrhoidum apertionem, crurum ſcarificationi in meo morbo te præferre video. Sed quibuſnam medicamentis me id recte conſequi poſſe exiſtimas? Mitiora, cuiuſmodi ſunt vſus aloes non lotæ, itet frictiones cum pannis aſperis, &c. tentaui aliquoties; ſed abſque vllo fructu. Ad vehementiora autem, colocynthidem nempe, glandis forma ano intruſam, aut ſimilia, accedere non auſim. quod antea, etiã ſecundũ naturam fluentes perſæpe modum exceſſerunt, vt ita deinceps maior difficultas ſit in ſiſtendis illis, quam prouocandis. quo addis, cucurbitulis ſcarificatis ſupra genu collocatis materias in corpore redundantes ad

tes ad locum affectum attrahi: me parum mouet. fere enim leuem aliquam euacuationem præmittere ſoleo. deinde quantum attrabitur, tantum etiam ſimul euacuatur, per aperta illa foramina, vt hunc quoque metum inanem eſſe appareat. Quantum ad ſymptoma illud attinet; quo amicum noſtrum quandoque ſub primam quietem corripi vidiſti: quatuor his proximis annis, immenſa Dei benignitate, vix bis illud perpeſſus eſt. Mitto tibi Cratonis noſtri conſilium in hoc caſu mea manu deſcriptum: prius quidem generalius: alterum autem, poſt interlocutoriam ab amico illo noſtro interpoſitam, particularius.

Epilepticus quidam. ... mus nocturnus.

Quantum ex eo intelligo: ait vſum Electuarii illius ſibi plurimum profuiſſe. Itaque aliquoties reparari iuſſit; & ſuccum cichorii, ratione caliditatis epatis, & neſciu quæ alia adiecit. Verno tempore plerumque venam ſecat: & hoc ipſo etiam anno vtramque ſapheam. Alioqui cucurbitulis ſcarificatis ſupra ſcapulas & genu appoſitis, duobus quibuſque menſibus elapſis, vti ſolet. Pro euacuatione ventriculi, ac crudorum humorum in illo contentorum, ſæpiſſime ſemihora ante cœnam aliquid Electuarii Hieræ ſimplicis, aut pillularum de aloe roſata deglutit. Lotiones quoque capitis ex herbis præſcriptis & agarici ℥ ij. aut iij. adminiſtrat frequenter. Frictiones matutinas alternis diebus non negligit, & aliquid etiam præſidii in vngula alcis, quam amuleti loco, de nocte præſertim collo ſuſpenſam, annuloque incluſam digitis geſtat, collocatum habet. Liberari illum nō morbo ſolum; ſed omni etiam metu morbi illius, vehementer optarim.

Antidoti quadam, præſeruatiui maximè à pe...

Quæ de peſte ex colloquio tuo cum D. Cratone, & D. VVoyſelio ſeniore habito prolixe commemoras libentiſſime legi, & pro eorum communicatione gratiam habeo. Latiſſimus campus eſt de his diſputandi, ſi circa omnia diſcurrere velimus. Electuarium Dioſcordion ego, præ reliquis (excepta theriaca & mithridaria antidoto. tanquam iam olim decantatis, & nunc quoque laudem & vires ſuas obtinentibus) magnifacio.

El. facult... ...

Eſt hic in frequenti vſu Electuarium quoddam, quod facultatis indigetant (communi enim Medicæ facultatis conſenſu ordinatum eſt) cuius deſcriptionem, ſi monueris, proxime mittam. Cum reliqua namque ſupellectile mea Pragam præmiſi. Plurimum etiam commendatur confectio ... ſtris Chriſti perlati cum extracto ... quam ipſe etiam imperator vtitur.

M... Chr... ... Augusta.

didum obtinet. Ego ſacculos ex Arſenico, quales Patauii, vt ſcis, ſolemnes erant, hic pro multis ordinaui. etiamſi Crato noſter valde repugnet. Multi proceres in aula cordis regioni applicatos continuo abſque vlla noxa circumferunt.

Sacculi ex Arſenico.

Retulit mihi quoque nuper chirurgus aulæ noſtræ iam ſenior: ſe in multis peſtilentibus conſtitutionibus fuiſſe, & ſua manu infectos plurimos tractaſſe, ſemper tamen à contagione immunem permanſiſſe, quod ſecum geſtauerit radicem plantaginis maioris ſacculo incluſam, & cū filo regioni cordis adaptatam. vt res celetur: pulueris lauendulæ aliquid admiſcere ſolet; & hinc inde diſtribuere. Ait ſe nemini concrediſſe, niſi mihi. Quicquid ſit, ſæpe etiam paruis gratia rebus ineſt. Item: Quæ neglecta iacent, pondus habere ſolent. Plerique ex ciuibus præcautionis nomine camphoræ momentum vino iniiciunt, & inde mane bonum hauſtum bibunt. Vtrum ea calida vel frigida ſit; in medio relinquo. Argumenta vtrinque afferuntur non leuia: quibus Crato noſter adductus, vtriuſque exceſſus mediam temperaturam habere affirmat; ſed ratione tenuitatis ſubſtantiæ caliditatis ἔμφασιν obiicere.

Nouum experimentum de radice plantaginis.

Cratonis iudicium de camphura temperie.

Alexipharmacon duplicia.

Prudenter VVoyſelius ſenior ἀλεξιφάρμακα in duplicem claſſem, abſorbentium nimirum καὶ ἰδρωτικῶν diſtinguit. quod niſi fiat multiplex oriri ſolet ambiguitas & controuerſia. Vnguentū viride, a te communicatum, illud ipſum eſſe arbitror, quod vernacule apud nos eodem nomine die grüne ſalbe appellatur. Scis noſtris hominibus panaceæ loco eſſe ſolere. ac præſertim eo vtuntur in ruptis, conuulſis & luxatis. hoc enim vnica voce (Verbrechen oder das Weheſhun) noſtri, ni fallor, efferunt. Si diuerſum iudicas, ſignifica.

Vng. viride.

Germanicam deſcriptionē ex vetuſto quodā manuſcripto codice nuper mihi deſignaui. haud ſcio an omnia inter ſe conueniant. Mihi nimis magna miſcella videtur: quā vbi poſſum, ſtudioſe refugio. Sub artem enim iſta non cadunt: cum quæ ſecunda temperies, forma, aut proprietas inde poſt fermentationem tot inuicem commiſtis emergat, artificioſe coniectando aſſequi nemo poſſit. Hoffmannica accurate cogitata ſunt: remedia quoque præclara. Sed ægri facile terrentur, cum tantam medicamentorum copiam ob oculos poſitam aſpiciunt, & poſt ca nullis fere vtuntur, ſeque & Medicum decipiunt. Hoc nomine etiam conſilia Montagnanæ, & aliorum quorundam Italorum approbare non poſſum: cum nimis ſcrupuloſe omnia perſequantur, & in diæta

Confuſio medicamētorū.

ſola ordinanda multas paginas & chartas conſumant. Vt Italos talia expetere concedamus : apud Germanos certe noſtros parum vtilitatis obtinent, in quam ſententiam antea etiam nonnihil diſſerui. Non eſt docentis omnia ſemel docere velle: nec Medici omnia medicamenta ſemel proponere. quandoquidem multa cadunt inter calicem ſupremaque labra, hoceſt, morbus in eodem ſtatu nunquam permanet ; ſed ſubinde ſymptomata euariantur, quæ deinde noua etiam pharmaca deſiderant, ita res in infinitum ſeſe extendet. Quantum ad ægrum illum tuum, cui Guaiacum propinare in animo habes, ſpectat , breuiter etiam conſilium & mentem meam nuper aperui , videlicet non improbare me vllo modo hoc decoctum : immo potius præmiſſis præmittendis etiam atque etiam ſuadere. Sed caliditatem eius exhorres, & corpus magis attenuatum iri arbitraris. Non eſt difficile, mi Laurenti, caliditatem hanc contemperare, additis ſub finem decoctionis radicibus cichorii, fl. & fol. borraginis, ſeminibus melonum, item paſſulis excorticatis. Verum illud me magis hæſitantem reddit : num intemperies, quæ iam in habitu eſt & partibus penitus infixa, non ob externum duntaxat errorem , ſed facultate ipſa læſa tam cito & facile tolli queat? An etiam ſatis tutum ſit, hac ætate illud tentare ? Præterea cum natiuum calorem, qui omnium naturalium operationum in corpore ſummus opifex eſt , admodum debilitatum eſt ſignifices: miror te de iis tantum remediis cogitare , quæ qualitati illius ſubueniunt frigiditatemque ipſi contrariam corrigunt , imo etiam, quæ hoc cum exceſſu aliquo faciunt , ſuſpecta habere , & non aliud potius conſiderare quod in arte noſtra ἀξίωμα eſt : Calorem natiuum ſubſtantiam quandam eſſe aeream & aqueam, ſeu aere & aqua participantem ; nec vllo exceſſu caloris quæ qualitas ſit , præditum. Hæc autem ſubſtantia , in pueris potiſſimum abundat : mox vbi homo ad ἀκμὴν perueneri, decreſcit ; donec in extremum ſenibus ſecundum naturam prorſus extinguitur. Cum autem æger hic anno quadrageſimo quarto ſuperato , ad decliuem ætatem tendat : quonam modo defectum ſubſtantiæ caloris ingeniti reſarcies ? quid repones ; vt ruſſus vegetum efficias, quique operationes priſtinas exerceat? Natura autem vt domina , debili exiſtente , quid Medici, miniſtri huius , laudabile efficient ? Vides igitur iſtud prognoſtico ſeruire : ne remere illi ægro , cui natura ſubſidia neceſſaria deſunt, ſalutem, aut in integrum reſtitutionem promittas. Sed tamen nihilominus hoc artis præſidio conſequi licet: vt ſi non melius, ſaltem minus male habeat. Vt itaque excrementiciorum humorum minus in corpore colligatur , ſed ille intempeſtiue benedictis nuncupatis pharmacis expellantur, operam dabimus. Partem quoque affectam pro virili roborabimus : & fluxionis impetum, ne nos præueniat, inhibebimus. Materias horum non recenſeo, cum alias inter nos de his actum ſit & tu fortaſſe melius ſcias ipſa. Quid Dryoxylus de altero caſu reſponderit iam tenes. Mihi quidem non omnino ſatisfacit Neque enim prorſus aſſentior: à craſſo quodam humore collecto ſpongioſam illam carnem ortam fuiſſe, alioquin tumorem potius excitaſſet : ſeu œdematoſum , ſeu ſcirrhoſum. Seroſum ego humorem, & tenuem atque ſpumoſum ſubeſſe dicere malim : qui carnes vicinas , veluti fermentatione quadam facta , inflarit , & raratiores, maiuſque ſpacium occupantes, effecerit. hic, cum iam eo malignitatis peruenerit, vt à natura concoqui & ſuperari nequeat : nimirum omnino è corpore exturbandus eſt , tum ſumptis tum admotis. Inter aſſumenda, ea probarem, quæ melancholicum humorem (huius mineram, vt loquuntur,) reſpiciunt, ſimulque admiſtos ſeroſos humores ſiue per vrinam , ſiue per ſudores (quo in genere ſarſa excellit) euacuant. Extra admoueantur, & loco imponantur καθαιρετικά, inter quæ mercurius præcipitatus lotus aut non lotus principatum obtinet. Eluatur locus lixiuio excalefacto, etiam oleum vitrioli ſeu ſpiritus eius admoueatur , aut vnguentum Ægyptiacum, & ſimilia ſuperponatur. ita tamen vt ſemper ſanæ partes defenſiuo vocato muniantur: ne & ipſi ob vim mali ſerpentem contagio lædantur. Vbi hęc omnia rite peracta fuerint : tum demum de temperie natiua parti reſtituenda ſerio cogitandum. cum non remotis impedimentis, hoc fruſtra tentetur ab initio. Vt autem deſiderio tuo plenius ſatisfaciam : mitto caſum pueri cuiuſdam ſane mirificum , cum adiuncto conſilio Cratonis noſtri, cuius te omnia magnifacere video, nec immerito. Aliquo modo cum tuo conuenit: in multis etiam diſcrepat. Reperies hunc adiunctum lectionum Capouaccianarum volumini. Hiſtoriam curationis tuæ præſentaneæ ἐν τῇ δυσεντίᾳ libentiſſime legi. Illud medicamentum de borrace antea ſæpe commendari audiui : nondum tamen ipſe vſus ſum. Quam vero tu vim Ætiti tribuis, eam etiam magneti lapidi ineſſe putarim. Siquidem practicis noſtris fides adhi-

De Guaiaco præbendo pro reſtaurando calido natiuo correcto.

Spongioſa caro.

Præcipitatū.

ἀνευτονία.

adhibenda eſt: qui tamen non raro audita potius & lecta, quam viſa & ab ſe experta, in medium magno hiatu afferunt.

Magnetis vires.

Dn. Woiſelius iunior mirificas facultates magneti lapidi tribuit: & eum ſemper ſecum quo nuſquam illo careat, geſtare ſolet. Literas tuas ad Copiſium recte curaui: en habes alias à D. Sibenburgero noſtro, qui eadem occaſione ad me etiam ſcripſit. A D. Willebrochio nihil vidi hactenus; niſi forte tibi alia via ſatisfecit. hæc ſcribo cogitationibus circa iter diſtractis: quod me craſtino die, ξὺν θεῷ ingreſſurum ſpero. Cæſar iam ante decendium abiuit: verum cum non recta via Pragam tendat, aulici paullatim ſubſequuntur D. Carolum Osleuium, collegam meum, Pragæ me reperturum confido. Num has recte acceperis, vt me quamprimum, ſaltem per fratrem certiorem facias, rogo. Bene & feliciter vale, chariſſime mi Laurenti, & ternis tuis hanc vnam epiſtolam, illis iunctis non multo breuiorem æquo animo accipe, literiſque cunctante tabellione hinc inde inſertis ignoſce. Viennæ Auſtriorum 13. Octobris ſecundum veteres Faſtos, Anno 1583.

Post Scripta.

CVM Dominus Crato de Domino præfecto æquis diſpoſitis quæreretur, num illi cauteria, quæ D. Acholzius ſuadebat, conuenirent ratione podagræ, quæ illum iam quinquagenarium à multis iam annis affligit, cum nuper etiam ligno ſaſſafras vſus fuerit, in hæc verba ad me reſpondit: De valetudine præfecti equis diſpoſitis quid ſcribam? Meas opinationes de ligno minime falſas fuiſſe animaduerti. Si cauteria ichores pernicioſos in vniuerſum exhaurire poſſent, fortaſſe aliquid prodeſſent. Sed quum non poſſint, & quanto cum periculo claudantur: ſatis multa exempla me erudierunt. Præcepta etiam medica vetant trahere materiam ad partem debilem, & loca affecta euacuare. Nolo recitare quid aliis contigerit. Itaque quid conſilii de cauterio dem, non reperio: nec præſentibus Medicis quicquam præſcribo. habes ſatis meam ſententiam de morbis articularibus, tum ex aliis meis ſcriptis; tum iis, quas ad Schonfeldium miſi, exploratam. Nullam cauſam reperio, cur eam mutem. Vſum frequentem pillularum meatum de tribus, vt appello, conuenientiorem illi futurum, quam cauteria arbitror, præſertim ſi limatura cornu cerui in potu infuſa vtatur, & ſe ad matutinos ſudores aſſuefaciat. denique nunc ſub vindemiam

Pill. de tribus vtiliores cauteriis in Podagra confirmata.

vinaceis pro fomento articulos corroboret. Vnum hoc ἐπαύγματος loco addo: ſi in febribus putridis intermittentibus quibuscunque apparente aliqua, etiamſi non perfecta, in vrinis coctione, ægro ipſo die paroxyſmi medicamentum purgans dederis, ita vt effectum ſuum ante paroxyſmi inuaſionem compleat (horis ſcilicet 4. aut 5. antequam paroxyſmum aduenturum putas) videbis febrim poſt illum paroxyſmum non amplius reuerti ſed prorſus tolli quaſi incantatione quadam. Probaui iam ſæpius & in pluribus ſemper euentus reſpondit. In tertianis poſt tertium aut quartum paroxyſmum hoc facio. In quotidianis tardius: in quartanis tardiſſime ac vix ante triceſimum diem. Propoſui nuper hoc problema etiam ipſi Bucephalo, & ex Hippocratis autoritate deducere conatus ſum. Nondum reſpondit. Tu, ſi placet, idem experire. Iterum vale.

In febribus Etiam das paroxyſmi re ſto purgatur materia concocta.

Epist. CCXLIX.

Idem eidem.

ITA diligens es in ſcribendo & aſſiduus, vt me longo poſt te interuallo relinquas, chariſſime mi Laurenti. Neglexi ſane hoc officium cum paulo plus otii haberem: in præſentia ob ægrorum multitudinem mihi hoc facere vix licet. Sed tamen reipſa experieris me tui non oblitum: & quod tarditate peccaui, alia ratione compenſaturum. Literas ad D. Carolum Osleuium, collegam olim meum, aperui: eaſque adhuc penes me aſſeruo.

Mors Caroli Osleuii.

Obiit is febri peſtilenti & lenticulari extinctus ipſo die ſolſtitii æſtiui, morbi autem decimo ſeptimo, ſtatim ab initio morbi malignitas ſeſe prodidit, delitiumque ſubſecutum eſt, quod ad mortem vſque perdurauit. Exanthemata admodum tarde prodierunt: die ni fallor, decima aut vndecima. Generoſa medicamenta multa, ſed abſque omni fructu adhibita: cum præſertim æger mente non conſtaret. Vt aliquid per os aſſumeret difficilime adduci potuit, imo ſudorificam potionem recuſauit prorſus. Illitus Ætii ex oleo chamomælino cum nitro potenter quidem, ſed nimis ſero, maculas euocauit. Quam viri & collegæ optimi mortem acerbiſſimam & triſtiſſimam dolenter tulerim, credere vix potes. Iam tum meſſis in herba erat: & ille fructus ſuos explicare cœperat. Si Deo ita viſum fuiſſet: longiorem vitã illi exoptaſſem ex animo. Cum D. Iohanne Weidnero te conſtanter amicitiam colere arbitror. Meminit is nuper

Digitized by Google

tui in ſuis honorifice. Aphoriſmos Archiatri noſtri miror ſane qua ratione nactus ſis. Vere tibi confirmo, me illos non vidiſſe: ac ſi quidem tua opera & diligentia, qua me lõge ſuperas, deſcriptas accepero, gratiſſimos habiturum. Ipſe autor ſua occultat pertinacius. Capouacciana de ſenſoriorum morbis remitto. placent ſane: ſed deſcribere tædet. Interim aliud exemplum etiam à D. Scutellario noſtro mutuo accepi. Dixit mihi quidam nuper ex Italia reuerſus, dominum Capouaccium nunc in lucem ediſſe libellũ, inſcriptum Prçludia anatomica: quibus Galenum contra Veſaliũ tueri conatur. Adiecit in fine tractatum ſuũ de cauteriis, multis egregiis additionibus locupletatum. Sed librum ipſum nundum vidi. Spero nunc ex nundinis Francofortenſibus affore. Quid tibi videtur de ſaltatricibus illis puellis? quarum hiſtoriam, & de iis medicorum noſtrorum iudicium haud dubie Dominus Dudithius ad te dudum tranſmiſit? Meam illi ſententiam libere expoſui. An cum tua congruat ſcire velim. Sed de his & aliis plura proxime. Bene & fœliciter vale, & præparatam hanc ſcriptionem boni conſule, meque amare perge. Pragæ Boiemorum, 4. Auguſt. currente calamo, anno 1584.

Præludia anatomica & cauteria titu lo Gam[illegible] edita.

Puellæ ſaltãtes.

EPIST. CCL.

PAVLO HESSO MED. &c.
Theodorus Zuuingerus S. D.

MAXIMI facio miniſtram medicinæ chimiam, eandem ſi dominæ ſuæ ſeſe anteponere audeat, flagris etiam dignam cenſeo. Theophraſto experientię nomine multum tribuo, quandoquidem multa præclara medicamenta, in neſcio quibus antris Cyclopum deliteſcentia, ſi non à ſe inuenta, talem exculta in lucem protulerit, eundem vero arcem medicinæ deiectis veteribus inuadentem non æquiori animo ſuſtineo, quã tyrannidem affectantem Cylonem Athenienſes. Atque vt illi, tanquam empirico & methodico Medicinæ elegantis imperito, quando dogmata artis tot ſeculorum conſenſu confirmata conuellere nititur mẽtem meliorem dari precor: ita noſtris quoque hominibus, qui methodi inepto ſtudio nona damnant omnia, & de iis, quæ nunquam manibus ſuis tractarunt, ſeſquipedalib. verbis fanda atque nefanda proferre audent, ſenſum accuratiorem opto. Et hæc mea de empiria noua (ſi modo Chimia noua eſt) & verere medicinæ methodo ſententia eſt, ab Hippocratis, coryphæi noſtri, præceptis neutiquam aliena. Recte tu vero, qui velut obſignatis tabulis mecum agas, & ex iis quæ ante viginti annos ſcripſeram vel multum ad damnandam chimiam in vniuerſum cogas. Caterum & tritum illud noſti: δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, & delicta iuuentutis vtinam crebra lacrymarum repetitione delere poſſem ſi methodum ſpectum, eius loci quẽ adfers me neutiquam pudet, ſi remediorũ præparationem, etiam diſpudet, qui iuuenili prçcipitantia mihi vix dum à primis labris cognita damnarim. Hæc ſunt, quæ non tam mei excuſandi, quam tui cõfirmandi gratia adferre volui. Vale, Baſileæ, 15. Aprill. Anno 1581.

Paracelſi encomium & vituperium.

THEODORVS ZVVINGERVS
D. Petro Monauio
S. P. D.

DE Nepenthe quod quæris, certe quo recentius, eo efficacius, propter opium & hyoſcyamum quem recipit, ſed & propter recentes vires eorum, quę correctionis cauſa adduntur, oleum garyophyllorum, aniſi, cinnamomi, ſubtilium ſcilicet partium, tam turum videtur recens, quam antiquum. Neque vero fermentatio tam hic neceſſaria, quando purior tantum ſuccus ſumitur, atq; in Theriaca cui craſſa omnia & corpulenta induntur. In ſenibus & debilitatis vtor ad gr. iij. vel iiij. In pueris ad gr j. vel ij. In iuuenibus & morbis calidis ad gr. vj. cum iulepo roſaceo. Somnum mitem inducit dolores lenit, æſtum extinguit. Epilepticum ſpaſmũ cohibet, nõ tam facultatem partium, quam vapores & ſpiritus morbificos congelando. Hac experientia tale affirmare poſſum, vel heſterno die, abſque ſopore dolorem & agitationem ſublatã fuiſſe in filia Epiſcopi bimula trium horarum conuulſione laborante. Margaritæ cum æquali pondere vitri in furno antitypo calcinantur, ſalſudine abſtracta extrahitur ſubtilior pars cum aceto deſtillãte, quo euaporante ſubſidet calx puriſſima aqua roſarum crebris affuſionib. abluenda. Aliter in aceto deſtillato, & ſpiritu vini generoſiſſimi ana, in fimo contuſæ diſſoluũtur. Defuſione facta nouũ menſtruũ affunditur, donec penitus ſint diſſolutæ. In fundo ſubſidet eſſentia abſtracto phlegmate. Et hoc tectius atq; cautius. Alii alias habent præparandi rationes. ſed in ſimilib. ἡ πεῖρα κάλλιστον χρῆμα διδασκαλεῖον. Nepenthis vſus Methodicus tutus: ſed & qui prudentiã Medici requirat, vt raritate ipſa magis magiſque cõmẽdetur, σπάνιον γὰρ τίμιον, & proſtitutio ipſa ſi non vires medicamenti, ſaltem autoritatẽ. & per cõſequens efficaciam extenuat. Aurũ inter metalla principatum obtinere, ſed & inter

Nepenthes vſus.

Margaritarũ diſſolutio.

inter res naturales ſolū immortalitate quadam prædituū eſſe, qua de cauſa tacito ſenſu ab omnibus, licet ignorantibus appetitur, (ἰσότης γὰρ ἡ φιλότης) conſtat. At illud idem niſi vegetabile primum, ſubinde animale fiat, adeoque corpori humano ſimile, nullam nec corroborandi, nec curandi vim habere poterit. Proinde vulgatis quorundam ſolutionibus non plus tribuendum cenſeo, quam auro foliato aurive ramentis. Bibitur & deuoratur aurum, aurum excernitur. Compages illæ adamantinæ ab igne inuictæ aliquid igne potērius quærunt à quo ſoluantur. Deſcriptiones aliquot habeo, tamē nullam adhuc examini ſubieci. Pro tua gratias tibi ago, ſunt in ea quædam propter ἀσυμφωνίας ſuſpecta. Nam in huiuſcemodi interdum vel minima maximum ſecum τοῦ τυχεῖν ἢ ἀτυχεῖν momentū afferunt. Vulneraria è pyrola non videtur mala, & ſæpe συμπάθεια paucorum quorundam effectus præſtat admirandos, artemq; doſium medicam, etſi nō tollit, ludit tamen, & non minorem vſus, quam rationis auctoritatem eſſe debere conuincit.

Aniſum purgans.

Aniſum purgans meum non eſt, ſed à Gallis acceptum, mutilata tamen, quam habes deſcriptio: ℞. Aniſi ℥ iiij. Sacchari ℔. iij. Scammonij ℥ ij. Turpeti, Maſtiches an. ʒ ß. Zinz. ʒ iij. ſpe. el. de gem. Diamarg. frig. an. ʒ ij. Coq. Sacchato q. ſ. Eius dimidia parte excipe pulueres & aniſum obducito, reliqua dimidia incruſtato. Datur ad ʒ ij. & tres.

Cort. Guaiaci decoctū ſitim reſtinguit.

Guaiaci corticum decoctum ſitim quoq; reſtinguere, & quidem potenter, ſæpe deprehendi. Eiuſdem in calefaciendo non magnam eſſe vim, catholici vſus multorum dierum Innoxius ſatis conuincit. Ego ℥ j. affundo ℔. vj aq. Coquo ad medietatem. Ineſt vis purgandi & aperiendi multo efficacior, quam ligno, propter ſalis copiam. Itaq; 4. doſes habebis. Vinum ſenex noſter, à quo accepi, In inueterato tantum adhibebat. Dum ſudor mouetur, vinum non adeo cōuenire, vti etiam ventum ſeu potius aërem liberiorem, rationi conſentaneum. Sed dum purgamus & vino & victu liberalius vti nihil prohibet. 30. & 40. diebus in iis, qui bibere poſſunt, continuis vti nil vetat. Corporis moles attenuatur, vires interim conſtant. Victus ratio proba, libera tamen, à ſole tantum & vento & crapula caueant. Hoc ipſo commendabile medicamentum, quod eius vſus à ſuſpicione etiam liber eſt.

Cauterium.

Pyrapyrum ſaponem nigrum requirit, de altero illo, factìcium intelligo minium. Relinquendum per horas ad minimū 12. & cum cutis plane nigra eſt, tunc impreſſionem à medicamento factam eſſe cognoſcitur. Orbicularia vlcera requiruntur, quando globulos cereos, vel piſa imponere volumus, vt diu aperta maneant.

Plumbi grauitas.

Plumbi grauitas, etſi aqueæ naturæ ſit, ex partium denſitate prouenire videtur Chymiſtis ab hydrargyro, & ſulphure combuſtili; hoc eſt, impuro. Sic autem appellant halitum duplicem. Nepenthe præterea, de quibus ante, recipit coralliorū, margaritarum, croci & ſuccini eſſentiam, hoc eſt, partes puriſſimas, arte elicitas, vt quantum ab opio & alterco periculi eſt, tantum præſidij à poſterioribus iſtis.

Opiati effectum.

Congelantur itaq; ſpiritus maligni, ſed natiui corroborantur. Hac de cauſa per accidens ab ipſius hauſtu ſudor in quibuſdam ſubſequitur: in pueris effloreſcentia faciei, propulſis à centro ad extima vaporibus malignis. In ſiſtenda aluo medicamentum præſentaneum. Fratri tuo, & generoſo Duditio officioſam ex me ſalutem. Salutant te noſtri omnes. Vale, Baſilea, 16. Iulij, Anno Salutis LXXX.

EPIST. CCLII.

IDEM EIDEM

TE viuere & valere ex animo lætor. Cœptis aſpiret ille, ſine cuius numine, nihil eſt in homine.

Liber Hippocratis.

Hippocratis mediam partem iam abſoluimus, noſtri ſcilicet in illum laboris, vel ſaltem conaius. cuius quo maior eſt expectatio, eo mihi ingratior, mihi crede, qui tenuitatem meam agnoſcam, & cum latere maxime cupiam, neſcio tamen quō Reipublicæ iuuandæ ſtudio in mediam hominum lucem vel laruatus interdum præter inſtitutum efferat. Neq; vero & impetitiæ & ignorantię crimen refugio, dum mea hac audacia ſtudioſi incitentur. Hocq; ipſum clariſſimo viro D. Hermanno renunciari cupio, χρηστὰς ἂν ἐκ ἀκροατὰς me tales exoptare. Rungius diſcedens in ſumma feſtinatione, nihil ad te reliquit. Callide nimirum veſtra vos nomina honorario inſcripſiſtis poculo, ne remittendi occaſio relinqueretur. Prodigalitatē ego veſtram minime laudo, ſed amicæ interim voluntatis teſtificationem, cum vobis ita viſum eſt, amplector. Tibi, mi Monaui, vitam & incolumitatem precor. Salutant te noſtri. inter eos, qui Academiæ nunc præeſt D. Stupanus. Vale, & D. Hermanno, fratri tuo, & item Heſſo plurimam ex me ſalutem. Baſilea, 18. Aug. Anno 1578.

EPIST. CCLII.

IDEM EIDEM.

Quo ordine Theophraſtica legenda ſint.

DE Theophraſteis quæris, qua legenda methodo, ea nimirum, qua verum à falſo diſcernitur. Quo ordine? Vt ingenue,

fateat, vel tantus Doctor (vt tibi & neſcio quibus aliis amicis videor tantillum ignoro. An qua data porta ruunt? an τὰ ὕστερα ſemper πρότερα? an poëtica etiam imitatione à mediis incipiendum? Ergo ne quid elabatur, perpetua indagine tota ſylua concludenda, & Enniano more optima quæq; retinenda. Nam vt nihil aliud, εὐσχήμων certe ἱστορίας πάσας ἐν αὐτῇσι διαταράσσειν εἶναι, de Empiricis loquens Hippocrates veriſſime affirmauit. Turnciſerus oculorum dolores quibuſdam noſtrum excirauit: mihi non item, qui non maiorem mei lucri (ſed quidnam illod apud noſtros?) quam alienæ peritiæ rationem habeam. Cum illo contuli quædam. Apparatum Herbarij vidi maximum, & opinione grandiorem, icones plurimi, vt ſi nihil aliud in præſens, φιλοπονίας certe tantam laude digniſſimam iudicem. Οὐρομαντικῆς ſpecimen coram ſe editurum promiſit. Interea ἐποχῇ vtamur, & cum Tralliano, ſi res ita ferat, vel à vetulis nos diſcere non pudeat. Hippocratem proximo mercatu videbis. Clariſſ. viros Hermannũ & Heſſum ex me ſalutabis officioſe. Vale vir doctiſſ. noſtri memor. Salutat te Platerus cum toto collegio. Baſilea, 20. Nouemb. Anno 1578.

Turnheuſſerus.

EPIST. CCLIV.

IDEM EIDEM.

Paracelſi ſcripta.

QVÆ tu ad me de Paracelſi ſcriptis, tanquam ad eum, qui multum ſtudij atque temporis in iis collocant, ſcribere videris. Quod cum à me longe ſit alienum, ignotæ regionis commonſtrator eſſe nequeo. Atq; vt λογισμὸν illius, vel ſectatorum non magnifacio, neq; enim intelligo: ſic τέχνην eorundem cum Hipp. In præparatione præſertim medicamentorum facio plurimi, cum ad vſum medicum egregie conferre videam: neq; tamen ea intemperie, vt iccirco veterũ medicamenta omnia reſpuenda cenſeam. Sunt quibus panis, ſunt quibus maza, ſunt quibus ſorbitiones conueniunt, non modo pro vitæ & fortunarum diuerſitate, verumetiam morborum. Locus de empiricis apud Hipp. comm. præceptionum extat, ſub finẽ, Seuerini Dani ingenium magnum iudico, & Idæam eius ad Paracelſi ſcripta plus quã vllius alterius cõferre arbitror. Cæterũ ſeruit etiam ille auctoritate, & dum libertatem philoſophicã præſentat, ipſasquoq; Theophraſti ſordes extollit. Vſque adeo difficile eſt modum tenere. Doctior vero ille eſt, quam vt à Paracelſi diſcipulis vel legi, vel intelligi poſſit: ſeuerior, quam vt noſtri illum admittant, ſtudium interim Theophraſteæ opinionis ex principiis Hipp. deducendæ nec ineptum, neque malum in quibuſdam. Sed hæc alij iudicent. Hippocratem Francofurto per certum hominem ab Epiſcopio petes, ſcheda quam ſubieci oſtenſa. Rungij familiaritate vtor, à quo etiam ipſe non vereat quinetiam diſcere cupiam. Vale. Baſilea, 26. Martij, Anno 1579.

Idea Medica Seuerini Dani.

EPIST. CCLV.

IDEM EIDEM.

HIPPOCRATEM in præſens è manibus depoſui, Theatri tertiationi occupatus, non penitus ſpem abieci, præſertim ſi, quod ſpero, aliquis in contexu Græco emẽdandu, & verſione Latina adiungenda operam interea ſuam interpoſuerit. Etſi ex hoc ipſo ſpecimine, vt doctis ad meliora præſtãda animum adieci: ſic forte eorundem laboribus à commentando deinceps abſterrebor. Quo nihil mihi crede, optatius foret, vtut ſint, qui ex ſuo ingenio diuerſum de me ſentiant. Nepenthis deſcriptionẽ, quam pedis, ne fidem labefactem, in præſens mittere non poſſum: neq; ea magno tibi foret vſui, cum operoſa & artificioſa admodum ſit præparatio: quinetiam ipſe ego non paro, ſed parato vtor. Diligentem requirit & induſtrium hominem. Is eſt Adamus Keck pharmacopæus Francofurtenſis ad cygnũ. Drachmam ille paulo plus floreno vendit, in decem vel duodecim doſes ſuffecturam, pro ratione ætatis, morbi, virium. Medicamentum inſigne, ſed quod promiſcuo vſu minime proſtitui debeat. Baſilea, 10. Iulij, Anno 1579.

Nepenthis præparatio operoſa & artificioſa.

EPIST. CCLVI.

IDEM EIDEM.

TE in Hippocrate diligenter verſari, gratiſſimum eſt: cum ex illo ceu fonte ſolidioris medicinæ, veritatis & virtutis ſtudioſus, in quorum numero te non in poſtremis colloco, plurima, & ea quidẽ minime vulgaria aliquando decerpturus es mihi perſuadeã. Qua in re ſi Deo opt. max. viſum eſt mea quantumlibet tenui & perfunctoria obſtetricatione vti, eſt cur illi gratias agã æternas. Qualitates primas non ſimpliciter reiicit Hippocrates, ſed propter hypotheſin aliorũ ſuſpectas facit. nec immerito, cũ vel noſtro ſeculo videamus non paucos in morborum cauſis ad beatas illas qualitates omnia referre, & in abſtractis formis ita occupari, vt cõcretorum, & veluti materialiũ qualitatũ (ſi cum prioribus illis conferantur) penitus obliuiſci. Hipp. certe qualitas prima nuda, non niſi cũ materia (cui & color & ſapor atteſtatur) ad morbus facere videtur: adeoq; in iis

Hippocrates primas qualitates reiicit.

etiam,

etiam, qui immateriales penitus cenſentur, materiam hanc dari veriſimile eſt, eo ſolo differentem, quod in his ſubtiliſſima, & ſenſui obſcurior, in illis manifeſtior & craſſior deprehendatur. Hinc duo morborum principia materialia, πνεύματος καὶ ῥεύματος, non vno loco pooit. Neq; vero ocioſæ erunt primæ qualitates, ſed vt per ſe parum efficiunt, ſic cum materia ſua iunctæ, plurimum momẽti afferunt: cum quod lib. de diæta docet πῦρ πάντα κινεῖν, ὕδωρ πάντα τρέφειν δύναται. Dudithio viro ſummo fauſtam felicemq; migrationem hanc opto. Te vero beatum, qui tanto viro tam familiariter deinceps ſis vſurus. Ei plurimam ex me ſalutem. Sed & fratri tuo νεογάμῳ. Salutant te collegæ omoes vno ore, in examioe Iuſtini Gothani, viri doctiſſimi. Baſileæ, 8. Nou. Anno 79.

Duo morborum principia Hippocratis.

EPIST. CCLVII.

IDEM EIDEM.

NOLI tu vero, mi Monaui, in ſenem noſtrum ioiurius eſſe, quaſi Zuingeri ἐπεραστισμῷ aliquid ei ſplendoris, obſeruaotiæ ſaltem aliquid, acceſſerit. Nepeothis grao. iij. ad v. in adultis, cum colici, cum nephritici dolores vrgent, ſaccharo roſaceo ſubactis, vel cum iulepo roſarum dilutis vtor. In pueris ad granum j cum ſyrupo pæooiæ, vel ſimili alio, ad motus epilepticos ſiſtendos. In febrium inquitudioe medicamenrum præſtans. Vino vel aqua oportuna dilutum deotium dolorem mirifice ſedat. Alui fluorem egregie ſiſtit. Medicamentorum porgantium vim compeſcit. In ſeoibus & debilibus caute exhibendum, non qood periculi aliquid ſubſit, ſed oe locus detur inuidorum calumniæ. Theriacæ ſpecie, vel extracti alicuius ad præſentem morbum oportuni, exhibere ſoleo. Somnum lenem conciliat, oeque vigilia ſubſequens veſtigium narcotici vllius relinquit. Illud vero ſedulo cogita, medicamenta ipſa proſtitutione vileſcere: non quod communicatio boni vires ipſius booi eneruet, ſed quod familiaritas nimia contemptũ parit, quando id quod tui ſtudio perfici poterat, in eo herilis opera impenditur. Catholicon ſi eſt, quod nomen præfert, etiam in arthritide. Neque verearis incentiuum ad fluxiooem, quandoquidem è diuerſo adeſt quod retrahat. Itaque penetratio eo vſque vſui eſt, donec purgantis medicamenti vis ad articulos etiam pertingat, & inde humores alliciat: cum vis purgatrix ſudorifeгam ſuperet. Niſi hoc eſſet, rationi Roodeletij acquieſcerem. Hęc cauſa cur tam lente, & tarde & innoxie agat. Id quod vſus te docebit. Sed medicamentum tale eſt, quod Medici manu parari debeat: ipſo alioqui vſu vileſcet, & abuſu pharmacopœorum importune adhibitũ ſuſpectum reddetur. Nullum ego illi ex purgantibus ὡς καθόλου εἰπεῖν prætulerim. De ſocco abſinthii quod quæris, ſic mihi videtur: quatenus abſinthium ſtomacho prodeſt, id deterſione & aſtrictione ſua præſtare, quarum vtraq; in terrea parte ſita eſt. De συγγενείᾳ mixtorum præclare Galeous exemplo roſæ. Videtur certe vt in animalibus, ſic in plantis, triplicis concoctionis, velut effectus quidã, χυλὸς, χυμὸς ὀπός: etſi in aliis alius magis apparet. quorum ſingulis ſuus ineſt ſpiritus, ſinguli vero ſolidæ parti tanquam carnibus & oſſibus inhæreot. Vinum ratione ſpirituoſæ partis ſpiritus reficit: reſpectu ὀποῦ terrei ſic penetrat & detergit, reſpectu χυλοῦ & χυμοῦ ſui ſic outrit. Orta à principiis non atteſtantur ſuorum principiorum. Sic ex tribus illis humoribus quidã terræ, alius aquæ, tertius aeri proportione reſpondet. Etſi horum ipſorum rurſus ſinguli à reliquis ſeparati in partes alias iiſdem priocipiis reſpondẽtes ſeparari à oatura poſſint, vel chymicæ analyſeos argumento, quantum quidem ex artis huius tyrocinio huc vſq; deprehendere licuit. De ſitu vrbium idem iudiciũ, quod de ſitu domorum, quas ad orientem vel ſeptentrionem ipſas dicimus, quateous ſolem & ventos ex ea parte ſuſcipiuot. Hinc crebro apud Hipp. Si vrbs ad auſtrum ſita, à ſeptentrione vero σκέπην habeat, hoc eſt, vel montium vel ſyluarum beneficio à Boreæ impetu defendatur. Idem de fooribus ad orientem erumpentibus iudicandum cenſeo. Vale: ſalutat te Platerus. Tu ex me D. Heſſum & Hermaonum, inprimis vero Rhedingerum noſtrum. Baſilea, Cal. Febr. Anno 80.

Nepenthes. — *Medicamenta vilescunt prostitutione.* — *Catholicon.* — *De ſucco abſinthii.* — *Effectus triplicis concoctionis.* — *Ad orientem qua.*

EPIST. CCLVIII.

IDEM EIDEM

PERSOLVI ſuperioribus tuis, miſſis ad Camerarium literis. Rungio te familiariter vti gaudeo. Ad ternas meas nihil ille hactenus: nec an Hippocrateum exemplum habuerit, ſcio. Oleum ceræ præclarũ, niſi odore ſuo caput infeſtaret. Turpethi mineralis tot præparationes, quot artifices: Recte tu, qui nondum exploraſis caute vtaris. Vteris illis deinceps & audacius & felicius. Ii enim, qui odio ſectæ Theophraſteæ hæc & rident, & Inſectantur, nõ tam in chymiſtas, quam in chymiam medicinæ famulam multo antiquiſſimam, iniurii ſunt, & de ignotis iudicium interponunt. Et vero hæc talia ſunt, vt αὐτόχειρα requirant. Plateri tabulæ ad mercatum proximum exponentur

Rungium ex me officioſe ſalutabis: & quia certius à vobis quam à Francofurdenſibus literas accipere ſoleo, vti hanc ceu regiam viam ſequatur monebis. Vale, mi Monaui. Baſileæ 13. Kal. Iunij, anno 1581.

EPIST. CCLIX.

IDEM EIDEM.

ACCEPI tuas. Neque vero Nepenthes congelando tantum, ſed & diſſipando & propellendo, confortatis viſceribus præſtat in Epilepticis. In pueris eo exhibito animaduertes faciem robore ſuffundi. Congelari vero ſpiritus nihil mirũ videatur, ſi momento etiam & à calidis frigida, & à frigidis calida, mediantibus ſpiritibus, h.e. corporibus ſubtiliſſimis & agiliſſimis, coagulari animaduerteris. Sic oleum Camphoræ ab aceto non tantum ſed & ab aqua ſimplici. Oleum Saturni à momento aquæ, oleum Sulphuris craſſius ab vrinæ ſpiritu. Iucũda profecto Empiria, &, vt ingenue dicam, multis otioſis theoriis anteferenda. Recte tu de moſcho in vterinis remouenda. De mumia nõ multum laboro. Nam baſi medicamenti, & iis, quæ adduntur oleis, vtramque vim attribuendam cenſeo. Neq; vero margaritarum acredo te offendat, niſi etiam ſalium, qui tamen non modo innoxie, ſed & magno cum commodo exhibentur. Magna ſunt hæc omnia, & præclara, ſed περίζοδος interim ἀξιομισθὸν ea eſt, quæ Medicum facit αὐτήτορ. In aniſo purgante ſcammonij molem ego neutiquam perhorreſco. Fac periculum. Deſcriptio genuina, quam miſi, niſi quod in ſcheda tua pro Turpeti, Maſtichis an. ʒ ß. ſubſtitues an. ℥ ß. Noſtri non conficiunt, ſed alibi confecto vtimur. Catholici decocti ℥ iiij. infunde ℥ ß. caryophillorum cum ℥ ß. ſyrupi roſati ſolutiui. Nihil eo mitius. Nunc adeo quinquagenariũ ex infectione Hepatis calidioris, toto corpore ſcabioſum, per dies 40. feliciter eo purgaui. Loco vini decocto leniore vtentem, victus reliqua ratione liberiore. Purgat tantum non proijcit ſudorem. Neq; eſt quod ἰδρωτικῷ vim quodammodo afferri putes, ſi καθαρτικὸν reddatur. Vis illi aperiens tanta eſt, vt purgans ad intima deducere queat: neq; vero tanta, vt per ſudorem purgare queat. Indicat curatio ipſa, nec tu niſi expertus credas. Vino non interdico, niſi penetrationis maioris cauſa loco vini ſubſtituẽdum videatur lenius decoctum. Guaiacone vero vinum venenum? At & Matthiolus, & Maſſa vino Guaiacano feliciter vtũtur. Cratonis formulam probo. Vale [illegible] cõmittes Maſſæ libellus de morbo Gallico continet. Turpeti mineralis tot fere de[illegible], quot capita. Neq; ego deeſſe-

Congelatio Spirituum.

Margaritarū acredo.

Catholicon decoctum.

ctu quicquam aſſerere poſſum, qui præparationem ignoro. Vnam habeo, partem diaphoreticam partim vomitoriam: ſed vehementẽ vtramq;. Itaq; blandioribus & tutioribus vti malo. Diaſulphuris deſcripto non placet. Congeries illa medicamentorũ mihi nõ placet. Si Theriaca ſulphur præparatum excipias, cũ caſtoreo, thure, camphora (quid enim craſſa illa, & per ſeceſſum abitura moramur, margaritas, lapides) idem factutum putarim. Scilicet & pharmacopœorum lucro conſulitur, & copia ingredientium medicæ ſingularis memoriæ auctoritati, ſi Diis placet cõſulitur. Etſi & illud verum eſt, Regem abſq; ſatellitio in publico conſpici non debere. Sic mores noſtri. At Ageſilaus etiam ſolus inter ſuos probabatur. Hæc ego ad epiſtolam tuam raptim. Vale, mi Monaui, & me amare perge. Baſileæ Calend. Maij. Anno XXCI.

Diaſulph.

EPIST. CCLX.

IDEM EIDEM

DE cometis iudicium tuum magnifacio. Etſi in hoc genere, vt & in compluribus aliis non magis Platonica, quam Chriſtiana ἐποχὴ mihi probatur, in Academia cæleſti aliquando explicanda. Quod de ſtibio hyalino quæris, vt vehementiſſimum, ſic efficaciſſimum medicamẽtum eſſe in vtramuis partem, ipſa docet experientia, & propterea pharmaci nomine digniſſimũ, quod recto vſu ἄκος, ſiniſtro ἄχος φέρειν ſoleat. Nauem agere ignarus nauis timet: & ſtibiũ ægro, non niſi, qui didicit propinet. Cum procliue ſit in vtramq; partem peccare, & improuido vſu infamia Medico, pernicies ægro accedat. Quod ipſum Arragoſius de metallicis plærisq; ſentit, vt non plus gladio Scanderbecci, quam dextræ eiuſdem ſit tribuendum. adeoq; inſaniæ notam mereantur, quotquot vel methodum nouorum medicamentorum ſupellectile exarment, vel eorundem fortuito ſucceſſu antiquam artis viam damnant. Vale, Baſileæ 10. Iulij, anno 1579.

Cautione opus eſt in vſu ſtibii.

EPIST. CCLXI.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.

Theodorus Zuuingerus S D.

TE viuere & valere opto. Succeſſibus tuis gratulor, Weidnere doctiſſime. Ego manipulum vnum corticis ligni Guaiaci contuſi in libris ſex aquæ coquo ad dimidias pro potu. Ad tertiam vnam pro infuſione. In pertinace gallico repetito vſu opus eſt, vere & autumno. Vino hactenus vſus non ſum, etſi bonus ille ſenex eo in gallico inueterato vteretur. Cæterum vſus huius phar-

Zuuingeri cura in Gallicana lue.

pharmaci ſic, vt omnium aliorum, non ſemper ſuccedit, propter analogiam ſcilicet diſparem, & idioſyncraſiam corporum. Antidotis parum tribuo in hoc genere, quando veneni gradus ignoratur, etſi quo modo antidotus illa ex Guaiaco ipſa petenda, quæ nõ tam manifeſta quam occulta qualitate contra morbum pugnat. Sed vt purgationes ipſas maximi facio; ſic intermiſtos ſudores ex mercurio præcipitato flauo, vulgo turpetum appellant minerale, dum abſq; corrodentibus præparetur, aut certe acrimonia omnis eluatur. Sed de hoc alias. Peregre etiam Catholici vſus eſſe poteſt talis: ℞. xeroxerotati minutiſſ. puluerifati ℥ ij. ſalſæ pariglie ℥ j. liquiritiæ ℥ ß. ℞. pulueris huius ℥ j. ß. Macerentur primo, inde bulliant in iutis pulli, vel aquæ communis menſura vna ad medietatem. Seruetur poſtea. ℞. foliorum ſenæ ℥ ij. meliſſæ, roſarum pallidarum, cinnamomi ana ʒ ij. ſacchari ℥ ß. Miſc. Exinde curo ſingulis noctibus in ℥ vj. decocti ſupradicti frigidi macerati pulueris poſterioris ʒ vij. Mane per paruum lancum linteo ſubtili tectum colo, ſyrupi roſati momentum addo. Hoc ambari loco addere volui. Miſcentur pulueres varij mangonii cauſa, vti non quidem naſuti dignoſcere queãt. Hippocrates nunc ceſſat, quando in theatro totus ſum. Tabulas noſtras in Ariſtotelis Rhetorica iuuenilium ſtudiorum noſtrorum tyrocinia edere nec licet nec placet. Dolet mihi multa irreuocabilia emiſſa, at non dolet, ſi anſam hæc ipſa aliorum melioribus cogitationibus præbeant. In medicinæ veteris conſtitutione & deductione methodica, ſi Deus inter tot peſtilentis luis funera pro ſua clementia vitam dederit, occaſione profeſſionis meæ deinceps totus ero. Vale V.D. & me amare perge. Baſileæ 9. Octobr. anno 82. Ignoſce feſtinationi.

Antidotis parum tribuendum vbi veneni gradus ignoratur.

Turpetum minerale.

Catholici vſus.

EPIST. CCLXII.

IDEM EIDEM.

ACCEPI tuas, V.D. & vt Homerico more ab vltimis ordiar, quam miſiſti ſigillatam Amwaldinam neque vidi, neque de ea iudicare poſſum, ne mihi de peregrinis & incognitis iudicium ſumere videar. Odor ſpicæ genuinus non eſt, an propter oleum ſpicæ admixtum ad candelam ardet. Ex facultatibus certius quid vos ipſi coniectabitis. Neq; vero ego, quod in epiſtola tua primum fuit, antidotis derogo, ſed non omnes, quæ antidotorum nomine circumferuntur, cuiuis morbo venenato, aut veneno quid ſimile habenti conuenire, & vt quam maxime nihil obſit, nihil tamen prodeſſe non magis ratione, quam ſenſu iudice ſimul iudico & cenſeo. Etſi vero gradus veneni æque atq; antidoti interdum penitus ignoratur, ac nihil prohibet fortuito antipathiæ naturalis τὸ ὅτι etiam à plebeiis deprehẽdi, cum τὸ διότι ne ſummi quidem rerum naturalium ſcrutatores aſſequantur. Turpetum minerale Quercetani quale ſit ignoro, & quando arcanum illud eſſe vult, per me tale maneat. Eius quo Bodenſtenius vtebatur formulam habet, ſi modo legitima eſt, cum S. & oleo vitrioli, colore aureo, ſed quod non per ſudorem tantum, ſed & per vomitum & ſeceſſum granorum iij. pondere purgaret. Coralliorum ſal, cum prius per ſe ſoli in clauſo vitro calcinati fuerint, aceto ſtillaticio extrahitur, quod aceto adhuc iunctum ruborem egregie ſeruat, eodem rurſus abſtracto albedinem recipit. Eo ſale incorroborando, & ſiſtendis fluxibus præclare vtor. Sunt qui cum nitro prius calcinent, ſed multiplici ablutione ſalis opus eſt, & nitrum ipſum tincturæ videtur inſidiari. Mutatio vero iſta coloris tum in coralliis, tum in tartari ſale ſuperinfuſo aceto, inde abſtracto qui fiat, nondum aſſequor. Cæterum quod Fernelius eroſionem aceti veretur, ex Galeno ipſo diſcere debuit, multa eiuſcemodi intra corpus tuto propinari, quæ foris corpori admota & rubificãt & erodunt, & cruſtas inducũt. An vero acetum crudũ acerrimum, quo coqui paſſim vtuntur, minoris acrimoniæ erit ſtillaticio? maioris ideo efficaciæ propter craſſitiem ſuam, qua magis adhæret, & diutius infeſtare poteſt. Nolim interim tanti viri iudicium reprehendere, ſed hoc aſſerere poſſum, vt quam maxime aceto iſta extrahantur vel acerrimo, vel S. oleove vitrioli, at crebris ablutionibus eadem rurſus elui, aut ſaltem ita attemperari, vt in tantula quantitate qua exhibentur, vix centeſima pars ſit eius acrimoniæ, quam nos quotidie de manu coqui in pulmentariis, & acetariis innoxie ſumimus. Turpeti, vt ſupra monui cum oleo & S. vitrioli præparati dulcoratio repetitis fit ablutionibus cum aqua calida, vbi illud mirum accidit, maſſam mercurialem, quæ alba fuerat, affuſa primum aqua flauam reddi, toties que ablui, donec nulla amplius vel ſalſedinis, vel acoris veſtigia superſint, tum demum aqua frigida ablui & exiccari. Coralli ſimiliter ſubtiliſſime contuſi in cucurbitam iniiciuntur, per alembicum aqua abſtrahitur flaua (ſi dextre negotium obeas, forte etiam in veram tincturam, olei rubicundiſſimi inſtar, incides, quam mihi ſemel tantum videre & excipere contigit) poſt aucto igne calcinantur ad albe-

Antidotis [illegible]

Turpethum minerale.

Sal Corall.

[illegible] Stilla[illegible] [illegible] acetarijs

Turpeti mineralis dulcoratio.

Corall. tinctura.

dinem, inde affuſo aceto ter deſtillato in tepidis cinetibus rubedo extrahitur. Abſtracto rurſum aceto id quod ſubſedit aqua dulci multoties abluitur. Et hæc ego ad tuas, mi Weidnere, ſunt hæc talia, quæ αὐτοψίαν potius, quam ἀκρόασιν vel ἀνάγνωσιν requirant. Nam paruus interdum error totum opus interturbare conſueuit. Vale V.D. & me amare perge. Baſilica, Cal. Maij, Anno 1583.

EPIST. CCLXIII.

IDEM EIDEM.

Vri Zwing. præparet ſpiritum vitrioli.

CHALCANTHINVM ſpiritum alij aliter. Operoſiſſima illa, quæ per nouum alembicum repetitis combibitionibus fit: Ego compendioſiore via elicio, vna cum oleo non (vt vulgo) abſtracto primum phlegmate & abiecto inde elicito oleo (ſic enim ſpiritus humidi omnes peteunt) ſed à primo liquore vſq; ad extremum omnibus ſimul in eodem receptaculo manentibus & permixtis, poſtmodum rectificando primum phlegmate inerti, ſubinde oleo albu (quod ſpiritum vocant) tandem rubro ſeparatis. Cæterum in turpeti præparatione non ſpiritu, ſed ſale vitrioli opus eſt, (an forte tu notam ſ. pro ſpiritu accepiſti?) ſic enim correctior & multo coloratior erit mercurius. Spiritu exhauſtus in præſens αὐτίδωρον mittere nô potui: mitto tamen vt in re tenui, tantillum in vaſculo. Hiſce diebus σὺν θεῷ rurſus parabo. Terræ Amwaldinæ ſemunciam data commoditate ad me mitti cupio, indicato precio, ſi modo earum eſt virium, quas tu prædicas. Tibi, mi Weidnere, vitam & incolumitatem, quæ à Deo eximie pendet, felicem in arte ſucceſſum. Baſilea 2. Septem. Anno 1583.

Ol. Album vitrioli ſpiritum dictum.

Sal. vitrioli.

EPIST. CCLXIV.

IDEM EIDEM

PRO Amwaldina tabella gratias tibi ago. Tanceti aquam abſq; infuſione, ipſo decocto crediderim & ſuauiorem & efficaciorem, niſi forte ipſa decoctione ſal quoq; ſubtile extrahitur. Camphoram cum ſpiritu vini generoſo ſolutam quidam in peſtilentia maximi faciunt. Salis vitrioli ratio hæc eſt: Poſt elicitum oleum ſubſidentiæ, (quam caput mortuum vocant) aqua communis calida affunditur. lixiuium paratur, more conſueto. Filtratur. Phlegmate abſtracto, in fundo remanet ſal. Quod ſi impurius videatur, iterum dilutum cum aqua, colatumque excoquitur. Salis oleum alij aliter: Ego ſal commune vſtulatum vrina puerorum octiduana excipio. In calido per dies aliquot foueo. Liquorem omnem per filtrum colo, colaturam excoquo. Sal tetragonum in fundo manet, quod in frigido ſupra porphyritem in oleoſum liquorem abit. Hæc tibi petenti ego ex tyrociniis meis. Nam quod tu de ramo illo aurifero votum addis, agnoſco ego tuam erga me beneuolentiam, ſed vt contrario mihi opus eſſe voto videatur, ne ſi tale quid contingat inter homines βίον ἀβίωτον induere cogar Timonis illius Lucianici more. Vale V. D. Raptim Baſileæ, 12. Maij, Anno 1584.

Camphora ſoluta.

Salis vitrioli præparatio.

Oleum ſalis.

Nota.

EPIST. CCLXV.

IDEM EIDEM.

ACCEPI xenia tua ἰατρικὰ & pro iis gratus ſum. Corollorum veram tincturam ſemel ego αὐτοχειρὶ elicui, puram, ſanguineam. Sæpe poſt id tentata, non ſucceſſit amplius. Cæterum αὐτὶ ᾿Αλλ᾿ ἐμβρύου μηχάνημα, quo vtor frequenter tale eſt: Coralli rubri triti minutiſſime in vaſe vitreo, ſuperimpoſito alembico calcinantur ad albedinem, vt vaſis fundus candeſcat. Calcem hanc aceto deſtillato potenti immitte. Fermentationem ex diſſolutione videbis egregiam. In calido foue diebus octo, quotidie bis agitãdo. Tingitur colore rubro. Defunde colaturam, repete infuſionem. Tincturas omnes ſimul collectas veſicæ iniice. Abſtrahe per alembicum phlegma omne. Liquorem craſſum, qui in fundo remanſit, in vitrum patulum effunde, ſine vt in calido exhalet ſeroſum, videbis formas pulcherrimas, & noua coralliorum rudimenta. Ablue aqua calida ſæpius, & rurſum abſtrahe. Exiccatam materiam ſupra cineres calidos foue per hebdomadas aliquot, & in ſal albiſſimum conuertetur, quod in quolibet liquore promptiſſime ſoluitur. Eadem margaritarũ ratio. Plura in præſens propter occupationes non licet. Tibi ego, mi Weidnere, vitam & incolumitatem ex animo precor, & Rothum, ſic vti ſatis, tibi commendatum eſſe cupio. Baſilea, 25. Iulij, Anno 1585.

Tinctura Coralli.

EPIST. CCLXVI.

IDEM EIDEM.

ERGO de incolumitate veſtra Galluꝫ Æſculapio debemus. Sic Chriſtus ſeruat ſuos. Nos iiſdem in præſens febribus peſtilentibus maculoſis affligimur. Arſenici ego nullum periculum feci. Fecere alii mihi noti, ſed incerto euentu. Euphorbiumne vero quis exhibere audeat, qui ſtibium multo mitius ſubſannare audet? Vſque adeo noſtra nobis placent, aliena ſordent. Pillulam de arſenico multo mitiorem crediderim. Sed ἡ πεῖρα omniũ inſtar. Theri-acam,

[illegible] ar, qua laudat in peſte.

acam, electuarium oui, Antidotum præſertim Matthioli, additis granis xv. vel xx. olei ſulphuris, reliquis prætero, cuius ipſius ſemunciam cum ſuperpendio à Gallo emtam duobus ſolaribus ſiue baziis noſtratibus 54. pixidi incluſam tibi mitto. Calorem natiuum efficaciter roborat, patenter ſudorem mouet. Vale V.D. Baſilia 1x. Iunii. An. 1586.

EPIST. CCLXVII.

IDEM EIDEM.

Aurum potabile ſophiſticum.

ACCEPI tuas, Weidnere doctiſſime, cũ duobus aureis, qui ęquiualent gallicis, quod Gallo Chymiſtæ dedi. Aurum ille πότιμον nec parat, nec vendit, etſi parandi rationes varias nouit, ſed vt ait ſophiſticas omnes. Quam miſiſti formulam Beatianam, à Monauio iampridem acceperam. Eam certe neque auſim, neque velim tentare, ne opera & oleum labore longo periret, neque crediderim hoc præſtari poſſe, niſi oculata fide edoceret. Multa in huiuſcemodi arcanis σοφίσματα venduntur, multa quin etiam ἐγχήμασι & ἁμαρτήμασι cõtingere poſſunt. Egu generoſo ſpiritu vini ex vino extracto, agallochi optimi ſucco prægnante in reſtaurandis viribus feliciter vtor. Oleum ſulphuris ſudores prolicit, eoque numine gallicis quoque cum decocto ligni vel ſalſæ propinatur efficaciter, ſic doſis decocti mole parcior, viribus maior eſt. In aſtmate certe cum aqua iridis, belenii, ſcabioſæ & ſimilibus ad grana ſex mane vtiliter ſumitur, aut certe cũ iuſculo, itidem veſperi trib. ante cibum horis. Materiam namque incidit, digerit, & catarrhum defluentem quoq; ſiſtit. Cum vino etiam propinare ſoleo, admixto ſaccharo, in ſtomacho languente, in obſtructionibus, in doloribus inteſtinorum à flatu excitatis.

Extractum Zedoar.

Spiritu auri generoſo extrahe ceduarię ſuccum pro more, vehiculo ad medietatem abſtracto, ſucci huius ℈j. cum ℥ij. iulepi roſ. limpidi miſc. pro paralyticorum vſu Decem guttæ efficaciores, quam multa alia antiduta. Eodem inlepo prophylactici loco apud ægros vtor, vaſculo exili, quod enchiridii loco eſſe poſſit, incluſo, eum ſiphune paruo. Sed auocor. Tu vale V.cl. Baſilea, 29. Nouemb. Anno 1586.

EPIST. CCLXVIII.

MAGNIFICO DN. ANDREÆ DUDITH ab Horckouitza, &c. Th. Eraſtus Med. S.D.

HOc ipſo die, cum inter libros chartaſq; aliud quærerem literas tuas, quas ſuperioribus ſeptimanis fruſtra ſæpius quæſieram, reperi. Itaque gaudio affectus ſtatim iis relictis ad reſpondendum me accinxi. Primum tibi gratias ago ſummas pro tua beneuolentiſſima erga me voluntate. Quod tibi, vir ſumme, aliquid eſſe videor, totum hoc tuo erga me amori tribuo, mihi nihil eorum arrogo. Paradoxa quoq; non conſector, & quæ a pleriſque probari video, non ante damno, aut reprehendo, quam ſæpe diligenterque apud me examinaui, & excuſſi, aliorumque de mea opinione cogitationes atq; argumenta expendi. In eo fere me ſum totus, vt quæ antiquis recte tradita, & à poſterioribus negligentius exculta deprebẽdi, ad examen reuocem, & diiudicanda aliis proponam. Scripſi theſes de contagio, putredine, morbis totius ſubſtantiæ, quas te iam babere ſuſpicor. ſunt enim editæ. Conſcripſi etiam de ſomno, melancholia & conuulſione, quæ vulgatæ nondum ſunt. Et in poſtremis confuto ſententiam omnium certiſſimis demonſtrationibus, at non proinde certis fortaſſe, quid ſentiendum ſit doceo. Fores nihilominus patefacio aliis, aut viam indico, rectius cogitandi. Statui orium nactus t⸗ſiorem omnium declarationem proponere, & obiecta, quæ vel ipſe finxi, vel ab aliis clariſſimis medicis & philoſophis excogitata accepi, dilucide explanabo: vt vnicuiq; liceat de tota cauſa ſententiam dicere. De epilepſia præter illa, quæ in quarta parte Antiparacelſ. diſput. habentur, nihil ſcripſi. Compendium artis noſtræ anno 1563. in feriis canicularibus extra ordinem auditoribus expoſui, neq; id ſcripto comprehendi, poſt annos decem, aut his amplius exẽplum à quodam accepi, vt auditores exceperant, quod ego factum fuiſſe prorſus neſciueram. Vellim certe tantũ mihi otii dari, vt recognoſcere liceret. Fortaſſe prodeſſe aliquib. poſſet. Interpretatus ſum annis ſuperioribus aphoriſmos Hippocratis & prognoſtica, ſed pro more meo, ne verbum quidem habeo notatum. Fuere tamen ex diſcipulis aliqui, qui quam potuerunt diligenter excepeũt. Miſi nunc Baſileam libellum de ſtrigibus, quem inuitus ſane ſcripſi, ac reſpõderecui dam coactus effudi verius, quam ſcripſi. Spero tamen nec aduerſarium, nec quenquam alium porro litem mihi de hac re moturũ. Bene vale, die 14. Sept. anno 1577.

Compendium medicinæ Eraſti.

Liber Eraſti de ſtrigibus.

EPIST. CCLXIX.

THOMAS ERASTUS HIERONYMO Caponaccio, S. D.

ADea, quæ ex amici cuiuſdam medici excellenter docti, excerpſiſſe lite-

ſola ordinanda multas paginas & chartas conſumant. Vt Italos talia expetere concedamus: apud Germanos certe noſtros parum vtilitatis obtinent, in quam ſententiam antea etiam nonnihil diſſerui. Non eſt docentis omnia ſemel docere velle: nec Medici omnia medicamenta ſemel proponere. quandoquidem multa cadunt inter calicem ſupremaque labra, hoc eſt, morbus in eodem ſtatu nunquam permanet; ſed ſubinde ſymptomata euariantur, quæ deinde noua etiam pharmaca deſiderant, ita res in infinitum ſeſe extendet. Quantum ad ægrum illum tuum, cui Guaiacum propinare in animo habes, ſpectat, breuiter etiam conſilium & mentem meam nuper aperui, videlicet non improbare me vllo modo hoc decoctum: immo potius præmiſſis præmittendis etiam atque etiam ſuadere. Sed caliditatem eius exhorres, & corpus magis attenuatum iri arbitraris. Non eſt difficile, mi Laurenti, caliditatem hanc contemperare, additis ſub finem decoctionis radicibus cichorii, fl. & fol. borraginis, ſeminibus melonum, item paſſulis excorticatis. Verum illud me magis hæſitantem reddit: num intemperies, quæ iam in habitu eſt & partibus penitus infixa, non ob externum duntaxat errorem, ſed facultate ipſa læſa tam cito & facile tolli queat? An etiam ſatis tutum ſit, hac ætate illud tentare? Præterea cum natiuum calorem, qui omnium naturalium operationum in corpore ſummus opifex eſt, admodum debilitatum eſt ſignifices: miror te de iis tantum remediis cogitare, quæ qualitati illius ſubueniunt frigiditatemque ipſi contrariam corrigunt, imo etiam, quæ hoc cum exceſſu aliquo faciunt, ſuſpecta habere, & non aliud potius conſiderare quod in arte noſtra ἀξίωμα eſt: Calorem natiuum ſubſtantiam quandam eſſe aeream & aqueam, ſeu aere & aqua participantem; nec vllo exceſſu caloris quæ qualitas ſit, præditum. Hæc autem ſubſtantia, in pueris potiſſimum abundat: mox vbi homo ad ἀκμὴν peruenerit, decreſcit; donec in extremum ſenibus ſecundum naturam prorſus exſtinguitur. Cum autem æger hic anno quadrageſimo quarto ſuperato, ad decliuem ætatem tendat: quonam modo defectum ſubſtantiæ caloris ingeniti reſarcies? quid repones: vt ruſus vegetum efficias, quique operationes priſtinas exerceat? Natura autem vt domina, debili exiſtente, quid Medici, miniſtri huius, laudabile efficient? Vides igitur iſtud prognoſtico ſeruire: ne temere illi ægro, cui natura ſubſidia neceſſaria deſunt, ſalutem, aut in integrum reſtitutionem promittas. Sed tamen nihilominus hoc artis præſidio conſequi licet: vt ſi non melius, ſaltem minus male habeat. Vt itaque excrementiciorum humorum minus in corpore colligatur, ſed illa intempeſtiue benedictis nuncupatis pharmacis expellantur, operam dabimus. Partem quoque affectam pro virili roborabimus: & fluxionis impetum, ne nos præueniat, inhibebimus. Materias horum non recenſeo, cum alias inter nos de his actum ſit & tu fortaſſe melius ſcias ipſa. Quid Dryoxylus de altero caſu reſponderit iam tenes. Mihi quidem non omnino ſatisfacit Neque enim prorſus aſſentior: à craſſo quodam humore collecto ſpongioſam illam carnem ortam fuiſſe, alioquin tumorem potius excitaſſet: ſeu œdematoſum, ſeu ſcirrhoſum. Seroſum ego humorem, & tenuem atque ſpumoſum ſubeſſe dicere malim: qui carnes vicinas, veluti fermentatione quadam facta, inſtarit, & ita rariores, maiuſque ſpacium occupantes, effecerit. hic, cum iam eo malignitatis peruenerit, vt à natura concoqui & ſuperari nequeat: nimirum omnino è corpore exturbandus eſt, tum ſumptis tum admotis. Inter aſſumenda, ea probarem, quæ melancholicum humorem (huius mineram, vt loquuntur,) reſpiciunt, ſimulque admiſtos ſeroſos humores ſiue per vrinam, ſiue per ſudores (quo in genere ſarſa excellit) euacuant. Extra admoueantur, & loco imponantur καθαιρετικὰ, inter quæ mercurius præcipitatus lotus aut non lotus principatum obtinet. Eluatur locus lixiuio excalefacto, etiam oleum vitrioli ſeu ſpiritus eius admoueatur, aut vnguentum Ægyptiacum, & ſimilia ſuperponatur. ita tamen vt ſemper ſanæ partes de ſenſiuo vocato muniantur: ne & ipſi ob vim mali ſerpentem contagio lædantur. Vbi hęc omnia rite peracta fuerint: tum demum de tempeſie natiua parti reſtituenda ſerio cogitandum. cum non remotis impedimentis, hoc fruſtra tenietur ab initio. Vt autem deſiderio tuo plenius ſatisfaciam: mitto caſum pueri cuiuſdam ſane mirificum, cum adiuncto conſilio Cratonis noſtri, cuius te omnia magnifacere video, nec immerito. Aliquo modo eum tuo conuenit: in multis etiam diſcrepat. Reperies hunc adiunctum lectionum Capouacecianarum volumini. Hiſtoriam curationis tuæ præſentaneæ ἐν τῇ δυστοκίᾳ libentiſſime legi. Illud medicamentum de borrace antea ſæpe commendari audiui: nondum tamen ipſe vſus ſum. Quam vero tu vim Ætii tribuis, eam etiam magneti lapidi ineſſe putarim. Siquidem practicis noſtris fides adhi-

De Guaiaco præbendo pro reſtaurando calido natiuo correcto.

Spongioſus tumor.

Præcipitatus.

ὠκυτόκια.

adhibenda eſt: qui tamen non raro audita potius & lecta, quam viſa & ab ſe experta, in medinm magno hiatu afferunt. Dn. Woiſelius iunior mirificas facultates magneti lapidi tribuit: & cum ſemper ſecum quo nuſquam illo careat, geſtare ſoler. Literas tnas ad Copiſium recte curaui: en habes alias à D. Sibenburgero noſtro, qui eadem occaſione ad me etiam ſcripſit. A D. Willebroehio nihil vidi hactenus; niſi forte tibi alia via ſatisfecit. hæc ſcribo cogitationibus circa iter diſtractis: quod me craſtino die, σὺν θεῷ ingreſſurum ſpero. Cæſar iam ante decendium abiuit: verum cum non recta via Pragam tendat, aulici paullatim ſubſequuntur D. Carolum Osleuium, collegam meum, Pragæ me reperturum confido. Num has recte acceperis, vt me quamprimum, ſaltem per fratrem certiorem facias, rogo. Bene & feliciter vale, chariſſime mi Laurenti, & ternis tuis hanc vnam epiſtolam, illis iunctis non multo breuiorem æquo animo accipe, literiſque cunctante tabellione hinc inde inſertis ignoſce. Viennæ Auſtriorum 13. Octobris ſecundum veteres Faſtos, Anno 1583.

Magnetis vires.

POST SCRIPTA.

CVM Dominus Crato de Domino præfecto æquis diſpoſitis quæreretur, num illi cauteria, quæ D. Acholzius ſuadebat, conuenirent ratione podagræ, quæ illum iam quinquagenarium à multis iam annis affligit, cum nuper etiam ligno ſaſſafras vſus fuerit, in hæc verba ad me reſpondit: De valetudine præfecti equis diſpoſitis quid ſcribam? Meas opinationes de ligno minime falſas fuiſſe animaduerti. Si cauteria ichores pernicioſos in vniuerſum exhaurire poſſent, fortaſſe aliquid prodeſſent. Sed quum non poſſint, & quanto enm periculo laudantur: ſatis multa exempla me erudierunt. Præcepta etiam medica vetant trahere materiam ad partem debilem, & loca affecta euacuare. Nolo recitare quid aliis contigerit. Itaque quid conſilii de cauterio dem, non repetio: nec præſentibus Medicis quicquam præſcribo. habes ſatis meam ſententiam de morbis articularibus, tum ex aliis meis ſcriptis; tum iis, quas ad Schonfeldium miſi, exploratam. Nullam cauſam reperio, cur eam mutem. Vſum frequentem pillularum mearum de tribus, vt appello, conuenientiorem illi futurum, quam cauteria arbitror, præſertim ſi limatura cornu cerui in potu infuſa vtatur, & ſe ad matutinos ſudores aſſuefaciat. denique nunc ſub vindemiam vinaceis pro fomento articulos corroborer. Vnum hoc ἐπιτάγματος loco addo: ſi in febribus putridis intermittentibus quibuscunque apparente aliqua, etiamſi non perfecta, in vrinis coctione, ægro ipſo die paroxyſmi medicamentum purgans dederis, ita vt effectum ſuum ante paroxyſmi inuaſionem compleat (horis ſcilicet 4. aut 5. antequam paroxyſmum aduenturum putas) videbis febrim poſt illum paroxyſmum non amplius reuerti ſed prorſus tolli quaſi incantatione quadam. Probaui iam ſæpius & in pluribus ſemper euentus reſpondit. In tertianis poſt tertium aut quartum paroxyſmum hoc facio. In quotidianis tardius: in quartanis tardiſſime ac vix ante triceſimum diem. Propoſui nuper hoc problema etiam ipſi Bucephalo, & ex Hippocratis autoritate deducere conatus ſum. Nondum reſpondit. Tu, ſi placet, idem experire. Iterum vale.

Pill. de tribus vtiliores cauteriis in Podagra confirmata.

In febribus Etiam die paroxyſmi illo purgatur materia concocta.

EPIST. CCXLIX.

IDEM EIDEM.

ITA diligens es in ſcribendo & aſſiduus, vt me longo poſt te internallo relinquas, chariſſime mi Laurenti. Neglexi ſane hoc officium cum paulo plus otii haberem: in præſentia ob ægrorum multitudinem mihi hoc facere vix licet. Sed tamen reipſa experieris me tui non oblitum: & quod tarditate peccaui, alia ratione compenſaturum. Literas ad D. Carolum Osleuium, collegam olim meum, aperui: eaſque adhuc penes me aſſeruo. Obiit is febri peſtilenti & lenticulari extinctus ipſo die ſolſtitii æſtiui, morbi autem decimo ſeptimo, ſtatim ab initio morbi malignitas ſeſe prodidit, deliriumque ſubſecutum eſt, quod ad mortem vſque perdurauit. Exanthemata admodum tarde prodierunt: die ni fallor, decima aut vndecima. Generoſa medicamenta multa, ſed abſque omni fructu adhibita: cum præſertim æger mente non conſtaret. Vt aliquid per os aſſumeret difficilime adduci potuit, imo ſudorificam potionem recuſauit prorſus. Illitus Ætii ex oleo chamomælino cum nitro potenter quidem, ſed nimis ſero, maculas euocauit. Quam viri & collegæ optimi mortem acerbiſſimam & triſtiſſimam dolenter tulerim, credere vix potes. Iam tum meſſis in herba erat: & ille fructus ſuos explicare cœperat. Si Deo ita viſum fuiſſet: longiorem vitã illi exoptaſſem ex animo. Cum D. Iohanne Weidnero te conſtanter amicitiam colere arbitror. Meminit is nuper

Mors Caroli Osleuii.

tui in ſuis honorifice. Aphoriſmos Archiatri noſtri miror ſane qua ratione nactus ſis. Vere tibi confirmo, me illos non vidiſſe: ac ſi quidem tua opera & diligentia, qua me lõge ſuperas, deſcriptas accepero, gratiſſimos habiturum. Ipſe autor ſua occultat pertinacius. Capouaceiana de ſenſoriorum morbis remitto. placent ſane: ſed deſcribere tædet. Interim aliud exemplum etiam à D. Scutellario noſtro mutuo accepi. Dixit mihi quidam nuper ex Italia reuerſus, dominum Capouaccium nunc in lucem edidiſſe libellũ inſcriptum Prǽludia anatomica: quibus Galenum contra Veſaliũ tueri conatur. Adiecit in fine tractatum ſuũ de cauteriis, multis egregiis additionibus locupletatum. Sed librum ipſum nundum vidi. Spero nunc ex nundinis Francofortenſibus affore. Quid tibi videtur de ſaltatricibus illis puellis? quarum hiſtoriam, & de iis medicorum noſtrorum iudicium haud dubie Dominus Dudithius ad te dudum tranſmiſit? Meam illi ſententiam libere expoſui. An eum tua congruat ſcire velim. Sed de his & aliis plura proxime. Bene & fœliciter vale, & præparatam hanc ſcriptionem boni conſule, meque amare perge. Pragæ Boiemorum, 4. Auguſt. currente calamo, anno 1584.

Preludia anatomica & cauteria ſitu in Gau… edita.

Puellæ ſaltãtes.

EPIST. CCL.

PAVLO HESSO MED. &c.
Theodorus Zuuingerus S. D.

MAXIME facio miniſtram medicinæ chimiam, eandem ſi dominæ ſuæ ſeſe anteponere audeat, flagris etiam dignam cenſeo. Theophraſto experientię nomine multum tribuo, quandoquidem multa præclara medicamenta, in neſcioquibus antris Cyclopum deliteſcentia, ſi nun à ſe inuenta, ſaltem exculta in lucem protulerit, eundem vero arcem medicinæ deiectis veteribus inuadentem non æquiori animo ſuſtineo, quã tyrannidem affectantem Cylonem Athenienſes. Atque vt illi, tanquam empirico & methodico Medicinæ elegantis imperito, quando dogmata artis tot ſeculorum conſenſu confirmata conuellere nititur mẽtem meliorem dari precor: ita noſtris quoque hominibus, qui methodi inepto ſtudio noua damnant omnia, & de iis, quæ nunquam manibus ſuis tractarunt, ſeſquipedalib. verbis fanda atque nefanda proferre audent, ſenſum accuratiorem opto. Et hæc mea de empiria noua (ſi modo Chimia noua eſt) & vetere medicinæ methodo ſententia eſt, ab Hippocratis, coryphæi noſtri, præceptis neutiquam aliena. Recte tu vero, qui velut obſignatis tabulis mecum agas, & ex iis quæ ante viginti annos ſcripſeram vel mutuum ad damnandam chimiam in vniuerſum cogas. Cæterum & tritum illud noſti: δύ'περ φροντίδες ἀφαίπερ, & delicta iuuentutis vtinam crebra lacrymarum repetitione delerę poſſem ſi methodum ſpectum, eius loci quẽ adfers me neutiquam pudet, ſi remediorũ præparationem, etiam diſpudet, qui iuuenili pręcipitantia mihi vix dum à primis labris cognita damnarim. Hæc ſunt, quæ non tam mei excuſandi, quam tui cõfirmandi gratia adferre volui. Vale, Baſileæ, 15. Aprill. Anno 1581.

Paracelſi encomium & vituperium.

THEODORVS ZVVINGERVS
D. Petro Monauio
S. P. D.

DE Nepenthe quod quæris, certe quo recentius, eo efficacius, propter opium & hyoſcyamum quem recipit, ſed & propter recentes vires eorum, quę correctionis cauſa adduntur, oleum garyophyllorum, aniſi, cinnamomi, ſubtilium ſcilicet partium, tam tutum videtur recens, quam antiquum. Neque vero fermentatio tam hic neceſſaria, quando purior tantum ſuccus ſumitur, atq; in Theriaca cui craſſa omnia & corpulenta induntur. In ſenibus & debilitatis vtor ad gr. iij. vel iiij. In pueris ad gr j. vel ij. In iuuenibus & morbis calidis ad gr. vj. cum iulepo roſaceo. Somnum mitem inducit dolores lenit, æſtum extinguit. Epilepticum ſpaſmũ cohibet, nõ tam facultatem partium, quam vapores & ſpiritus morbificos congelando. Hac experientia tale affirmare poſſum, vel heſterno die, abſque ſopore dolorem & agitationem ſublatã fuiſſe in filia Epiſcopi bimula trium horarum conuulſione laborante. Margaritæ cum æquali pondere vitri in furno antitypo calcinantur, ſalſudine abſtracta extrahitur ſubtilior pars cum aceto deſtillãte, quo euaporante ſubſidet calx puriſſima aqua roſarum crebris affuſionib. abluenda. Aliter in aceto deſtillato, & ſpiritu vini generoſiſſimi ana, in fimo contuſæ diſſoluũtur. Defuſione facta nouũ menſtruũ affunditur, donec penitus ſint diſſolutæ. In funde ſubſidet eſſentia abſtracto phlegmate. Et hoc rectius atq; cautius. Alii alias habent præparandi rationes. ſed in ſimilib. ἡ πεῖρα καλλίστων χρησὶ διδασκαλῶν. Nepenthis vſus Methodicus tutus: ſed & qui prudentiã Medici requirat, vt raritate ipſa magis magiſque cõmẽdetur, σπάνιον γὰρ τίμιον, & proſtitutio ipſa ſi non vires medicamenti, ſaltem autoritatẽ. & per cõſequens efficaciam extenuat. Aurũ inter metalla principatum obtinere, ſed & inter

Nepenthes vſus.

Margaritarũ diſſolutio.

inter res naturales ſolũ immortalitate quadam prædituũ eſſe, qua de cauſa tacito ſenſu ab omnibus, licet ignorantibus appetitur, (ἰσότης γὰρ ἡ φιλότης) conſtat. At illud idem niſi vegetabile primum, ſubinde aoimale fiat, adeoque corpori humano ſimile, nullam nec corroborandi, nec curaodi vim habere poterit. Proinde vulgatis quorundam ſolutionibus non plus tribuendum cenſeo, quam auro foliato aurive ramentis. Bibitur & deuotatur aurum, aurum excernitur. Compages illæ adamantinæ ab igne inuictæ aliquid igne potẽtius quærunt à quo ſoluantur. Deſcriptiones aliquot habeo, tamẽ nullam adhuc examini ſubieci. Pro tua gratias tibi ago, ſunt in ea quædam propter ἀσαφείας ſuſpecta. Nam in huiuſcemodi interdum vel minima maximum ſecum τοῦ τυχεῖν ἢ ἀτυχεῖν momentũ afferunt. Vulnetaria è pytola non videtur mala, & ſæpe συμπάθεια paucorum quorundam effectus præſtat admirandos, artemq; doſium medicam, etſi nõ tollit, ludit tamen, & non minorem vſus, quam rationis auctoritatem eſſe debere conuincit.

Aniſum purgans.

Aniſum purgans meum non eſt, ſed à Gallis acceptum, mutilata tamen, quam habes deſcriptio: ℞. Aniſi ℥ iiij. Sacchari ℔. iij. Scammonij ℥ ij. Turpeti, Maſtiches an. ʒ ß. Zinz. ʒ iij. ſpe. el. de gem. Diamarg. frig. an. ʒ ij. Coq. Sacchar[o] q. ſ. Eius dimidia parte excipe pulueres & aniſum obducito, reliqua dimidia incruſtato. Datur ad ʒ ij. & tres.

Cort. Guaiaci decoctũ ſitim reſtinguit.

Guaiaci corticum decoctum ſitim quoq; reſtinguere, & quidem potenter, ſæpe depræhendi. Eiuſdem in calefaciendo non magnam eſſe vim, catholici vſus multorum dierum Innoxius ſatis conuincit. Ego ℥ j. affundo ℔. vj aq. Coquo ad medietatem. Ineſt vis purgandi & aperiendi multo efficacior, quam ligno, propter ſalis copiam. Itaq; 4. doſes habebis. Vinum ſenex noſter, à quo accepi, in inueterato tantum adhibebat. Dum ſudor mouetur, vinum non adeo cõuenire, vti etiam ventum ſeu potius aërem libetiorem, rationi conſentaneum. Sed dum purgamus & vino & victu liberalius vti nihil prohibet. 30. & 40. diebus in iis, qui bibere poſſunt, continuis vti nil vetat. Corporis moles attenuatur, vires interim conſtant. Victus ratio proba, libera tamen, à ſole tantum & vento & crapula caueant. Hoc ipſo commendabile medicamentum, quod eius vſus à ſuſpicione etiam liber eſt.

Cauterium.

Pyrapytum ſaponem nigrum requirit, de altero illo, facticium intelligo minium. Relinquendum per horas ad minimũ 12. & cum cutis plane nigra eſt, tunc impreſſionem à medicamento factam eſſe cognoſcitur. Orbicularia vlcera requiruntur, quando globulos cereos, vel piſa imponere volumus, vt diu aperta maneant.

Plumbi grauitas.

Plumbi grauitas, etſi aqueæ naturæ ſit, ex partium denſitate prouenire videtur Chymiſtis ab hydrargyro, & ſulphure combuſtili; hoc eſt, impuro. Sic autem appellant halitum duplicem. Nepenthe præterea, de quibus ante, recipit coralliorũ, margaritarum, croci & ſuccini eſſentiam, hoc eſt, partes puriſſimas, arte elicitas, vt quantum ab opio & alterco periculi eſt, tantum præſidij à poſterioribus iſtis.

Opiati effectum.

Congelantur itaq; ſpiritus maligni, ſed natiui corroborantur. Hac de cauſa per accidens ab ipſius hauſtu ſudor in quibuſdam ſubſequitur: in pueris effloreſcentia faciei, propulſis à ceotro ad extima vaporibus maligois. In ſiſtenda aluo medicamentum præſentaneum. Fratri tuo, & generoſo Duditio officioſam ex me ſalutem. Salutant te noſtri omnes. Vale, Baſilea, 16. Iulij, Anno Salutis LXXX.

EPIST. CCLII.

IDEM EIDEM

TE viuere & valere ex animo lætor. Cœptis aſpiret ille, ſine cuius numine, nihil eſt in homine.

Labor Hippocraticum.

Hippocratis mediam partem iam abſoluimus, noſtri ſcilicet in illum laboris, vel ſaltem conatus. cuius quo maior eſt expectatio, eo mihi iogratior, mihi crede, qui tenuitatem meam agnoſcam, & cum latere maxime cupiam, neſcio tamen quo Reipublicæ iuuandæ ſtudio in mediam hominum lucem vel laruatus interdum præter inſtitutum efferat. Neq; vero & imperitiæ & ignorantiæ crimen refugio, dum mea hac audacia ſtudioſi incitentur. Hocq; ipſum clariſſimo viro D. Hermanno renunciari cupio, κρείσσους ἂν σὺν ἀνθρώποις me tales exoptare. Rungius diſcedens in ſumma feſtinatione, nihil ad te reliquit. Callide nimirum veſtra vos nomina honorario inſcripſiſtis poculo, ne remittendi occaſio relinqueretur. Prodigalitatẽ ego veſtram minime laudo, ſed amicæ interim voluntatis teſtificationem, cum vobis ita viſum eſt, amplector. Tibi, mi Monaui, vitam & incolumitatem precor. Salutant te noſtri. inter eos, qui Academiæ nunc præeſt D. Stupanus. Vale, & D. Hermanno, fratri tuo, & item Heſſo plurimam ex me ſalutem. Baſilea, 18. Aug. Anno 1578.

EPIST. CCLII.

IDEM EIDEM.

Quo ordine Theophraſtica legenda ſunt.

DE Theophraſteis quæris, qua legenda methodo, ea nimirum, qua verum à falſo diſcernitur. Quo ordine? Vt ingenue,

fateat, vel tantus Doctor (vt tibi & neſcio quibus aliis amicis videor tantillum ignoro. An qua data porta ruunt? an τὰ ὕστερα ſemper πρότερα? an poëtica etiam imitatione à mediis incipiendum? Ergo ne quid elabatur, perpetua indagine tota ſylua concludenda, & Enniano more optima quæq; retinenda. Nam vt nihil aliud, ὡς χρήσιμον γε certe ἱστορίας σύνεσιν ἐν αὐτέοισι διαταράξιον εἶναι, de Empiricis loquens Hippocrates veriſſime affirmauit. Turneiſerus oculorum dolores quibuſdam noſtrum excitauit: mihi non item, qui non maiorem mei lucri (ſed quidnam illud apud noſtros?) quam alienæ peritiæ rationem habeam. Cum illo contuli quædam. Apparatum Herbarij vidi maximum, & opinione grandiorem, icones plurimi, vt ſi nihil aliud in præſens, φιλοπονίαν certe tantam laude digniſſimam iudicem. Οὐρομαντικῆς ſpecimen coram ſe editurum promiſit. Interea ἐποχῇ vtamur, & cum Tralliano, ſi res ita ferat, vel à vetulis nos diſcere non pudeat. Hippocratem proximo mercatu videbis. Clariſſ. viros Hermannũ & Heſſum ex me ſalutabis officioſe. Vale vir doctiſſ. noſtri memor. Salutat te Platerus cum toto collegio. Baſilea, 20. Nouemb. Anno 1578.

Turnheuſerus.

EPIST. CCLIV.

IDEM EIDEM.

Paracelſi ſcripta.

QVÆ tu ad me de Paracelſi ſcriptis; tanquam ad eum, qui multum ſtudij atque temporis in iis collocant, ſcribere videris. Quod cum à me longe ſit alienum, ignotæ regionis commonſtrator eſſe nequeo. Atq; vt λογισμὸν illius, vel ſectatorum non magnifacio, neq; enim intelligo: ſic τέχνην eorundem cum Hipp. In præparatione præſertim medicamentorum facio plurimi, cum ad vſum medicum egregie conferre videam: neq; tamen ea intemperie, vt iccirco veterũ medicamenta omnia reſpuenda cenſeam. Sunt quibus panis, ſunt quibus maza, ſunt quibus ſorbitiones conueniunt, non modo pro vitæ & fortunarum diuerſitate, verum etiam morborum. Locus de empiricis apud Hipp. comm. præceptionum extat, ſub finẽ, Seuerini Dani ingenium magnum iudico, & Idæam eius ad Paracelſi ſcripta plus quã vllius alterius cõferre arbitror. Cæterũ ſeruir etiam ille auctoritate, & dum libertatem philoſophicã præſenrat, ipſas quoq; Theophraſti ſordes extollit. Vſque adeo difficile eſt modum tenere. Doctior vero ille eſt, quam vt à Paracelſi diſcipulis vel legi, vel intelligi poſſit: ſeuerior, quam vt noſtri illum admittant, ſtudium interim Theophraſteæ opinionis ex principiis Hipp. deducendæ nec ineptum, neque malum in quibuſdam. Sed hæc alij iudicent. Hippocratem Francofurto per certum hominem ab Epiſcopio petes, ſcheda quam ſubieci oſtenſa. Rungij familiaritate vtor, à quo etiam ipſe non verear quinetiam diſcere cupiam. Vale. Baſilea, 26. Martij, Anno 1579.

Idea Medica Seuerini Dani.

EPIST. CCLV.

IDEM EIDEM.

HIPPOCRATEM in præſens è manibus depoſui, Theatri tertiationi occupatus, non penitus ſpem abieci, præſertim ſi, quod ſpero, aliquis in contexu Græco emẽdando, & verſione Latina adiungenda operam interea ſuam interpoſuerit. Etſi ex hoc ipſo ſpecimine, vt doctis ad meliora præſtãda animum adieci: ſic forte eorundem laboribus à commentando deinceps abſterrebor. Quo nihil mihi crede, optatius foret, vtut ſint, qui ex ſuo ingenio diuerſum de me ſentiant. Nepenthis deſcriptionẽ, quam pedis, ne fidem labefactem, in præſens mittere non poſſum: neq; ea magno tibi foret vſui, cum operoſa & artificioſa admodum ſit præparatio: quin etiam ipſe ego non paro, ſed parato vtor. Diligentem requirit & induſtrium hominem. Is eſt Adamus Keck pharmacopæus Francofurtenſis ad cygnũ. Drachmam ille paulo plus floreno vendit, in decem vel duodecim doſes ſuffecturam, pro ratione ætatis, morbi, virium. Medicamentum inſigne, ſed quod promiſcuo vſu minime proſtitui debeat. Baſilea, 10. Iulij, Anno 1579.

Nepenthis præparatio operoſa & artificioſa.

EPIST. CCLVI.

IDEM EIDEM.

TE in Hippocrate diligenter verſari, gratiſſimum eſt: cum ex illo ceu fonte ſolidioris medicinæ, veritatis & virtutis ſtudioſus, in quorum numero te non in poſtremis colloco, plurima, & ea quidẽ minime vulgaria aliquando decerpturus es mihi perſuadeã. Qua in re ſi Deo opt. max. viſum eſt mea quantumlibet tenui & perfunctoria obſtetricatione vti, eſt cur illi gratias agã æternas. Qualitates primas non ſimpliciter reiicit Hippocrates, ſed propter hypotheſin aliorũ ſuſpectas facit. nec immerito, cũ vel noſtro ſeculo videamus non paucos in morborum cauſis ad beatas illas qualitates omnia referre, & in abſtractis formis ita occupari, vt cõcretorum, & veluti materialiũ qualitatũ (ſi cum prioribus illis conſerantur) penitus obliuiſci. Hipp. certe qualitas prima nuda, non niſi cũ materia (cui & color & ſapor atteſtatur) ad morbus facere videtur: adeoq; in iis etiam,

Hippocrates primas qualitates reiicit.

Digitized by Google

etiam, qui Immateriales penitus cenſentur, materiam hanc dari veriſimile eſt, eo ſolo differentem, quod in his ſubtiliſſima, & ſenſui obſcurior, in illis manifeſtior & craſſior deprehendatur. Hinc duo morborum principia materialia, πνεύματα καὶ ῥεύματα, non vno loco ponit. Neq; vero ocioſæ erunt primæ qualitates, ſed vt per ſe parum efficiunt, ſic cum materia ſua iunctæ, plurimum momẽti afferunt: cum quod lib. de diæta docet πῦρ πάντα κινεῖν, ὕδωρ πάντα τρέφειν δύναται. Dudithio viro ſummo fauſtam felicemq; migrationem hanc opto. Te vero beatum, qui tanto viro tam familiariter deinceps ſis vſurus. Ei plurimam ex me ſalutem. Sed & fratri tuo νεογάμῳ. Salutant te collegæ omnes vno ore, in examine Iuſtini Gothani, viri doctiſſimi. Baſileæ, 8. Nou. Anno 79.

...morborum principia... Hippo...

EPIST. CCLVII.

IDEM EIDEM.

Nepenthes.

NOLI tu vero, mi Monaui, in ſenem noſtrum iniurius eſſe, quaſi Zuingeri ἐπεξαρτισμῷ aliquid ei ſplendoris, obſeruantiæ ſaltem aliquid, acceſſerit. Nepenthis gran. iij. ad v. in adultis, cum colici, cum nephritici dolores vrgent, ſaccharo roſaceo ſubactis, vel cum iulepo roſarum dilutis vtor. In pueris ad granum j cum ſyrupo pæoniæ, vel ſimili alio, ad motus epilepticos ſiſtendos. In febrium inquitudine medicamentum præſtans. Vino vel aqua oportuna dilutum dentium dolorem mirifice ſedat. Alui fluorem egregie ſiſtit. Medicamentorum purgantium vim compeſcit. In ſenibus & debilibus caute exhibendum, non quod periculi aliquid ſubſit, ſed ne locus detur inuidorum calumniæ. Theriacæ ſpecie, vel extracti alicuius ad præſentem morbum oportuni, exhibere ſoleo. Somnum lenem conciliat, neque vigilia ſubſequens veſtigium narcotici vllius relinquit. Illud vero ſedulo cogita, medicamenta ipſa proſtitutione vileſcere: non quod communicatio boni vires ipſius boni eneruet, ſed quod familiaritas nimia contemptũ parit, quando id quod ...tni ſtudio perfici poterat, in eo herilis opera impenditur. Catholicon ſi eſt, quod nomen præfert, etiam in arthritide. Neque verearis incentiuum ad fluxionem, quandoquidem è diuerſo adeſt quod retrahat. Itaque penetratio eo vſque vſui eſt, donec purgantis medicamenti vis ad articulos etiam pertingat, & inde humores alliciat: cum vis purgatrix ſudoriferam ſuperet. Niſi hoc eſſet, rationi Rondeletij acquieſcerem. Hęc cauſa cur tam lente, & tarde & innoxie agat. Id quod vſus te docebit. Sed medicamentum tale eſt, quod Medici manu parari debeat: ipſo alioqui vſu vileſcet, & abuſu pharmacopœorum importune adhibitũ ſuſpectum reddetur. Nullum ego illi ex purgantibus ὡς καθόλου εἰπεῖν prætulerim. De ſucco abſinthii quod quæris, ſic mihi videtur: quatenus abſinthium ſtomacho prodeſt, id deterſione & aſtrictione ſua præſtare, quarum vtraq; in terrea parte ſita eſt. De προγενείᾳ mixtorum præclare Galenus exemplo roſæ. Videtur certe vt in animalibus, ſic in plantis, triplicis concoctionis, velut effectus quidã, χυλὸς, χυμὸς ὀπός: etſi in aliis alius magis apparet. quorum ſingulis ſuus ineſt ſpiritus, ſinguli vero ſolidæ parti tanquam carnibus & oſſibus inhærent. Vinum ratione ſpirituoſæ partis ſpiritus reficit: reſpectu ὀποῦ terrei ſic penetrat & detergit, reſpectu χυλοῦ & χυμοῦ ſui ſic nutrit. Orta à principiis non atteſtantur ſuorum principiorum. Sic ex tribus illis humoribus quidã terræ, alius aquæ, tertius aeri proportione reſpondet. Etſi horum ipſorum rurſus ſinguli à reliquis ſeparati in partes alias iiſdem principiis reſpondẽtes ſeparari à natura poſſint, vel chymicæ analyſeos argumento, quantum quidem ex artis huius tyrocinio huc vſq; deprehendere licuit. De ſitu vrbium idem iudiciũ, quod de ſitu domorum, quas ad orientem vel ſeptentrionem ipſas dicimus, quatenus ſolem & ventos ex ea parte ſuſcipiunt. Hinc crebro apud Hipp. Si vrbs ad auſtrum ſita, à ſeptentrione vero σκέπην habeat, hoc eſt, vel montium vel ſyluarum beneficio à Boreæ impetu defendatur. Idem de fontibus ad orientem erumpentibus iudicandum cenſeo. Vale: ſalutat te Platerus. Tu ex me D. Heſſum & Hermannum, inprimis vero Rhedingerum noſtrum. Baſilea, Cal. Febr. Anno 80.

Medicamenta vi... proſtitutione.

Catholicon.

De ſucco abſinthii.

Effectus triplicis concoctionis.

Ad orientem qua.

EPIST. CCLVIII.

IDEM EIDEM

PERSOLVI ſuperioribus tuis, miſſis ad Camerarium literis. Rungio te familiariter vti gaudeo. Ad ternas meas nihil ille hactenus: nec an Hippocrateum exemplum habuerit, ſcio. Oleum ceræ præclarũ, niſi odore ſuo caput infeſtaret. Turpethi mineralis tot præparationes, quot artifices: Recte tu, qui nondum exploratis caute vtaris. Vteris illis deinceps & audacius & felicius. Ii enim, qui odio ſectæ Theophraſteæ hæc & rident, & inſectantur, nõ tam in chymiſtas, quam in chymiam medicinæ famulam multo antiquiſſimam, iniurii ſunt, & de ignotis iudicium interponunt. Et vero hæc talia ſunt, vt αὐτόχειρα requirant. Plateri tabulæ ad mercatum proximum exponentur.

Rungium ex me officioſe ſalutabis: & quia ce tius à vobis quam à Francofurdenſibus literas accipere ſoleo, vti hanc ceu regiam viam ſequatur monebis. Vale, mi Monaui. Baſilea 13. Kal. Iunij, anno 1581.

EPIST. CCLIX.

IDEM EIDEM.

ACCEPI tuas. Neque vero Nepenthes congelando rantum, ſed & diſſipando & propellendo, confortatis viſceribus præſtat in Epilepticis. In pueris eo exhibito animaduertes faciem robore ſuffundi. Congelari vero ſpiritus nihil mirũ videatur, ſi momento etiam & à calidis frigida, & à frigidis calida, mediantibus ſpiritibus, h.e. corporibus ſubtiliſſimis & agiliſſimis, coagulari animaduerteris. Sic oleum Camphoræ ab aceto non tantum ſed & ab aqua ſimplici. Oleum Saturni à momento aquæ, oleum Sulphuris craſſius ab vrinæ ſpiritu. Iucũda profecto Empiria, &, vt ingenue dicam, multis otioſis theoriis anteferenda. Recte m de moſcho in vterinis remouenda. De mumia nõ multum laboro. Nam baſi medicamenti, & iis, quæ adduntur oleis, vtramque vim tribuendam cenſeo. Neq; vero margaritarum acredo te offendat, niſi etiam ſalium, qui tamen non modo innoxie, ſed & magno cum commodo exhibentur. Magna ſunt hæc omnia, & præclara, ſed περίζοδος interim διὰ μεθόδων ea eſt, quæ Medicum facit αὐτίζεον. In atuſo purgante ſcammonij molem ego neutiquam perhorreſco. Fac periculum. Deſcriptio genuina, quam miſi, niſi quod in ſcheda tua pro Turpeti, Maſticbis an. ʒ ß. ſubſtitues an. ℥ ß. Noſtri non conficiunt, ſed alibi confecto vtimur. Catholici decocti ℥ iiij. infunde ℥ ß. caryophillorum cum ℥ ß. ſyrupi roſari ſolutiui. Nihil eo mitius. Nunc adeo quinquagenariũ ex infectione Hepatis calidioris, toto corpore ſcabioſum, per dies 40. feliciter eo purgaui. Loco vini decocto leniore vtentem, victus reliqua ratione liberiore. Purgat tantum non prolicit ſudorem. Neq; eſt quod ἰδρωτικῷ vim quodammodo afferri putes, ſi καθαρτικὸν reddatur. Vis illi aperiens tanta eſt, vt purgans ad intima deducere queat: neq; vero tanta, vt per ſudorem purgare queat. Indicat curatio ipſa, nec tu niſi experiare credas. Vino non interdico, niſi penetrationis maioris cauſa loco vini ſubſtituẽdum videatur lenius decoctum. Guaiacone vero vinum venenum? At & Matthiolus, & Maſſa vino Guaiacano feliciter vtũtur. Cratonis formulam probo. [illegible] cõſimiles Maſſæ libellus de morbo Gal[illegible] co[illegible]. Turpeti mineralis tot fere de [illegible] quot capita. Neq; ego de effectu quicquam aſſerere poſſum, qui præparationem ignoto. Vnam habeo, partem diaphoreticam partim vomitoriam: ſed vehementẽ vtramq;. Itaq; blandioribus & tutioribus vti malo. Diaſulphuris deſcriptio non placet. Congeries illa medicamentorũ mihi nõ placet. Si Theriaca ſulphur præparatum excipias, cũ caſtoreo, thure, camphora (quid enim craſſa illa, & per ſeceſſum abitura moramur, margaritas, lapides) idem facturum putarim. Scilicet & pharmacopœorum lucro conſulitur, & copia ingredientium medicæ ſingularis memoriæ auctoritati, ſi Diis placet cõſulitur. Etſi & illud verum eſt, Regem abſq; ſatellicio in publico conſpici non debere. Sic mores noſtri. At Ageſilaus etiam ſolus inter ſuos probabatur. Hæc ego ad epiſtolam tuam raptim. Vale, mi Monaui, & me amare perge. Baſileæ Calend. Maij. Anno XXCI.

Congelatio Spirituum.

Margaritarum acrimonia.

Catholicon decoctum.

Diaſulph.

EPIST. CCLX.

IDEM EIDEM

DE cometis iudicium tuum magnifacio. Etſi in hoc genere, vt & in compluribus aliis non magis Platonica, quam Chriſtiana ἐποχὴ mihi probatur, in Academia cæleſti aliquando explicanda. Quod de ſtibio hyalino quæris, vt vehementiſſimum, ſic efficaciſſimum medicamẽtum eſſe in vtramuis partem, ipſa docet experientia, & propterea pharmaci nomine digniſſimũ, quod recto vſu ἄκος, ſiniſtro ἄχος φέρειν ſoleat. Nauem agere ignarus nauis timet: & ſtibiũ ægro, non niſi, qui didicit propinet. Cum procliue ſit in vtramq; partem peccare, & improuido vſu infamia Medico, pernicies ægro accedat. Quod ipſum Arragoſius de metallicis plærisq; ſentit, vt non plus gladio Scanderbecci, quam dextræ eiuſdem ſit tribuendum. adeoq; inſaniæ notam mereantur, quotquot vel methodum nouorum medicamentorum ſupellectile exarment, vel eorundem fortuito ſucceſſu antiquam artis viam damnant. Vale, Baſileæ 10. Iulij, anno 1579.

Cautione opus eſt in vſu ſtibii.

EPIST. CCLXI.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.

Theodorus Zuuingerus S. D.

TE viuere & valere opto. Succeſſibus tuis gratulor, Weidnere doctiſſime. Ego manipulum vnum corticis ligni Guaiaci contuſi in libris ſex aquæ coquo ad dimidias pro potu. Ad tertiam vnam pro infuſione. In pertinace gallico reperito vſu opus eſt, vere & autumno. Vino hactenus vſus non ſum, etſi bonus ille ſenex eo in gallico inueterato vteretur. Cæterum vſus huius phar-

Zuuingeri cura in Gallicana lue.

pharmaci ſic, vt omnium aliorum, non ſemper ſuccedit, propter analogiam ſcilicet diſparem, & idioſyncraſiam corporum. Antidotis parum tribuo in hoc genere, quando veneni gratus ignoratur, etſi quo modo antidotus illa ex Guaiaco ipſa petenda, quæ nõ tam manifeſta quam occulta qualitate contra morbum pugnat. Sed vt purgationes ipſas maximi facio; ſic intermiſtos ſudores ex mercurio præcipitato flauo, vulgo turpetum appellant minerale, dum abſq; corrodentibus præparetur, aut certe acrimonia omnis eluatur. Sed de hoc alias. Peregre etiam Catholici vſus eſſe poteſt talis: ℞. xeroxerotati minutiſſ. pulueriſati ℥ ij. ſalſæ pariliæ ℥ j. liquiritiæ ℥ ß. ℞. pulueris huius ℥ j. ß. Macerentur primo, inde bulliant in iuris pulli, vel aquæ communis menſura vna ad medietatem. Setuetur poſtea. ℞. foliorum ſenæ ℥ ij. meliſſæ, roſatum pallidarum, cinnamomi ana ʒ ij. ſacchari ℥ ß. Miſc. Exinde curo ſingulis noctibus in ℥ vj. decocti ſupradicti frigidi macerati pulueris poſterioris ʒ vij. Mane per paruum laneum linteo ſubtili tectum colo, ſyrupi roſati momentum addo. Hoc ambari loco addere volui. Miſcentur pulueres varij mangonii cauſa, vti non quidem naſuti dignoſcere queãt. Hippocrates nunc ceſſat, quando in theatro totus ſum. Tabulas noſtras in Ariſtotelis Rhetorica iuuenilium ſtudiorum noſtrorum tyrocinia edere nec licet nec placet. Dolet mihi multa irreuocabilia emiſſa, at non dolet, ſi anſam hæc ipſa aliorum melioribus cogitationibus præbeant. In medicinæ veteris conſtitutione & deductione methodica, ſi Deus inter tot peſtilentis luis funera pro ſua clementia vitam dederit, occaſione profeſſionis meæ deinceps totus ero. Vale V.D. & me amare perge. Baſileæ 9. Octobr. anno 82. Ignoſce feſtinationi.

Antidotis parum tribuendum vbi veneni gradus ignoratur.

Turpetum minerale.

Catholici vſus.

EPIST. CCLXII.

IDEM EIDEM.

ACCEPI tuas, V.D. & vt Homerico more ab vltimis ordiat, quam miſiſti ſigillatam Amwaldinam neque vidi, neque de ea iudicare poſſum, ne mihi de peregrinis & incognitis iudicium ſumere videar. Odor ſpicæ genuinus non eſt, an propter oleum ſpicæ admixtum ad candelam ardet. Ex facultatibus certius quid vos ipſi coniectabitis. Neq; vero ego, quod in epiſtola tua primum fuit, antidotis detogo, ſed non omnes, quæ antidotorum nomine circumferuntur, cuiuis morbo venenato, aut veneno quid ſimile habenti conuenire, & vt quam maxime nihil obſit, nihil tamen prodeſſe non magis ratione, quam ſenſu iudice ſimul iudico & cenſeo. Etſi vero gradus veneni æque atq; antidoti interdum penitus ignoratur, ac nihil prohibet fortuito antipathię naturalis τὸ ὅτι etiam à plebeiis deprehẽdi, cum τὸ διότι ne ſummi quidem rerum naturalium ſcrutatores aſſequantur. Turpetum minerale Quercetani quale ſit ignoro, & quando arcanum illud eſſe vult, per me tale maneat. Eius quo Bodenſtenius vtebatur formulam habet, ſi modo legitima eſt, cum S. & oleo vitrioli, colore aureo, ſed quod non per ſudorem tantum, ſed & per vomitum & ſeceſſum granorum iij. pondere purgaret. Coralliorum ſal, cum prius per ſe ſoli in clauſo vitro calcinati fuerint, aceto ſtillaticio extrahitur, quod aceto adhuc iunctum ruborem egregie ſeruat, eodem rurſus abſtracto albedinem recipit. Eo ſale incorroborando, & ſiſtendis fluxibus præclare vtor. Sunt qui cum nitro prius calcinent, ſed multiplici ablutione ſalis opus eſt, & nitrum ipſum tincturæ videtur inſidiari. Mutatio vero iſta coloris tum in coralliis, tum in tartari ſale ſuperinfuſo aceto, inde abſtracto qui fiat, nondum aſſequor. Cæterum quod Fernelius eroſionem aceti veretur, ex Galeno ipſo diſcere debuit, multa eiuſcemodi intra corpus tuto propinari, quæ foris corpori admota & rubificãt & erodunt, & cruſtas inducũt. An vero acetum crudũ acerrimum, quo coqui paſſim vtuntur, minoris acrimoniæ erit ſtillaticio? maioris ideo efficaciæ propter craſſitiem ſuam, qua magis adhæret, & diutius infeſtare poteſt. Nolim interim tanti viri iudicium reprehendere, ſed hoc aſſerere poſſum, vt quam maxime aceto iſta extrahantur vel acerrimo, vel S. oleove vitrioli, at crebris ablutionibus eadem rurſus elui, aut ſaltem ita attemperari, vt in tantula quantitate qua exhibentur, vix centeſima pars ſit eius acrimoniæ, quam nos quotidie de manu coqui in pulmentariis, & acetariis innoxie ſumimus. Turpeti, vt ſupra monui cum oleo & S. vitrioli præparati dulcoratio repetitis ſit ablutionibus cum aqua calida, vbi illud mirum accidit, maſſam mercurialem, quæ alba fuerat, affuſa primum aqua flauam reddi, toties que ablui, donec nulla amplius vel ſalſedinis, vel acoris veſtigia ſuperſint, tum demum aqua frigida ablui & exiccari. Coralli ſimiliter ſubtiliſſime contuſi in cucurbitam iniiciuntur, per alembicum aqua abſtrahitur flaua (ſi dextre negotium obeas, forte etiam in veram tincturam, olei rubicundiſsimi inſtar, incides, quam mihi ſemel tantum videre & excipere contigit) poſt aucto igne calcinantur ad albe-

Turpethum minerale.

Sal Coralli.

Turpeti minerale dulcoratio.

Coralliorum tinctura.

acam,electuarium oui, Antidotum præſcrtim Matthioli, additis granis xv. vel xx. olei ſulpburis, reliquis præfero, cuius ipſius ſemunciam cum ſuperpendio à Gallo emtam duobus ſolaribus ſiue baziis noſtratibus 54. pixidi incluſam tibi mitto. Calorem natiuum efficaciter roborat, patenter ſudorem mouet. Vale V.D. Baſilia ix. Iunii. An. 1586.

EPIST. CCLXVII.

IDEM EIDEM.

Aurum potabile ſophiſticum.

ACcepi tuas, Weidnere doctiſſime, cũ duobus aureis, qui æquiualent gallicis, quod Gallo Chymiſtæ dedi. Aurum ille ἄπυρον nec parat, nec vendit, etſi parandi rationes varias nouit, ſed vt ait ſophiſticas omnes, Quam miſiſti formulam Beatianam, à Monauio iam pridem acceperam. Eam certe neque auſim, neque velim tentare, ne opera & oleum labore longo periret, neque crediderim boc præſtari poſſe, niſi oculata fide edoceret. Multa in huiuſcemodi arcanis σοφίσματα venduntur, multa quin etiam ἀτυχήματα & ἁμαρτήματα cõtingere poſſunt. Ego generoſo ſpiritu vini ex vino extracto, agallocbi optimi ſucco prægnante in reſtaurandis viribus feliciter vtor. Oleum ſulphuris ſudores prolicit, eoque nomine gallicis quoque cum decocto ligni vel ſalſæ propinatur efficaciter, ſic doſis decocti mole parcior, viribus maior eſt. In aſtmate certe cum aqua iridis, helenii, ſcabioſæ & ſimilibus ad grana ſex mane vtiliter ſumitur, aut certe cũ iuſculo, itidem veſperi trib. ante cibum horis. Materiam namque incidit, digerit, & catarrhum defluentem quoq; ſiſtit. Cum vino etiam propinare ſoleo, admixto ſaccharo, in ſtomacho languente, in obſtructionibus, in doloribus inteſtinorum à flatu excitatis.

Extractum Zedoar.

Spiritu auri generoſo extrahe cedoariæ ſuccum pro more, vehiculo ad medietatem abſtracto, ſucci huius ℈j. cum ℥ij. iulepi roſ. limpidi miſc. pro paralyticorum vſu Decem guttæ efficaciores, quam multa alia antidota. Eodem iulepo prophylactici loco apud ægros vtor, vaſculo exili, quod enchiridii loco eſſe poſſit, incluſo, cum ſiphone paruo. Sed auocor. Tu vale V.cl. Baſilea, 29. Nouemb. Anno 1586.

EPIST. CCLXVIII.

MAGNIFICO DN. ANDREÆ DVdith ab HorekouiZa, &c. Th. Eraſtus Med. S.D.

HOc ipſo die, cum inter libros chartaſq; aliud quærerem literas tuas, quas ſuperioribus ſeptimanis fruſtra ſæpius quæſieram, reperi. Itaque gaudio affectus ſtatim iis relictis ad reſpondendum me accinxi. Primum tibi gratias ago ſummas pro tua beneuolentiſſima erga me voluntate. Quod tibi, vir ſumme, aliquid eſſe videor, totum hoc tuo erga me amori tribuo, mihi nihil eorum arrogo. Paradoxa quoq; non conſector, & quæ a pleriſque probari video, non ante damno, aut reprehendo, quam ſæpe diligenterque apud me examinaui, & excuſſi, aliorumque de mea opinione cogitationes atq; argumenta expendi. In eo ferme ſum totus, vt quæ antiquis recte tradita, & à poſterioribus negligentius exculta deprehẽdi, ad examen reuocem, & diiudicanda aliis proponam. Scripſi theſes de contagio, putredine, morbis totius ſubſtantiæ, quas te iam babere ſuſpicor. ſunt enim editæ. Conſcripſi etiam de ſomno, melancholia & conuulſione, quæ vulgatæ nondum ſunt. Et in poſtremis confuto ſententiam omnium certiſſimis demonſtrationibus, at non proinde certis fortaſſe, quid ſentiendum ſit doceo. Fores nihilominus patefacio aliis, aut viam indico, rectius cogitandi. Statui otium nactus fuſiorem omnium declarationem proponere, & obiecta, quæ vel ipſe finxi, vel ab aliis clariſſimis medicis & philoſophis excogitata accepi, dilucide explanabo: vt vnicuiq; liceat de tota cauſa ſententiam dicere. De epilepſia præter illa, quæ in quarta parte Antiparacelſ. diſput. babentur, nihil ſcripſi. Compendium artis noſtræ anno 1563. in feriis canicularibus extra ordinem auditoribus expoſui, neq; id ſcripto comprebendi, poſt annos decem, aut his amplius exẽplum à quodam accepi, vt auditores exceperant, quod ego factum fuiſſe prorſus neſciueram. Vellim certe tantũ mihi otii dari, vt recognoſcere liceret. Fortaſſe prodeſſe aliquib. poſſet. Interpretatus ſum annis ſuperioribus aphoriſmos Hippocratis & prognoſtica, ſed pro more meo, ne verbum quidem habeo notatum. Fuere tamen ex diſcipulis aliqui, qui quam potuerunt diligenter exceperũt. Miſi nunc Baſileam libellum de ſtrigibus, quem inuitus ſane ſcripſi, ac reſpõdere cuidam coactus effudi verius, quam ſcripſi. Spero tamen nec aduerſarium, nec quenquam alium porro litem mihi de hac re moturũ. Bene vale, die 14. Sept. anno 1577.

Compendiũ medicinæ Eraſti.

Liber Eraſti de ſtrigibus.

EPIST. CCLXIX.

THOMAS ERASTVS HIERONYMO Capouaccio, S. D.

ADea, quæ ex amici cuiuſdam medici excellenter docti, excerpſiſſe lite-

tis te affirmas, ſcripto reſpondere placuit propterea quod inter illa ſunt, quæ verboſius, & dilucidius expoſuiſſe valde ſit vtile, & neceſſarium. Principium diſputationis hoc eſt: Veriſſimum eſt, ſiue genus, ſiue differentias morborum ſpectemus, non ſtatui in doctrina methodica poſſe morbum totius ſubſtantiæ. Optime illud à te dictum affirmo, propterea quod in doctrina methodica locum habere non poteſt, quod nullibi eſt aut fuit. Tibi vero, qui tales morbos exiſtere credere videris, vt conſentaneum dicas, vereor. An enim, quod methodo nulla, ſed experientia ſolum cognoſcitur, & inuenitur, cognitum & inuentum methodo tractari non poteſt? Fernelius certe & Argenterius facilius, quem in methodo locum habituri ſint tales morbi, oſtenderent, quam eoſdem extare demonſtrauerint: purgantia proprie totius ſubſtantiæ viribus humores detrahere magno conſenſu omnes affirmant. At in methodica doctrina de medicamentis locum non inueniſſe, quæcunque vſu iam cognita fuerunt, non autim dicere. Par ratio alexiteriorum.

Morb. totius ſubſtantiæ negatur.

quod propius ad cauſam pertinet, curationis peſtis methodum tradi poſſe certum eſt, licet totius ſubſtantiæ morbus eſſe credatur: cur ergo à methodica doctrina qui vſu cogniti iam ponuntur, excludentur.

Quia, inquis, diſſimilis eſt ratio, cum temperamentum læditur, & cum [illegible] extra ſuum ſubiectum ſeſe effundens alia corpora ſimiliter afficit, ac in peſtilentibus ſubito ſpiritum & calorem inſitum extinguit. Nego morbum aliquem ſeminarium ex ſe effundere, quo alia corpora ſimiliter inquinet, vel ſpiritum natiuumque calorem perimat, ſine læſione temperamenti.

Contagium non inducit ſine temperam. læſione.

Nam omnes morbi, qui per ſeminarium aliena corpora contaminant, neceſſario temperationem eorum primo offendunt, quod in theſibus de contagio ſic eſt demõſtratum, vt probabiliter contra diſputari non poſſit. Nec diuerſum tua probat ratio. Non enim non deſtruunt temperamentum partium morbi contagioſi & peſtilentes, quia ſeminaria diffundunt, quæ arcem vitæ recta fere inuadunt, & congenitum cordis calorem, ſicut venena corrumpunt, vel alioqui morbum, cuius ſeminaria ſunt trãſportant. Planius ex eo veritas cognoſci poteſt, quod te quoque conſentiente, ſeminalia corpora ſunt putredinem in ſe continentia, cuius vi corpora, ad quæ forte irrepſerunt, coinquinant. Impoſſibile autem eſt, vt res putrida, quatenus putrida eſt, corpus aliud maculet, abſque temperamenti corruptione, quia natura nihil eſt aliud putredo, quam vitioſa temperatio: niſi forte temperatum ſtatuatur, quod inſito calore ſuo ſpoliatum ab alieno tenetur & regitur. Gradus quoque neutiquam mutant ſpeciem. Quemcunque igitur putredinis gradum ponamus, ſemper ei conueniet definitio, quod videlicet ſit natiui caloris ab alieno introducta corruptio. In hoc ſolum diſcrimen reperitur, quod vna quam alia ſæuior, efficacior, mitior, ignauior exiſtat. Quocirca vna eademque ſpecie operationis cum hæc, cum illa agit. Confirmarem hanc meam affirmationem pluribus argumentis, ſi non per ſe eſſet manifeſta & tuo ſuffragio comprobares, dum ſic ſcribis: Neque ego inficior, ſicut à venenis, ſic etiam à morbida inſpiratione affici atque lædi temperiem. Sed tamen putredo quæ inducitur alia eſt à vulgari putredine ſimplici, & alia ratione interimit, & curatur. Morbida inſpiratio, quam peſtilente contagioſoque morbo laborantes efflant, putrida eſt, proinde tota ſua natura & ſubſtantia vitæ calorique noſtro contraria eſt.

Putredo vitioſa temperatio calida.

Quocirca recte colligis diurnam contagii vt ſeminarii perſeuerationem, primis reclamare qualitatibus, quæ facile admodum hebetantur, & corrumpuntur. Contagium certe prima qualitas non eſt, ſed ſecunda, quæ non perit ſubiecto incolumi perſiſtente. Iam certum habetur etiam apud Fernelium & Argenterium, putredinem tota ſubſtantia nobis aduerſari. Agunt igitur in nos putridi halitus ratione & vi putredinis, quã in ſe habent. Putredo vero omnis quemcunque tandem gradum nacta ſit, eſt calida quædam intemperies.

Quamobrem non agunt in nos putridæ exhalationes virtute ſimplicis caloris, ſed poteſtate putridi caloris, nec alia nos vi, aut potentia alterant. At diuerſa eſt ſimplicis & putridæ intemperiei curatio. Concedo. Nam in putredine & facta intemperies, in ſimplici adhuc ſit. In illa non habet locum alteratio, propterea quod corruptum in integrum reſtitui non poſſit. In hac quod corruptum eſt, per oppoſitam qualitatem corrigitur. Quo ſit, vt à putrido calore alterata ſui ablationem, ſimplici calore affecta, ſui emendationem poſtulent. An ex hoc effici quiſpiam opinabitur, putridas exhalationes alia vi quam intemperie aliena corpora contaminare, quibus forte adhæſerunt? Interimunt igitur putrefaciendo: (nam per ſe vt aliter agant, impoſſibile eſt, quod nihil aliud eſt, quam temperamentum ſeu natiuum calorem dilui-

diſſoluendo. Quod dum fit, ad factum nondum eſt, alteratione contraria prohiberi quis non videt? De putredine cuius pluries in his literis mentionem facis, dicendum aliquid videtur, præſertim cum valde multos, ne dicam omnes hic turpiter impingere animaduertam. Putredinem corruptionem eſſe τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας, καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος profectam ab omnib. receptum eſt Philoſophis, & Medicis. Æque certum eſt Ariſtotelem in 4. Meteor cap. 1. duplicem ſtatuere putredinem, alteram ſimplici & naturali generationi vt maxime commune contrarium opponit, & corruptionis rerum naturalium, quæcunque ſecundum naturam intereunt, finem & terminum cõmunem ſtatuit. Eandem hanc καθόλου ſeu vniuerſalem & naturalem appellari, eandemque impropriè putredinem nominari oſtendit. Alteri nihil horum tribuit, ſed cõtraria aſſcribit. Nam & proprie putredinem dici, ac violentam & morbidam affectionem eſſe & κατὰ μέρος corruptionem vocari ait, & nec interitus naturalis terminum, nec naturalis ac ſimplicis generationis cõmuniſſimum contrarium facit. Eſt igitur hæc illi contrapoſita. Sane dum hanc proprie putredinẽ vocari ſcribit. Illam improprie ſic vocari indicat: & dum illam finem naturalis diſſolutionis facit, hanc violentæ & morbidæ corruptionis cuiuſdam terminum eſſe monet. Hanc ab eo particularem, illam contra vniuerſalem nominari ex textu manifeſtum eſt. Differentia in eo eſt, quod in naturali putredine tum demũ ambientis calor inſitum exigit, cum ætatis longo tractu ſeipſum ita debilitauit, ac fregit, vt à leuiſſimo circumſtantis aeris calore diſpergi queat. In propria putredine violenta eſt hæc corruptio inſiti caloris, vtq; tunc eueniat, cum calor adhuc robuſtus ac copioſus adeſt. Ideo aduentitium calorem valde potentem eſſe oportet. Præterea in naturali putredine totum æqualiter ſeruata partium proportione contabeſcit. In morbida pars vna aliqua præ cæteris corrupta eſt, reliquis naturam ſuam cõſeruantibus. Non enim neceſſum eſt, vt ſanguine putrefacto etiam carnes putrefactæ ſint, aut carne in manibus corrupta, etiam quæ in pedib. eſt, putrida ſit reddita. Sæpenumero putreſcunt pulmones cæteris partibus illæſis aliquandiu permanentibus. Præterea naturalis putredo plurimum ab ambiente aere inducitur. Morbida à peregrino quouis ſuſcitatur, frequentiſſime ab obſtructionibus efficitur. Item naturalis putredo eſt affectio mixtorum, quo ad mixta ſunt, ac ſolis mixtis ſeu inanimatis accidit. Morbida tum animatorum, tum inanimatorum communis eſt. Illa enim generationi ſimplici mixtorum tanquam communiſſimum contrarium oppoſita eſt, hæc mixtione cuilibet contraria eſt. In illa res in cineres & lutum atque elementa ſoluuntur. In hac raro aliquid tale vſu venit. Denique naturalis putredo finis eſt interitus ſecundum naturam, at putredo proprie nominata impedit, quominus naturaliter res corrumpantur. Modo dictas corruptionis ſpecies vocauit Ariſtoteles putredines, licet alteram inuſitate ſic nominari ſciret, & moneret. Facti hanc videtur cauſam habuiſſe, quod terminus ille corruptionis naturalis nomine proprio careret, atque eandem vtrique definitionem competere videret. Omnis enim putredo, ſiue natura eueniat, ſiue à morbo, aut violenta cauſa inducta ſit, corruptio eſt inſiti in re qualibet caloris ab aduentitio profecta calore. Quod primo loco poſitum nunc volo. Deinde ponere alterum hoc oportet. Rem quamcunque tantiſper ſaluam eſſe, quantiſper proprium ſuum calorem retinet. Perire autem, cum eodem illo priuatur, vt Ariſtoteles tum alibi, tum de iuuent. & ſeneƈt. 4. De reſpiratione 8. De breuit. & long. vitæ 5. cap. docuit. Cum de animæ expertibus rebus ſermo eſt, controuerſia caret, quod dicimus. Quid enim aliud in his temperamentum conſeruat, quam congenitus calor, qui idem etiam ab initio induxit? Ipſo incolumi perſiſtit mixtio, eo corrupto neceſſarium eſt, temperamentum diſſolui. De interitu animatorum, quo ad animata ſunt, dubitare quidam auſi ſunt, an is interitus caloris quoque extinctio ſeu corruptio recte diceretur. At expreſſe hoc affirmat Ariſtoteles de iuuent. & ſeneƈt. cap. 4. ἀνάγκη τοίνυν ἅμα τό τε ζῆν ὑπάρχειν καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τοῦ συμφύτου (de quo agebat) σωτηρίαν, καὶ τὸν καλούμενον θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν. Iane calor hic inſtrumentũ illud eſt, quo forma vtitur intemperando, effingendo, & conſeruando proprium ſubiectum, & ſine quo ne momento quidem ſeipſum in ſubiecto ſuo conſeruare poſſet. Hac de cauſa effector, opifex autor, conſeruator rerum omnium dicitur. Videndum igitur eſt, quot modis Ariſtoteles (de huius enim ſententia quæritur, cum idem cum medicis de putredine ſenſerit) cenſuerit calorem ingenitum extingui poſſe. Hoc declarato patebit, quæ eius de putredine mens fuerit. perſpicuum illud quoque fiet, recte ſecuſne à nobis dicta ſint, quæ ex eius verbis attulimus. Denique decidetur inter Philoſophos & Medicos diſceptatio. Duplex ſtatuitur calo

Differentia vniuerſalis & particularis putredinis.

Res ſalua dũ calor ſaluus.

Duplex calo.

ris corruptio. ris corruptio apud Ariſtotelem, vt ratione & teſtimoniis demonſtrari poteſt. Si enim res nulla poteſt interire, dum calor eius incolumis manet, neque plures ſunt interitus modi ſeu ſpecies, quam duæ: neceſſarium eſt, vt totidem etiam ſint non plures, nec pauciores caloris corruptiones. At quicquid occidit, vel natura, vel morbo perit, ideſt, vel ætatis tractu paulatim abſumitur, vel per vim, ſeu morbum aliquem interimitur. *Mors naturalis.* Mors igitur omnis vel eſt naturalis propter inſitas naturæ vires, abſque aliena, & externa cauſa eueniens; vel *Violenta.* violenta & morbida, quæ ab aduentitia aliqua cauſa ſuſcitatur, vt teſtatur Ariſtoteles tum alibi, tum 5. cap. de iuuent. & ſeneſt. & cap. 4. & 16. de reſpiratione. Etſi autem violenta corruptionis ſpes non eſt indiuidua, ſicut naturalis, ſed in alias ſpecies & modos diuiditur, tamen quoties eam naturali opponit, quocunque nomine vtatur, eandem ſemper intelligit. *Putredo violenta corruptio.* Quocirca maniſeſte liquet, putredinem ita proprie nuncupatam ſub naturali corruptione (cui vt propria impropriæ, violenta naturali, ſeu non violentæ, vt particulare vniuerſali oppoſita eſt) nequaquam contineri, ſed violenti interitus ſpeciem quandam exiſtere. *Alimenti defectus proxima cauſa extinctis caloris.* Etſi vero inſiti caloris, ſicut & ignis extinctionis proxima cauſa, ſi ſuperſtitioſius, quam par eſt & conducibile rimari velimus, vnica eſt, alimenti videlicet defectus (nam ſiue ſeipſum pabulum ſuum ſibi præripiendo, vel quocunque modo conſumendo perimat, ſiue ab alia quauis cauſa deperdatur, alimenti inopia extinguitur, vt Ariſtoteles in cap. 4. & 5. de iuuent. & ſeneſt. affirmat) nihilominus extinctionis modos, vt rei natura plenius cognoſcatur, ex mente Ariſtotelis diſtinguemus.

Ergo bifariam interit calor. Nam vel ipſe ſemetipſum conſumit: vel à contrario diſſipatur. *μάρανσις* Illa ſpecies interitus à Græcis μάρανσις, id eſt, marcor, tabes, ariditas (noſtri vocant **die Darre**, & μαραίνεσθαι, **außdorren**) nominatur. *σβέσις* Hæc ab eiſdem σβέσις, hoc eſt, extinctio appellatur. Verba Ariſtot. lib. de iuuent. & ſeneſt. cap. 4. ſunt: καλοῦμεν δὲ τὴν μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ μάρανσιν, τὴν δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων σβέσιν. Duobus porro modis abſumit *μάρανσις duplex.* ſeipſum calor, & proinde duplex eſt apud Ariſtotelem μάρανσις. Etenim vel paulatim longo temporis tractu, nullo morbo interueniente, nulloque aduentitio affectu perimente pabulum ſibi ſuum conſumit, vel breui tempore propter morbum ſiue ὑπερβολὴν τινὰ πάθους violenter ſeſe ipſe ſtrangulat. Prior τῆς μαράνσεως ſpecies apud Ariſtotelem *γῆρας.* 4. Meteor. γῆρας & σαπρότης dicitur, alibi ab eodem γῆρας, καὶ κατὰ φύσιν μάρανσις: quemadmodum altera ſeu poſterior βίαιος μάρανσις nominatur. Nam 16. capit. de reſpir. hæc habentur: θάνατος δ' ἐστὶν ὁ μὲν βίαιος, ὁ δὲ κατὰ φύσιν. βίαιος μὲν ὅταν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν ᾖ, κατὰ φύσιν δ' ὅταν ἐν αὐτῷ καὶ τοῦ μορίου σύστασις ἐξ ἀρχῆς τοιαύτη, &c. & quæ ſequuntur: ſupra verbis Ariſtotelis oſtendi τὸν θάνατον nihil aliud eſſe, quam inſiti caloris interitum. Quare idem dicit, qui mortem aliquam naturalem, aliquam violentam dicit, cum eo, qui caloris inſiti corruptionem aliquam naturalem, aliquam violentam aſſerit. Violenta igitur eſt caloris extinctio, quæcunque propter aduentitiam cauſam incidit, ſiue ab ipſomet calore, ſiue à contrario eius inuecta ponatur, hoc eſt, ſiue μαράνσει, ſiue σβέσει perierit. Naturæ autem conſentanea eſt, quæ propter ingenitam corporum temperationem abſque vllius aduentitii affectus interuentu ab ipſo agente calore inducitur. Sic enim capit. 7. eiuſdem lib. legimus: πολλαὶ δὲ, καὶ φθορὰ βίαιος μὲν ἡ τοῦ θερμοῦ σβέσις, καὶ μάρανσις, (φθαρείη γὰρ ἂν δι' ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν τοῦ αὐτοῦ τούτου μάρανσις διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειότητα. Quid clarius dici poteſt, quam μάρανσιν aliquam violenter euenire, aliquando naturaliter, propter perfectam temporis durationem, accidere? Violenti porro marcoris ſeu τῆς βιαίου μαράνσεως plures ſunt modi naturalis (vnicus eſt) pro cauſarum efficientium diuerſitate, varioque agendi modo. Quicquid enim efficit, vt calor auctus alimentum ſibi præripiat, & ita ſeipſum ante id tempus, quod ſecundum naturam ſuam attingere poterat (aliæ res aliis & in vna & diuerſis ſpeciebus, natura ſua durabiliores ſunt) conſumat, μάρανσιν inuehunt, hinc ſtrangulatio, ſuffocatio, obſtructio, vel alia calorem natiuum inſitum ſupra modum naturæ congruentem acuentia, marceſcere eundem faciunt. In horum ordine putredinem proprie ſic appellatã, quæ *Putred. ad μάρανσιν refer. violen.* τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων corruptio eſt, collocari oportere, nullus ſanæ mentis homo dubitabit. Etenim ante tempus à natura conſtitutum interficit, imo in florentiſſima ætate ſæpe necat. Naturalis ergo non eſt caloris natiui extinctio, quam putredo hæc infert, ſed violenta. Huius cum duæ tantum ſint ſpecies μάρανσις & σβέσις, ac τῆς σβέσεως ſpecies eſſe non poſſit, neceſſario efficitur, inter marcoris ſpecies numerari eam debere. *σβέσις quid.* Nam σβέσις eſt ſpecies corruptionis caloris, in qua calor non augetur & acuitur, ſeu ſeipſo potentior efficitur: ſed in qua à contrario frigore extinguitur. Fit hoc ab aere frigido, cibo, potu, medicamentis, iugulatione, diſſectione, repentina euacuatione

tione & omni caloris ac ſpirituum celeri diſſipatione: ſummatim repetam vt clariora ſint omnia, & ſic ad vlteriora pergamus. Calor perit vel à ſeipſo vel à contrario. Seipſum corrumpit vel naturaliter ad quam corruptionem via eſt ſenectus: vel violenter. Vtraque corruptionis ſpecies vocatur μάρανσις. Quæ natura ordine fit, vnica eſt, licet nominibus pluribus exprimatur ab Ariſtot. Nam & ſenectus & marcor naturalis & putredo impropriè appellatur. At violenta ſpecies τῆς μαράνσεως habet plures, ſtrãgulationem, exuſtionẽ (quoties enim maior minorem calorẽ perdit μάρανσις vocatur Ariſtot.) putredinem propriè dictam febrem tabefacientem. Extincto etiam quæ contrario afficitur pro cauſarum refrigerantium diuerſitate diſtinguitur. Patet ex his omnibus putredinem priuatim ſic nuncupatam, non aliam eſſe à putredine medicorum, tametſi illa quæ in vſitate ſic eſt ab Ariſtot. nominata, toto cœlo alia ſit. Hæc enim morbus non eſt: illa autem morbus. Patet etiam quomodo accipi debeant verba Ariſtotelis, ὑμῖν ἀλλ' ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων. In naturali enim putredine prorſus neceſſarium eſt, vt partes omnes æque reſiccentur, pro ſuæ naturæ modo tamen ſingulæ. In violenta, pars vna corrumpitur, cæteris incorruptis manentibus: obiiciat fortaſſe aliquis, non conſentaneè iſta dici. Nam ſi ſeipſum calor deterit in putrediue tum naturali tum violenta, non rectè in definitione ponitur eum ab alieno corrumpi. Reſpondeo: in naturali rerum occaſu, dum per ſenectutem ſeipſum paulatim exedit, res nondum putridas eſſe, ſed ad putredinem ſenſim accedere, caloremque tum ſibi ad naturalem putredinem viam ſternere. Cum enim ferme totum ſe attriuit, & aboleuit à calore ambientis, tandem prorſus diſſoluitur, cumque humido natiuo euocatur. Hanc ob cauſam dixit Ariſtot. ſenectutem eſſe viam ad hanc putredinem. In morbida putredine res minus habet obſcuritatis. Nullus enim neſcit in febribus natiuum & proprium calorem ab igneo & peregrino pati. Non enim quia natiuo permiſtus eſt aduentitius, naturalis etiam factus eſt. Pareſt ratio, ſi inſitum calorem auctum duntaxat contendas, ſi modo huc vſque auctum ponas, vt actiones lædat. Etenim pars illa caloris, vt ſic loquar, quæ ſubiecti naturæ non competit, ſed oneri & impedimento eſt, naturalis eſſe aut cogitari non poteſt. Talis enim ſi eſſet, actiones meliores apparerẽt non deteriores. Hæc de putredine dicta nobis ſint. Ad tua iam nos iterum vertimus.

Talis violenta plures ſpecies.

Senectus via ad putredinem.

Facilime iam perſpicis, minime nos tibi conceſſuros, quod dicis, Ariſtotelem cenſuiſſe, omnem putredinem generationi oppoſitam naturalis corruptionis finem eſſe. Euidenter ſane oſtendimus, quandam ſolummodo putredinem non omnem ab Ariſtotele naturali ſimplici generationi tanquam contrarium communiſſimum oppoſitam fuiſſe, eam ſcilicet per quam ad ſenectutem & naturalem ætatis decurſum ſenſim peruenitur, quæque impropriè putredo ſit nominata. In altera putredine tam conſentit cum medicis Ariſtoteles, quam conſentimus nos cum Arithmeticis bis duo eſſe quatuor affirmantibus. Quocirca non eſt alia diſceptatio de hac, & de illa, quam intuentur medici, nec quadrat ad cauſam noſtram ſimilitudo de eo qui madet ſolum, & altero qui totus eſt madidus: cum Ariſtoteles non ſic diſtinguat duas putredines, quomodo madeſcens à madido differt, quoniam totis naturis diſcrepant cum altera naturalis, altera violenta & naturæ aduerſiſſima ſit.

Certa putredo generationi opponitur.

Medicorum cum Philoſophis conſenſus.

Cum morbum peſtilentem longe ab intemperie ſimplici diſtare ſcribis, non impugnas. Idem enim nos quoque ſentimus & ſcribimus. Pars ſimplici intemperie laborans non amiſit naturam ſuam, nec nomen nec definitionem perdidit. At putrefacta neutrum ſeruat, & proinde corrigi nequit, Ariſtoteles certe in putredine propriè dicta hoc requirit, vt res cui inſederit, corrupta ſit. Nam de ſolis κατὰ μέρος φθειρομένοις, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως, rectè efferri putredinem, quæ propriè ita vocatur, ſtatuit. Quam ob rem non alterari, quod putridum eſt, ſed tolli poſtulat: plurimum ergo differt huius & illius curatio. Nec diſcrepant noſtræ ſententiæ in illa parte. Tantum igitur abeſt, vt vel tibi vel aliis eripere hoc tentemus, vt nihil attentius obſeruari velimus, quam hoc. Curatio indicat. Duplex eſt intemperies. facta, & fiens. In priore, ſubſtantia non interiit, ſed naturam ſuam ſeruat, ac proinde alterationem ſolam poſtulat. In altera, ſubſtantia quam occupauit, corrupta eſt, quod ſit, vel alteratione reuocare nunquam poſſit. Quare non indicant alterationem ſui partes hac intemperie obſeſſæ, ſed ablationem ſui petunt. In putredine igitur quæ ad factam intemperiem pertinet, non alteramus partes iam putrefactas, quia corrigi non poſſunt: at illas, quæ ſic intemperatæ redditæ ſunt, vt naturam & ſubſtantiam adhuc retineant, oppoſitione contrariæ qualitatis (quia vitium in qualitate tantum eſt) priſtinæ conditioni reddere ſtudemus. Mirum igitur videri non debet,

Intemperies duplex.

Rungium ex me officioſe ſalutabis: & quia ce. tius à vobis quam à Francofurdenſibus lıteras accipere ſoleo, vti hanc ceu regiam viam ſequatur monebis. Vale, mi Monaui. Baſileæ 13. Kal. Iunij, anno 1581.

EPIST. CCLIX.

IDEM EIDEM.

ACCEPI tuas. Neque vero Nepenthes congelando tantum, ſed & diſſipando & propellendo, confortatis viſceribus præſtat in Epilepticis. In pueris eo exhibito animaduertes faciem robore ſuffundi. Congelari vero ſpiritus nihil mirũ videatur, ſi momento etiam & à calidis frigida, & à frigidis calida, mediantibus ſpiritibus, h.e. corporibus ſubtiliſſimis & agiliſſimis, coagulari animaduerteris. Sic oleum Camphoræ ab aceto non tantum ſed & ab aqua ſimplici. Oleum Saturni à momento aquæ, oleum Sulphuris craſſius ab vrinæ ſpiritu. Iucũda profecto Empiria, &, vt ingenue dicam, multis otioſis theoriis anteſerenda. Recte tu de moſcho in vterinis remouenda. De mumia nõ multum laboro. Nam baſi medicamenti, & iis, quæ adduntur oleis, vtramque vim tribuendam cenſeo. Neq; vero margaritarum acredo te offendat, niſi etiam ſalium, qui tamen non modo innoxie, ſed & magno cum commodo exhibentur. Magna ſunt hæc omnia, & præclara, ſed περίζωσος interim διὰ μεθόδων ea eſt, quæ Medicum facit ἄριστον. In aniſo purgante ſcammonij molem ego neutiquam perhorreſco. Fac periculum. Deſcriptio genuina, quam miſi, niſi quod in ſcheda tua pro Turpeti, Maſtichis an. ʒ ß. ſubſtitues an. ℥ ß. Noſtri non conficiunt, ſed alibi confecto vtimur. Catholici decocti ℥ iiij. infunde ℥ ß. caryophillorum cum ℥ ß. ſyrupi roſari ſolutiui. Nihil eo mitius. Nunc adeo quinquagenariũ ex infectione Hepatis calidioris, toto corpore ſcabioſum, per dies 40. feliciter eo purgaui. Loco vini decocto leniore vtentem, victus reliqua ratione liberiore. Purgat tantum non prolicit ſudorem. Neq; eſt quod ἱδρωτικῶ vim quodammodo afferri putes, ſi καθαρτικὴν reddatur. Vis illi aperiens tanta eſt, vt purgans ad intima deducere queat: neq; vero tanta, vt per ſudorem purgare queat. Indicat curatio ipſa, nec tu niſi expertus credas. Vino non interdico, niſi penetrationis maioris cauſa loco vini ſubſtituẽdum videatur lenius decoctum. Guaiacone vero vinum venenum? At & Matthiolus, & Maſſa vino Guaiacano feliciter vtũtur. Cratonis formulam probo. Vale... cõmittes Maſſæ libellus de morbo Gal... Turpeti mineralis tot fere de... quot capita. Neq; ego de effectu quicquam aſſerere poſſum, qui præparationem ignoro. Vnam habeo, partem diaphoreticam partim vomitoriam: ſed vehementẽ vtramq;. Itaq; blandioribus & tutioribus vti malo. Diaſulphuris deſcriptio non placet. Congeries illa medicamentorũ mihi nõ placet. Si Theriaca ſulphur præparatum excipias, cũ caſtoreo, thure, camphora (quid enim craſſa illa, & per ſeceſſum abitura moramur, margaritas, lapides) idem facturum putarim. Scilicet & pharmacopœorum lucro conſulitur, & copia ingredientium medicæ ſingularis memoriæ auctoritati, ſi Diis placet cõſulitur. Etſi & illud verum eſt, Regem abſq; ſatellicio in publico conſpici non debere. Sic mores noſtri. At Ageſilaus etiam ſolus inter ſuos probabatur. Hæc ego ad epiſtolam tuam raptim. Vale, mi Monaui, & me amare perge. Baſileæ Calend. Maij. Anno XXCI.

Congelatio Spirituum.

Margaritarū acrim.

Catholicon decoctum.

Diaſulph.

EPIST. CCLX.

IDEM EIDEM

DE cometis iudicium tuum magnifacio. Etſi in hoc genere, vt & in compluribus aliis non magis Platonica, quam Chriſtiana ἐποχὴ mihi probatur, in Academia cæleſti aliquando explicanda. Quod de ſtibio hyalino quæris, vt vehementiſſimum, ſic efficaciſſimum medicamẽtum eſſe in vtramuis partem, ipſa docet experientia, & propterea pharmaci nomine digniſſimũ, quod recto vſu ἄκος, ſiniſtro ἄχος φέρειν ſoleat. Nauem agere ignarus nauis timet: & ſtibiũ ægro, non niſi, qui didicit propinet. Cum procliue ſit in vtramq; partem peccare, & improuido vſu infamia Medico, pernicies ægro accedat. Quod ipſum Arragoſius de metallicis plæriſq; ſentit, vt non plus gladio Scanderbecci, quam dextræ eiuſdem ſit tribuendum. adeoq; inſaniæ notam mereantur, quotquot vel methodum nouorum medicamentorum ſupellectile exarment, vel eorundem fortuito ſucceſſu antiquam artis viam damnant. Vale, Baſileæ 10. Iulij, anno 1579.

Cautione opus eſt in vſu ſtibii.

EPIST. CCLXI.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c. *Theodorus Zuingerus S. D.*

TE viuere & valere opto. Succeſſibus tuis gratulor, Weidnere doctiſſime. Ego manipulum vnum corticis ligni Guaiaci contuſi in libris ſex aquæ coquo ad dimidias pro potu. Ad tertiam vnam pro infuſione. In pertinace gallico reperito vſu opus eſt, vere & autumno. Vino hactenus vſus non ſum, etſi bonus ille ſenex eo in gallico inueterato vteretur. Cæterum vſus huius phar-

Zuingeri cura in Gallicana lue.

pharmaci ſic, vt omnium aliorum, non ſemper ſuccedit, propter analogiam ſcilicet diſparem, & idioſyncraſiam corporum. Antidotis parum tribuo in hoc genere, quando veneni gratus ignoratur, etſi quo modo antidotus illa ex Gnaiaco ipſa petenda, quæ nō tam manifeſta quam occulta qualitate contra morbum pugnat. Sed vt purgationes ipſas maximi facio; ſic intermiſtos ſudores ex mercurio præcipitato flauo, vulgo turpetum appellant minerale, dum abſq; corrodentibus præparetur, aut certe acrimonia omnis eluatur. Sed de hoc alias. Peregre etiam Catholici vſus eſſe poteſt talis: ℞. xeroxerotati minutiſſ. puluerisati ℥ ij. ſalſæ pariglię ℥ j. liquiritiæ ℥ ß. ℞. pulueris huius ℥ j. ß. Macerentur primo, inde bulliant in iuris pulli, vel aquæ communis menſura vna ad medietatem. Seruetur poſtea. ℞. foliorum ſenæ ℥ ij. meliſſæ, roſarum pallidarum, cinnamomi ana ʒ ij. ſacchari ℥ ß. Miſc. Exinde curo ſingulis noctibus in ℥ vj. decocti ſupradicti frigidi macerati pulueris poſterioris ʒ vij. Mane per paruum laneum linteo ſubtili tectum colo, ſyrupi roſati mumentum addo. Hoc ambari loco addere volui. Miſcentur pulueres varij mangonii cauſa, vti non quidem naſuti dignoſcere queāt. Hippocrates nunc ceſſat, quando in theatro totus ſum. Tabulas noſtras in Ariſtotelis Rhetorica iuuenilium ſtudiorum noſtrorum tyrocinia edere nec licet nec placet. Dolet mibi multa irreuocabilia emiſſa, at non dolet, ſi anſam hæc ipſa aliorum melioribus cogitationibus præbeant. In medicinæ veteris conſtitutione & deductione methodica, ſi Deus inter tot peſtilentis luis funeta pro ſua clementia vitam dederit, occaſione profeſſionis meæ deinceps totus ero. Vale V.D. & me amare perge. Baſileæ 9. Octobr. anno 81. Ignoſce feſtinationi.

Antidotis parum tribuendum vbi veneni gradus ignoratur.

Turpetum minerale.

Catholici vſus.

EPIST. CCLXII.

IDEM EIDEM.

ACcepi tuas, V.D. & vt Homerico more ab vltimis ordiar, quam miſiſti ſigillatam Amwaldinam neque vidi, neque de ea iudicare poſſum, ne mihi de peregrinis & incognitis iudicium ſumere videar. Odor ſpicæ genuinus non eſt, an propter oleum ſpicæ admixtum ad candelam ardet. Ex facultatibus certius quid vos ipſi coniectabitis. Neq; vero ego, quod in epiſtola tua primum fuit, antidotis detogo, ſed non omnes, quæ antidotorum nomine circumferuntur, cuiuis morbo venenato, aut veneno quid ſimile habenti conuenire, & vt quam maxime nihil obſit, nihil tamen prodeſſe non magis ratione, quam ſenſu indice ſimul iudico & cenſeo. Etſi vero gradus veneni æque atq; antidoti interdum penitus ignoratur, ac nihil prohibet fortuito antipathię naturalis τὸ ὅτι etiam à plebeiis deprehēdi, cum τὸ διότι ne ſummi quidem rerum naturalium ſcrutatores aſſequantur. Turpetum minerale Quercetani quale ſit ignoro, & quando arcanum illud eſſe vult, per me tale maneat. Eius quo Bodenſtenius vtebatur formulam baber, ſi modo legitima eſt, cum S. & oleo vitrioli, colore aureo, ſed quod non per ſudorem tantum, ſed & per vomitum & ſeceſſum granorum iij. pondere purgatet. Coralliorum ſal, cum prius per ſe ſoli in clauſo vitro calcinati fuerint, aceto ſtillaticio extrahitur, qood aceto adhuc iunctum ruborem egregie ſernat, eodem rurſus abſtracto albedinem recipit. Eo ſale incorrobotando, & ſiſtendis fluxibus præclare vtor. Sunt qui cum nitro prius calcinent, ſed multiplici ablutione ſalis opus eſt, & nitrum ipſum tincturæ videtur inſidiari. Mutatio vero iſta coloris tum in corallis, tum in tartari ſale ſuperinfuſo aceto, inde abſtracto qui fiat, nondum aſſequor. Cæterum quod Fernelius eroſionem aceti veretur, ex Galeno ipſo diſcere debuit, multa eiuſcemodi intra corpus tuto propinari, quæ foris corpori admota & rubificāt & erodunt, & cruſtas inducūt. An vero acetum crudū acertimum, quo coqui paſſim vtuntur, minoris acrimoniæ erit ſtillaticio? maioris ideo efficaciæ propter craſſitiem ſuam, qua magis adhæret, & diutius infeſtare poteſt. Nolim interim tanti viri iudicium reprehendere, ſed boc aſſerere poſſum, vt quam maxime aceto iſta extrahantur vel acerrimo, vel S. oleove vitrioli, at crebris ablutionibus eadem rurſus elui, aut ſaltem ita attemperari, vt in tantula quantitate qua exhibentur, vix centeſima pars ſit eius acrimoniæ, quam nos quotidie de manu coqui in pulmentariis, & acetariis innoxie ſumimus. Turpeti, vt ſupra monui cum oleo & S. vitrioli præparati dulcoratio repetitis fit ablutionibus cum aqua calida; vbi illud mirum accidit, maſſam mercurialem, quæ alba fuerat, affuſa primum aqua flauam reddi, totiesque ablui, donec nulla amplius vel ſalſedinis, vel acoris veſtigia ſuperſint, tum demum aqua frigida ablui & exiccari. Coralli ſimiliter ſubtiliſſime contuſi in cucurbitam iniiciuntur, per alembicum aqua abſtrahitur flaua (ſi dextre negotium obeas, forte etiam in veram tincturam, olei rubicundiſsimi inſtar, incides, quam mihi ſemel tantum videre & excipere contigit) poſt aucto igne calcinantur ad albe-

Antidotis non ſtatim detrahendum.

Turpetum minerale.

Sal. Corallin.

[illegible]

Turpeti mineralis dulcoratio.

Coralliorum calcinatio.

acam,electuarium oui, Antidotum præſertim Matthioli, additis granis xv. vel xx. olei ſulphuris, reliquis prætero, cuius ipſius ſemunciam eum ſuperpendio à Gallo emtam duobus ſolaribus ſiue baziis noſtratibus 54. pixidi incluſam tibi mitto. Calorem natiuum efficaciter roborat, patenter ſudorem mouet. Vale V.D. Baſilia ix. Iunii. An. 1586.

EPIST. CCLXVII.

IDEM EIDEM.

Aurum potabilem non ſophiſticum.

ACcepi tuas, Weidnere doctiſſime, cũ duobus aureis, qui ęquiualent gallicis, quod Gallo Cbymiſtæ dedi. Aurum ille *πότιμον* nec parat, nec vendit, etſi parandi rationes varias nouit, ſed vt ait ſophiſticas omnes, Quam miſiſti formulam Beatianam, à Monauio iampridem acceperam. Eam certe neque auſim, neque velim tentare, ne opera & oleum labore longo periret, neque crediderim hoc præſtari poſſe, niſi oculata fide edoceret. Multa in huiuſcemodi arcanis *σοφίσματα* venduntur, multa quin etiam *ἀτυχήμασι* & *ἁμαρτήμασι* cõtingere poſſunt. Ego generoſo ſpiritu vini ex vino extracto, agallochi optimi ſucco prægnante in reſtaurandis viribus feliciter vtor. Oleum ſulphuris ſudores prolicit, eoque nomine gallicis quoque cum decocto ligni vel ſalſæ propinatur efficaciter, ſic doſis decocti mole parcior, viribus maior eſt. In aſtmate certe cum aqua iridis, helenii, ſcabioſæ & ſimilibus ad grana ſex mane vtiliter ſumitur, aut certe cũ iuſculo, itidem veſperi trib. ante cibum horis. Materiam namque incidit, digerit, & catarrhum defluentem quoq; ſiſtit. Cum vino etiam propinare ſoleo, admixto ſaccharo, in ſtomacho languente, in obſtructionibus, in doloribus inteſtinorum à flatu excitatis.

Extractum Zedoar.

Spiritu auri generoſo extrahe cedoarię ſuccum pro more, vehiculo ad medietatem abſtracto, ſucci huius ℈j. cum ℥ ij. iulepi roſ. limpidi miſc. pro paralyticorum vſu Decem guttæ efficaciores, quam multa alia antidota. Eodem iulepo prophylactici loco apud ægros vtor, vaſculo exili, quod enchiridii loco eſſe poſſit, incluſo, cum ſiphone paruo. Sed auocor. Tu vale V.cl. Baſilea, 29. Nouemb. Anno 1586.

EPIST. CCLXVIII.

MAGNIFICO DN. ANDREÆ DVdith ab Horekouiza, &c. Th. Eraſtus Med.S.D.

HOc ipſo die, cum inter libros chartaſq; aliud quærerem literas tuas, quas ſuperioribus ſeptimanis fruſtra ſæpius quæſieram, reperi. Itaque gaudio affectus ſtatim iis relictis ad reſpondendum me accinxi. Primum tibi gratias ago ſummas pro tua beneuoſentiſſima erga me voluntate. Quod tibi, vir ſumme, aliquid eſſe videor, totum hoc tuo erga me amori tribuo, mihi nihil eorum arrogo. Paradoxa quoq; non conſector, & quæ a pleriſque probari video, non ante damno, aut reprehendo, quam ſæpe diligenterque apud me examinaui, & excuſſi, aliorumque de mea opinione cogitationes atq; argumenta expendi. In eo fere me ſum totus, vt quæ antiquis recte tradita, & à poſterioribus negligentius exculta deprehẽdi, ad examen reuocem, & diiudicanda aliis proponam. Scripſi theſes de contagio, putredine, morbis totius ſubſtantiæ, quas te iam babere ſuſpicor. ſunt enim editæ. Conſcripſi etiam de ſomno, melancholia & conuulſione, quæ vulgatæ nondum ſunt. Et in poſtremis confuto ſententiam omnium certiſſimis demonſtrarionibus, at non proinde certis fortaſſe, quid ſentiendum ſit doceo. Fores nihilominus patefacio aliis, aut viam indico, rectius cogitandi. Statui otium nactus fuſiorem omnium declarationem proponere, & obiecta, quæ vel ipſe finxi, vel ab aliis clariſſimis medicis & philoſophis excogitata accepi, dilucide explanabo: vt vnicuiq; liceat de tota cauſa ſententiam dicere. De epilepſia præter illa, quæ in quarta parte Antiparacelſ. diſput. babentur, nihil ſcripſi. Compendium artis noſtræ anno 1563. in feriis canicularibus extra ordinem auditoribus expoſui, neq; id ſcripto comprehendi, poſt annos decem, aut his amplius exẽplum à quodam accepi, vt auditores exceperant, quod ego factum fuiſſe prorſus neſciueram. Vellim certe tantũ mihi otii dari, vt recognoſcere liceret. Fortaſſe prodeſſe aliquib. poſſet. Interpretatus ſum annis ſuperioribus aphoriſmos Hippocratis & prognoſtica, ſed pro more meo, ne verbum quidem habeo notatum. Fuere tamen ex diſcipulis aliqui, qui quam potuerunt diligenter excepeꝛũt. Miſi nunc Baſileam libellum de ſtrigibus, quem inuitus ſane ſcripſi, ac reſpõdere cuidam coactus effudi verius, quam ſcripſi. Spero tamen nec aduerſarium, nec quenquam alium porro litem mihi de hac re moturũ. Bene vale, die 14. Sept. anno 1577.

Compendiũ medicum Eraſti.

Liber Eraſti de ſtrigibus.

EPIST. CCLXIX.

THOMAS ERASTVS HIERONYMO *Caponaccio, S. D.*

ADea, quæ ex amici cuiuſdam medici excellenter docti, excerpſiſſe lite-

ris te affirmas, ſcripto reſpondere placuit propterea quod inter illa ſunt, quæ verboſius, & dilucidius expoſuiſſe valde ſit vtile, & neceſſarium. Principium diſputationis hoc eſt: Veriſſimum eſt, ſiue genus, ſiue differentias morborum ſpectemus, non ſtatui in doctrina methodica poſſe morbum totius ſubſtantiæ. Optime illud à te dictum affirmo, propterea quod in doctrina methodica locum habere non poteſt, quod nullibi eſt aut fuit. Tibi vero, qui tales morbos exiſtere credere videris, vt conſentaneum dicas, vereor. An enim, quod methodo nulla, ſed experientia ſolum cognoſcitur, & inuenitur, cognitum & inuentum methodo tractari non poteſt? Fernelius certe & Argenterius facilius, quem in methodo locum habituri ſint tales morbi, oſtenderent, quam eoſdem extare demonſtrationibus: purgantia proprie totius ſubſtantiæ viribus humores detrahere magno conſenſu omnes affirmant. At in methodica doctrina de medicamentis locum non inueniſſe, quæcunque vſu iam cognita fuerunt, non auſim dicere. Par ratio alimentorum.

Morb. totius ſubſtantiæ negatur.

quod propius ad cauſam pertinet, curationis peſtis methodum tradi poſſe certum eſt, licet totius ſubſtantiæ morbus eſſe credatur: cur ergo à methodica doctrina qui vſu cogniti iam ponuntur, excludentur.

Quia, inquis, diſſimilis eſt ratio, cum temperamentum læditur, & cum [illegible] extra ſuum ſubiectum ſeſe effundens alia corpora ſimiliter afficit, ac in peſtilentibus ſubito ſpiritum & calorem inſitum extinguit. Nego morbum aliquem ſeminarium ex ſe effundere, quo alia corpora ſimiliter inquinet, vel ſpiritum natiuumque calorem perimat, ſine læſione temperamenti.

Contagium non inducit ſine temperie læſione.

Nam omnes morbi, qui per ſeminarium aliena corpora contaminant, neceſſario temperationem eorum primo offendunt, quod in theſibus de contagio ſic eſt demõſtratum, vt probabiliter contra diſputari non poſſit. Nec diuerſum tua probat ratio. Non enim non deſtruunt temperamentum partium morbi contagioſi & peſtilentes, quia ſeminaria diffundunt, quæ arcem vitæ recta fere inuadunt, & congenitum cordis calorem, ſicut venena corrumpunt, vel alioqui morbum, cuius ſeminaria ſunt trãſportant. Planius ex eo veritas cognoſci poteſt, quod te quoque conſentiente, ſeminalia corpora ſunt putredinem in ſe continentia, cuius vi corpora, ad quæ forte irrepſerunt, coinquinant. Impoſſibile autem eſt, vt res putrida, quatenus putrida eſt, corpus aliud maculet, abſque temperamenti corruptione, quia natura nihil eſt aliud putredo, quam vitioſa temperatio: niſi forte temperatum ſtatuatur, quod inſito calore ſuo ſpoliatum ab alieno tenetur & regitur. Gradus quoque neutiquam mutant ſpeciem. Quemcunque igitur putredinis gradum ponamus, ſemper ei conueniet definitio, quod videlicet ſit natiui caloris ab alieno introducta corruptio. In hoc ſolum diſcrimen reperitur, quod vna quam alia ſæuior, efficacior, mitior, ignauior exiſtat. Quocirca vna eademque ſpecie operationis cum hæc, cum illa agit. Confirmarem hanc meam affirmationem pluribus argumentis, ſi non per ſe eſſet maniſeſta & tuo ſuffragio comprobares, dum ſic ſcribis: Neque ego inficior, ſicut à venenis, ſic etiam à morbida inſpiratione affici atque lædi temperiem. Sed tamen putredo quæ inducitur alia eſt à vulgari putredine ſimplici, & alia ratione interimit, & curatur. Morbida inſpiratio, quam peſtilente contagioſoque morbo laborantes efflant, putrida eſt, proinde tota ſua natura & ſubſtantia vitæ calorique noſtro contraria eſt.

Putredo vitioſa temperatio calida.

Quocirca recte colligis diurnam contagii vt ſeminarii perſeuerationem, primis reclamare qoalitatibus, quæ facile admodum hebetantur, & corrumpuntur. Contagium certe prima qualitas non eſt, ſed ſecunda, quæ non perit ſubiecto incolumi perſiſtente. Iam certum habetur etiam apud Fernelium & Argenterium, putredinem tota ſubſtantia nobis aduerſari. Agunt igitur in nos putridi halitus ratione & vi putredinis, quã in ſe habent. Putredo vero omnis quemcunque tandem gradum nacta ſit, eſt calida quædam intemperies.

Quamobrem non agunt in nos putridæ exhalationes virtute ſimplicis caloris, ſed poteſtate putridi caloris, nec alia nos vi, aut potentia alterant. At diuerſa eſt ſimplicis & putridæ intemperiei curatio. Concedo. Nam in putredine & facta intemperies, in ſimplici adhuc ſit. In illa non habet locum alteratio, propterea quod corruptum in integrum reſtitui non poſſit. In hac quod corruptum eſt, per oppoſitam qualitatem corrigitur. Quo ſit, vt à putrido calore alterata ſui ablationem, ſimplici calore affecta, ſui emendationem poſtulent. An ex hoc effici quiſpiam opinabitur, putridas exhalationes alia vi quam intemperie aliena corpora contaminare, quibus forte adhæſerunt? Interimunt igitur putrefaciendo: (nam per ſe vt aliter agant, impoſſibile eſt, quod nihil aliud eſt, quam temperamentum ſeu natiuum calorem diſſol-

diſſoluendo. Quod dum fit, ad factum nondum eſt, alteratione contraria prohiberi quis non videt? De putredine cuius pluries in his literis mentionem facis, dicendum aliquid videtur, præſertim cum valde multos, ne dicam omnes hic turpiter impingere animaduertam. Putredinem corruptionem eſſe τ̃ ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας, καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος profectam ab omnib. receptum eſt Philoſophis, & Medicis. Æque certum eſt Ariſtotelem in 4. Meteor cap. 1. duplicem ſtatuere putredinem, alteram ſimplici & nanaturali generationi vt maxime commune contrarium opponit, & corruptionis rerum naturalium, quæcunque ſecundum naturam intereunt, finem & terminum cōmunem ſtatuit. Eandem hanc καθόλου ſeu vniuerſalem & naturalem appellari, eandemque improprie putredinem nominari oſtendit. Alteri nihil horum tribuit, ſed cōtraria aſſcribit. Nam & proprie putredinem dici, ac violentam & morbidam affectionem eſſe & κατὰ μέρος corruptionem vocari ait, & nec interitus naturalis terminum, nec naturalis ac ſimplicis generationis cōmuniſſimum contrarium facit. Eſt igitur hæc illi contrapoſita. Sane dum hanc proprie putrediuē vocari ſcribit. Illam improprie ſic vocari indicat: & dum illam finem naturalis diſſolutionis facit, hanc violentæ & morbidæ corruptionis cuiuſdam terminum eſſe monet. Hanc ab eo particularem, illam contra vniuerſalem nominari ex textu manifeſtum eſt. Differentia in eo eſt, quod in naturali putredine tum demū ambientis calor inſitum exigit, cum ætatis longo tractu ſeipſum ita debilitauit, ac fregit, vt a leuiſſimo circumſtantis aeris calore diſpergi queat. In propria putredine violenta eſt hæc corruptio inſiti caloris, vtq; tunc eueniat, cum calor adhuc robuſtus ac copioſius adeſt. Ideo aduentitium calorem valde potentem eſſe oportet. Præterea in naturali putredine totum æqualiter ſeruata partium proportione contabeſcit. In morbida pars vna aliqua præ cæteris corrupta eſt, reliquis naturam ſuam cōſeruantibus. Non enim neceſſum eſt, vt ſanguine putrefacto etiam carnes putrefactæ ſint, aut carne in manibus corrupta, etiam quæ in pedib. eſt, putrida ſit reddita. Sæpenumero putteſcunt pulmones cæteris partibus illæſis aliquandiu permanentibus. Præterea naturalis putredo plurimum ab ambiente aere inducitur. Morbida à peregrino quouis ſuſcitatur, frequentiſſime ab obſtructionibus efficitur. Item naturalis putredo eſt affectio mixtorum, quo ad mixta ſunt, ac ſolis mixtis ſeu inanimatis accidit. Morbida tum animatorum, tum inanimatorum communis eſt. Illa enim generationi ſimplici mixtorum tanquam communiſſimum contrarium oppoſita eſt, hæc mixtione cuilibet contraria eſt. In illa res in cineres & lutum atque elementa ſoluuntur. In hac raro aliquid tale vſu venit. Denique naturalis putredo finis eſt interitus ſecundum naturam, at putredo proprie nominata impedit, quominus naturaliter res corrumpantur. Modo dictas corruptionis ſpecies vocauit Ariſtoteles puttedines, licet alteram inuſitate ſic nominari ſciret, & moneret. Facti hanc videtur cauſam habuiſſe, quod terminus ille corruptionis naturalis nomine proprio careret, atque eandem vtrique definitionem competere videret. Omnis enim putredo, ſiue natura eueniat, ſiue à morbo, aut violenta cauſa inducta ſit, corruptio eſt inſiti in re qualibet caloris ab aduentitio profecta calore. Quod primo loco poſitum nunc volo. Deinde ponere alterum hoc oportet. Rem quamcunque tantiſper ſaluam eſſe, quantiſper proprium ſuum calorem retinet. Perire autem, cum eodem illo priuatur, vt Ariſtoteles tum alibi, tum de iuuent. & ſeneĉt. 4. De reſpiratione 8. De breuit. & long. vitæ 5. cap. docuit. Cum de animæ expertibus rebus ſermo eſt, controuerſia caret, quod dicimus. Quid enim aliud in his temperamentum conſeruat, quam congenitus calor, qui idem etiam ab initio induxit? Ipſo incolumi perſiſtit mixtio, eo corrupto neceſſarium eſt, temperamentum diſſolui. De interitu animatorum, quo ad animata ſunt, dubitare quidam auſi ſunt, an is interitus caloris quoque extinctio ſeu corruptio recte diceretur. At expreſſe hoc affirmat Ariſtoteles de iuuent. & ſeneĉt. cap. 4. ἀνάγκη τοίνυν ἅμα τε τὸ ζῆν ὑπάρχειν καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τοῦ συμφύτου (de quo agebat) σωτηρίαν, καὶ τὴν καλουμένην θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν. ſane calor hic inſtrumentū illud eſt, quo forma vtitur in temperando, effingendo, & conſeruando proprium ſubiectum, & ſine quo ne momento quidem ſeipſum in ſubiecto ſuo conſeruare poſſet. Hac de cauſa effector, opifex autor, conſeruator rerum omnium dicitur. Videndum igitur eſt, quot modis Ariſtoteles (de huius enim ſententia quæritur, cum idem cum medicis de putredine ſenſerit) cenſuerit calorem ingenitum extingui poſſe. Hoc declarato patebit, quæ eius de putredine mens fuerit. perſpicuum illud quoque fiet, recte ſecuſne à nobis dicta ſint, quæ ex eius verbis attulimus. Denique decidetur inter Philoſophos & Medicus diſceptatio. Duplex ſtatuitur calo

Differentia vniuerſalis & particularis putredinis.

Res ſalua dū calor ſaluus.

Duplex calor.

tione & omni caloris ac ſpitituum celeri diſſipatione: ſummatim repetam vt clariora ſint omnia, & ſic ad vlteriora pergamus. Calot perit vel à ſeipſo vel à contrario. Seipſum corrumpit vel naturaliter ad quam corruptionem via eſt ſenectus: vel violenter. Vtraque corruptionis ſpecies vocatur *μάρανσις*. Quæ natura ordine fit, vnica eſt, licet nominibus pluribus exprimatur ab Ariſtot. Nam & ſenectus & marcor naturalis & putredo improprie appellatur. At violenta ſpecies *τῆς μαράνσεως* habet plures, ſtrãgulationem, exuſtionẽ (quoties enim maior minotem calorẽ perdit *μάρανσις* vocatur Ariſtot.) putredinem proprie dictam febrem tabefacientem. Extincto etiam quæ contrario afficitur pro cauiarum refrigerantium diuerſitate diſtinguitur. Patet ex bis omnibus putredinem priuatim ſic nuncupatam, non aliam eſſe à putredine medicorum, tametſi illa quæ inuſitate ſic eſt ab Ariſtot. nominata, toto cœlo alio ſit. Hæc enim morbus non eſt; illa autem morbus. Pateteriam quomodo accipi debeant verba Ariſtotelis, *ἡμῶν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων*. In naturali enim putredine prorſus neceſſarium eſt, vt partes omnes æque reſiccentur, pro ſuæ naturæ modo tamen ſingulæ. In violenta, pars vna corrumpitur, cæteris incorruptis manentibus: obiiciat fortaſſe aliquis, non conſentaneè iſta dici. Nam ſi ſeipſum calor deterit in putredine tum naturali tum violenta, non recte in definitione ponitur eum ab alieno corrumpi. Reſpondeo: in naturali rerum occaſu, dum per ſenectutem ſeipſum paulatim exedit, res nondum putridas eſſe, ſed ad putredinem ſenſim accedere, calotemque tum ſibi ad naturalem putredinem viam ſternere. Cum enim ferme totum ſe attriuit, & aboleuit à calore ambieutis, tandem prorſus diſſoluitur, cumque humido natiuo euocatur. Hanc ob cauſam dixit Ariſtot. ſenectutem eſſe viam ad hanc putredinem. In morbida putredine res minus habet obſcuritatis. Nullus enim neſcit in febribus natiuum & proprium calorem ab igneo & peregrino pati. Non enim quia natiuo permiſtus eſt aduentitius, naturalis etiam factus eſt. Pareſt ratio, ſi inſitum calorem auctum duntaxat contendas, ſi modo hoc vſque auctum ponas, vt actiones lædat. Etenim pars illa caloris, vt ſic loquar, quæ ſubiecti naturæ non competit, ſed oneri & impedimento eſt, naturalis eſſe aut cogitari non poteſt. Talis enim ſi eſſet, actiones meliores apparerẽt non deteriores. Hæc de putredine dicta nobis ſint. Ad tua iam nos iterum vertimus.

Tabis violenta plures ſpecies.

Senectus via ad putredinem.

Facilime iam perſpicis, minime nos tibi conceſſuros, quod dicis, Ariſtotelem cenſuiſſe, omnem putredinem generationi oppoſitam naturalis corruptionis finem eſſe. Euidenter ſane oſtendimus, quandam ſolummodo putredinem non omnem ab Ariſtotele naturali ſimplici generationi tanquam contrarium communiſſimum oppoſitam fuiſſe, eam ſcilicet per quam ad ſenectutem & naturalem ætatis decurſum ſenſim peruenitur, quæque improprie putredo ſit nominata. In altera putredine tam conſentit cum medicis Ariſtoteles, quam conſentimus nos cum Aritbmeticis bis duo eſſe quatuor affirmantibus. Quocirca non eſt alia diſceptatio de hac, & de illa, quam intuentur medici, nec quadrat ad cauſam noſtram ſimilitudo de eo qui madet ſolum, & altero qui totus eſt madidus: cum Ariſtoteles non ſic diſtinguat duas putredines, quomodo madeſcens à madido differt, quoniam totis naturis diſcrepant cum altera naturalis, altera violenta & naturæ aduerſiſſima ſit.

Certa putredo generationi opponitur.

Medicorum cum Philoſophis conſenſus.

Cum motbum peſtilentem longe ab intemperie ſimplici diſtare ſcribis, non impugnas. Idem enim nos quoque ſentimus & ſcribimus. Pars ſimplici intemperie laborans non amiſit naturam ſuam, nec nomen nec definitionem perdidit. At putrefacta neutrum ſeruat, & proinde corrigi nequit, Ariſtoteles certe in putredine proprie dicta hoc requirit, vt res cui inſederit, corrupta ſit. Mam de ſolis *κατὰ μέρος φθειρομένοις, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως*, recte efferri putredinem, quæ proprie ita vocatur, ſtatuit. Quamobrem non alterari, quod putridum eſt, ſed tolli poſtulat: plurimum ergo differt huius & illius curatio. Nec diſcrepant noſtræ ſententiæ in illa parte. Tantum igitur abeſt, vt vel tibi vel aliis eripere hoc tentemus, vt nihil attentius obſeruari velimus, quam hoc. Curatio indicat. Duplex eſt intemperies, facta, & fiens. In priore, ſubſtantia non interiit, ſed naturam ſuam ſeruat, ac proinde alterationem ſolam poſtulat. In altera, ſubſtantia quam occupauit, corrupta eſt, quod ſit, vel alteratione reuocare nunquam poſſit. Quare non indicant alterationem ſui partes hac intemperie obſeſſæ, ſed ablationem ſui petunt. In putredine igitur quæ ad factam intemperiem pertinet, non alteramus partes iam putrefactas, quia corrigi non poſſunt: at illas, quæ ſic intemperatæ redditæ ſunt, vt naturam & ſubſtantiam adhuc retineant, oppoſitione contrariæ qualitatis (quia vitium in qualitate tantum eſt) priſtinæ conditioni reddere ſtudemus. Mirum igitur videri non debet,

Intemperies duplex.

eſt Medicis, nec animalia, nec eorum partes interire ingenito calore incolumi permanente. Mors enim nihil eſt aliud, quam natiui caloris extinctio. Denique meminiſſe decet, pronunciari phyſici: Nihil ſupra & vltra naturam ſeu ſpeciem ſuam agere. His poſitis ad interrogationem tuam ſic reſpondeo: ſubitus interitus io peſte oritur ab intemperie cordis: ratio eſt, quod putrida ioſpiratio interimere non aliter poteſt, quam ſi cordis temperationem diſſoluat. In cauſa duo ſunt: Primum quod interire res nulla poteſt, niſi calor eius natiuus pareat. Putrida igitur ioſpiratio non aore perimit, quam cordis calorem corrumpat. At corrumpere aliter noo poteſt quam putrefaciendo.

Reſponſio.

Alterum eſt, quod nihil vltra ſuam ſpeciem agit. Calor enim non agit aliud per ſe & primo quam calefacere (eadem ratio in cæteris omnibus valet) ſi quid amplius fiat, hoc vel per accidens ſequitur, vel quarenus talis quidam calor euenit; hoc eſt, ſine caliditate non contingit. At omnis putredo eſt calida quædam intemperies. Quare omnis res putrida calefaciendo putrefacit, & putrefaciendo calefacit. Etenim putredinem omnem à calore peregrino procreari certum eſt. Quare neceſſarium eſt prorſus, vt putrida inſpiratio non prius occidat, quam crdis calorem ceu fundamentum labefactarit. His quomodo contrauenire velis aut poſsis non video. Difficultas autem in hoc ſita eſt, quod intemperiem cordis duntaxat tollere putantur, quæ natiuom eius temperamentum; qoo ad ex ſuis certis partibus coagmētatum ac temperatum eſt, nulla ſpirituum ratione habita, eo perducit. Verum hoc forte fit, ſi ſeorſim quo ad ſolida ſubſtantia eſt contra ſpiritus & humores diſtincta; conſideretur, quomodo lanii conſiderant: ſed Medici non abſque ſanguioe & ſpiritibus; quibus orbatum, nec viuere, nec officium ſuum exequi vllo pacto valet, iotueotur. Quippe vt oaturæ conuenienter affectum ſit, vt vitæ munera obeat, vt temperamentum ſuum cuſtodiat, omnibus iam dictis opus habet, ac ſioe his nec nomen, nec naturam, nec officium cordis tueri potuit vnqoam. Quo fit, vt recte indicent Medici diligentiores, cordis temperationem vitiare, caloremque eius corrumpere, quæcunque vel ſpiritum, vel ſanguinem ei eripiunt, vel eadem hæc intemperata reddunt, etſi alteratio hæc ad ſolidum eius corpus nondum pertingat. Quia vero tu nobis vltro concedis ſeminarium peſtis propter certum putredinis gradum peſtiferum eſſe, probationis labore

Difficultas.

Medici cor- aut temperatū nō abſq; ſanguine & ſpiritu conſiderant.

nos ſubleuas: quanquam difficile non erat ex ſupra demonſtratis conficere. Nam exhalationes peſte affectorum nihil tranſportant ad alios; præter affectionem eius corporis, aut partis; ex qua effunduntur. At ooo alia hæc affectio eſſe potuit, quam putredo. Naturalis autem non fuit. Ergo morbida & violenta. Ioter violentæ autem corruptionis ſpecies extra putredinem nullam reperies, cnius natura io ſeminario retineri & propagari poſſit. Hnius ſigna etſi non ſemper conſpiciontur in ægrotis; non tamen ob id oon adeſt. Ergo cum putredo omnis, quæ proprie ſic nominatur, nihil aliud ſit quam intemperies quædam, ac putredinis propria & per ſe actio fingi nequeat alia, quam putrefacere, non eſt imaginabile, quomodo ſemioaria hæc aliter vires cordis deiiciaot, quam temperationem eius corrumpendo. Corrumpunt autem quatenus ſimilem putredinem illi, è quali ipſa exhalarunt, & qualem in ſe contioeot, imprimunt. Quod quia ſine calore peregrino & putredo fieri nequit, prorſus efficitur, temperiem cordis aut aliam partium à talibus halitibus per ſe & proprie oppugnari. Cum cor dico, & ipſum cordis corpus, & ſpiritus, & ſanguioem in eo contentos ſimul intelligo. Cum ad omnia tua reſpicio, & ſingula diligenter excutio, videris mihi eſſe in ea opinione, ac, ſi qui certum putredinis gradum duntaxat peſtiferum concedit, morbum totius ſubſtantiæ obſcure pariter concedat. Vtraque eoim ſcotentia æque inexplicabilis tibi videtur. Ego ſane looge aliter iudico, cumque de tota ſubſtantia horum morborum quid fabri ſenſeruot examino, ſi de tota ſubſtantia ſic loquerentur, aut ſentirent, quomodo veteres ſenſiſſe certum eſt, fruſtra fateor &quamoatent ipſi hac in parte veterem, & eoſdem nos defenderemus. Nunquam cenſuerunt illi vel totius ſubſtantiæ morbum ab intemperie eiuſdem alium eſſe, vel remedia à tota ſubſtantia agentia per temperationem ſuam ooo agere, quemadmodum nec alimenta ratione totius ſubſtantiæ ſuæ à nobis patientia ſioe caloris noſtri opera tranſmutari, opinati ſunt. Ergo putredinis gradus vnus peroicioſior eſt alio, ſicut in pyris, meſpilis, ſorbis, reliſque aliis plurimis apparet, quæ ſub initium & velnti in primo gradu putredinis eſui apta ſunt, vlterius progreſſa putredioe comedi amplius nequeunt, ſed ob id minime concluſeris putredinem ſub quocunque gradu abſque intemperie aut fieri aut ſubſiſtere.

Signa putredinis occultæ.

Morbi totius ſubſtantiæ veterum non alii ab intemperie.

Quare non poteſt vlla putredo morbi

totius ſubſtantiæ nomine contineri, quantiſper ab omni intemperie tota ſubſtantia ſic diſtinguitur, quomodo iuniores illi ſeparant. At non poteſt, inquis, tam ſubito intemperies & putredo induci. Ego vero non concedo, vel corpus cordis putreſcere, nec eſt, aliquis vnquam ſtatim ab hauſtu ſeminario mortuus, etſi alii breuiore, alii longiore tempore, poſtquam apud infectum fuerunt, ſenſerunt vim contagij. Sæpe multis ante diebus contagium intra venas latuit, quam ſeſe proderet. Negotioſum tamen interim fuit; ſed latenter humores corrumpendo ſenſim ad cor vſque penetrauit. Vſuuenire hoc maxime ſolet, cum per alias corporis partes ſubit, non per inſpirationem ad cor adducere. Hinc eſt, quod in quibuſdam ante febris exortum, hoc eſt, antequam putrida lues ad cor peruenerit, tum anthraces, tum peſtiferi tumores pronati ſint.

Non minus profecto incertum eſt, quando humores & ſpiritus inquinare cœpit contagium, quam obſcurum nobis eſt, quomodo in aliis febribus humores incipiant corrumpi. Ad huius rei declarationem præclare faciunt, quæ Galenus in 3. Epid. comm. 3. Aphor. 4. & in 1. prorhet. com. 2. ſect. 17. ſcripſit: quæ qui examinauerit, clare perſpiciet cauſam, vt aliqui, cum non admodum male affecti paulo ante viderentur, repente fere extincti ſunt. Vides igitur nos optima niti ratione, cum à corpore vel halitu contagium deferente mortem ſine intemperie apportari negamus. Etenim ſiue per cutem ſubeat, ſiue cum aëre inſpirato ingrediatur, non prius ægrum interficit, quam vel ſpiritus, vel humores, vel ipſum corpus cordis putredine contaminetur, hoc eſt, horum calorem ac temperationem corruperit. Prodit autem ſe venenum per ſpiritum attractum, quia recta ad cor tendit, ad quod à remotioribus partibus arrepit ſerius. Summa eſt, nulla vel ratione, vel experientia probabitur, contagium peſtiferum tum demum eſſe receptum, cum iam ſe manifeſtum facit. Quam facile porro ac cito cordis temperiem mutari contingat, animi defectio & ſyncope commonefaciunt: vtraque ſubito nonnunquam illos etiam inuadit, qui de nulla re querebantur, & tum ſibi tum aliis ſani videbantur. An in hiſce cordis temperiem non mutatam putabimus? Refellit opinionem veſtram quod in ſyncope potiſſimum totum corpus refrigeratur, & quod aliquando vix ſenſibilis permanet reſpiratio, quodq; ſpiritus exiens frigidus ſentitur. & accidit hoc non ſolũ à frigida, ſed etiam à calida cauſa. Sicut ergo

Cordis temperiem ſubito mutari.

nullus recte iudicet cordis calorem & temperamentum nihil paſſum eſſe, quia in momento fere iſta fiunt, ita nullus quoque bene affirmauerit, idem non fuiſſe mutatum ab eo, qui forte repente mortuus ſit. Nam vt cito diſſipantur cordis ſpiritus propter mobilitatem & tenuitatem, ita ſubito etiam frigeſieri & inflammari ſolent: ac quicquid horum perpeſſi fuerint, cordi accidiſſe fere dicimus, dum ita de corde, vt de inſtrumento vitæ, ſeu officina caloris vitalis loquimur. Hoc ergo probauerit fortaſſe, qui peſtis ſeminarium mortem inferre citra putredinem partium cordis demonſtret instar contagij non accidiſſe (tum enim ſimilem morbum ingenerauiſſet) ſed abſque interueniente intemperie necaniſſe, nunquam probabit. Impoſſibile enim eſt animal interire cordis calore non extincto aut vitiere eodem labefactaro. Celeris illius mutationis cauſa eſt, quod ſine conuenienti copia & qualitate ſpirituum cordis viui temperamentum nec ſubſiſtere, nec definiri, nec intelligentia comprehendi poteſt. In aliis partibus minor noxa ex ſpirituum diſſolutione & refrigeratione uritur, propter continuum eorũ ex corde influxum. Cum influxus iſte prorſus impeditur, ſtatim illa quoque calore natiuo in eis extincto emoriuntur. Quod ſi vlterius quæratur, cur non & aliarum putridarum febrium vapores cordis partem aliquam putreſaciant. Reſpondeo ideo accidere, quod leuiter & ſemiputridi ſint, ſiue quod putreſcant potius, quam putrefacti ſint. Quo fit, vt magis calefaciant quam putredine inficiant, cum magis calidi ſint, quam putridi. Putredinem certe non ſic habent impreſſam, vt pertinaciter retinere queant. Galen. 2. Aphor. 17. hanc rem declarat exemplo vini, quod aceſcere ſeu corrumpi incipiat quidem, at in acetum nondum ſit adeo permutatum, vt reſtitui in integrum non valeat. Quod enim iam acetum eſt, aut alio modo corruptum, redire ad priſtinam vini naturam amplius nequit, propterea quod regreſſus ad habitum à priuatione non habet locum in natura. Inter elementa autem ſolummodo non inter perfecte mixta reciproca reperitur generatio. Quod porro ſere ſimiliter habeat res in humoribus febriũ putridarum vulgarium, ex eo manifeſtum eſt, quod concoctionem promouere ſtudemus, in peſte nulla ſpes eſt concoctionis ſed in ſola putreſcentium humoris expulſione, & virium conſeruatione ac reparatione tota curandi ratio poſita eſt. Legi nuper epiſtolam eruditi Medici, qui contendebat febres putridas illas vulgates fere contagioſas eſſe.

Vaporis in aliis febribus putridis ſemiputridi in peſtilentibus putrefacti.

eſſe. Etſi enim non quoſuis obuios inficerent, lactantes tamen infantes à matribus & nutricibus coinquinari. Pueros etiam teneriores, qui cum febricitantibus cubant prompte iiſdem corrumpi. Quæ omnia experientia, & animaduerſione cognita aſſeuerabat. Ego quia tale nihil à me obſeruatum memineram, contradicere non debui: hoc ſolum reſpondi, ſi contagioſæ inueniantur, ita leuiter contagioſas videri, vt cum aliis collatæ, naturales exiſtere iudicatæ fuerint. Vbi Galenus aduerſus Eraſiſtratum diſputauerit, num actio aliqua lædi poſſit, inſtrumento eius non læſo, recordari non poſſum. Memini eum in lib. 1. de loc. aff. Archigenem hoc nomine taxare: ſed cum is principium methodi, qua loci affecti inueniuntur ponat, τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τι αὐτῆς μόριον, haud ſcio an longiorem diſputationem hæc, vel altera illa de natiui caloris è cœlo deductione, diſpoſitio requirat. Summus eſt ac ſemper fuit omnium Philoſophorum ac Medicorum conſenſus, formas rerum ſine inſtrumentis nihil agere poſſe: nec alio potuit Ariſtoteles argumento mentis noſtræ immortalitatem certius docere, quam ſi actionem abſque corporeo inſtrumento edere oſtenderet, ſi poſſet anima ſine inſtrumentis videre, incedere aliaque talia agere, quis vſus eſſet oculorum, aurium, pedum, partium aliarum? Nullus: ſed de hac re Galenus legatur 1. Method. cap. 9. Quid aliud ſignificat hoc pronunciatum, actiones non vel materiæ vel formæ attribui debere, ſed compoſito. Adde hoc etiam, quod artis noſtræ fundamenta & principia prorſus euertit hæc opinio. Nam ſi actio aliqua poteſt inſtrumento nihil patiente lædi, perperam ſanitas atque morbus proximæ cauſæ actionum vel congruentium vel incongruentium definiuntur, cum ſine morbo læſa inueniatur actio. At impoſſibile eſt, vllum in natura rerum affectum exiſtere, aut fingi, qui abſque ſua propria, & per ſe cauſa ortus fuerit. Sunt autem ſanitas & morbus affectus corporum ſiue corporeorum inſtrumentorum. Quare abſurde hæc res in dubium reuocatur. Nec Archigenes aut alij ex veteribus iſta de re dubitant: ſed vtrum pars, cuius actio læſa eſſet ſemper affici potius, quam affecta aut ægra vocari deberet, inquiſiuerunt. Inſitum calorem ex iiſdem principiis naſci, ex quibus corpus noſtrum conflatum eſt, ita mihi videtur certum, vt inter homines doctos iſta de re dubitari potuiſſe, mirer. Equidem ſpiritus ex ſanguinis attenuati vapore generari certum eſt, ex quo eodem cunctæ corporis noſtri partes aluntur. Quare aut non iiſdem conſtamus, quibus alimur, aut ex eadem materia ſpiritus fiunt, ex qua aliæ partes coporis procreantur, nutriuntur, augeatur. Contendit Fernelius originem ſpirituum & partium aliarum cum ſuis temperationibus eandem non eſſe, quia vel animali recens iugulato carnes propriam naturam ſeruare videantur. Quis non videt euanidam eſſe rationem? Non eadem eſſe prorſus, calorem ex corde profectum, & temperamentum cuique parti inſitum. ſi probare iſta ratione voluiſſet, tolerari poterat, dum ſic iudicat de partium viuentium natura, quomodo lanij cadauera æſtimant. Ac quod ſpiritus ad viuentium carnium temperiem conducere negat, ferri non poteſt, ſed longius exſpatiati ſumus. Ad locum noſtrum veniendum eſt. An calorem ſiderum pabulo egere, & alimenti inopia interire cenſebimus? An cum à putredine elementari extinguitur, cœleſtem calorem ab elementari calore victum dicemus? An Ariſtoteles calorem elementarem elementis conferens non palam facit igneum frigore temperatum libro 2. de Anima, capite quarto. Sed de hac re fuſe egi in part. 2. Antiparacelſ. Verum argumentis nullis opus eſt apud eos, qui calorem cuiuſque partis natiuum & congenitum aliud nihil eſſe intelligunt, quam eiuſdem temperamentum, quod ex elementis certa coitione ortum, qui neſcit, nihil nouit. Influentem ex corde calorem è ſanguinis vapore continue generari, & ad membra inſtar fluuij ex eo promanare, perinde notum eſt, & confeſſum. Mirum ſane eſt, aliquibus perſuaderi poſſe, hanc ex ſideribus defluere, & apud nos incorruptum permanere, cum nullius rei calor proprius extra proprium ſuum ſubiectum, fingi valeat. Nullo vnquam loco aut tempore diximus DEO aliquid detrahi, ſi aſtrorum vi multa in natura fieri dicantur. Tum ſolum detrahitur Deo, quando quod eius proprium eſt creaturis tribuitur, vt cum præmonſtratio futurorum contingentium aſtris aſcribitur. Quod de diuinatione ex aſtris aſſerimus, ad caloris inſiti originem violenter nimis detorquetur, quoniam aliis rationibus quam nunc dictis, id oppugnamus. De totius ſubſtantiæ morbis, quos etiamnum probare videris, pauca dicam: ſicut in rerum natura non extat animal, niſi in homine, equo, cane; ita neque homo, neque alia quæuis animalis ſpecies extat extra cuiuſque ſpe-

Non actio læſa inſtrumento illæſo.

Actiones compoſiti corporis.

Veterum dubium.

Calor vnde nunquid.

Aethereus calor extra ſuum ſubiectum corrumpitur.

Genus & ſpecies in indiuiduis.

ciei ſingularia. Vere igitur exiſtunt Petrus, Paulus & cæteri ſinguli homines, ipſa ſpecies ſeorſim ſubſiſtens non exiſtit. Nam ſpecies & genera non ſunt res â ſeipſis ſubſiſtentes extra indiuidua, ſed quod ſeorſim conſiderantur, νοήματα ſunt duntaxat animorum noſtrorum. Similis ratio eſt actionis generatim acceptæ, actionis ſpecialis, & actionis ſingulorum. Etenim actio vniuerſe ſumpta, reipſa extra mentem noſtram non innenitur, ſic inquam, vt ſimpliciter actio ſit, ac non ſimul certa quædam actio ſit, vt viſio, concoctio, progreſſio. Eodem modo res habet in actionibus ſpecialibus. Nulla enim inuenitur concoctio, exempli gratia, præter ſingularem hanc, vel illam certam concoctionem. Quam enim rationem habet homo ad Petrum, eandem concoctio obtinet cum ſingularibus coctionibus collata. Habet enim & ipſa ſpeciei rationem. Ergo ſicut in animalium genere particularia tantum vere exiſtunt, ita etiam particulares tantum actiones reuera exiſtere oportet. Atqui impoſſibile eſt actio- n aliquam ſingularem edi, quæ neque onuenienter naturæ, neque inconuenienter edatur, hoc eſt, quæ neque ſana, neque ægra ſit. Iam inter morbum & ſanitatem nihil intercedere medium ponimus, etſi eadem præciſe ratio ſit, ſi interponere medium ſeu neutrum affectum velis, quod in præſentia ſic monſtro: Animam principalem cauſam operationum humanarum omnium eſſe, certum eſt. At per ſe abſque corpore conſiderata, ſi actionis cauſa poni ſtatueretur, multa abſurda conſequerentur.

Anima actionũ cauſa non abſq; corpore.

Primum falſum foret pronũciatum phyſicum, actiones non eſſe componentium partium, ſed compoſitarum ex materia & forma.

Deinde daretur actio, quæ ad ſpeciem certam nullam referri poſſet, hoc eſt, quæ nec viſio, nec auditio, nec concoctio, nec progreſſio, nec alia talis operatio eſſet. Impoſſibile autem eſt paſſionem aliquam actu produci, quæ in certa ſpecie nulla contineatur, cum genera ſine ſpeciebus νοήματα ſolũmodo ſint, reipſa extra indiuidua non ſubſiſtant. Præterea vna & ſimplex ſubſtantia per ſe, & primo foret cauſa multarum & diſparium, imo cõtrariarum quoq; actionum, eaſq; vno ſemel temporis momento producere poſſet. Quæ omnia cum fieri nullo pacto poſſint, falſitas hypotheſeos manifeſta eſt. Equidem anima diſcrepantes edit actiones, quia diuerſo inſtrumentorum apparatu vtitur, ac definitionem, ſpeciem & determinationem ab inſtrumentis adipiſcitur. Denique fruſtra factæ fuiſſent partes, quarum operationes ſola poſſet edere. Anima igitur quo ad forma eſt corporis, duntaxat generatim acceptæ actionis principium exiſtit. Eadem cum inſtrumento certo vnita effectrix certæ actionis eſt. Nam per oculos viſionem, per aures auditionem, per ventriculum ciborum concoctionem exercet. Quod vero tales actiones omnes neceſſarium ſit eſſe vel laudabiles, vel vituperabiles, hinc eſt perſpicuum, quod fieri nulla vi naturali poteſt, vt inſtrumenta, per quæ anima eas producit non ſint vel ſecundum naturam affecta, vel præter naturam diſpoſita. Etenim ex genere τῶν ἀδιαμέσων eſt, vt contrariorum, quæ medio carent, alterutrum ſubiecto cui accidunt, non inſit: ſed accidere partibus omnibus corporis, vt vel apte vel inepte pro naturæ viribus affectæ ſint, controuerſia omni caruit ſemper & carebit. Nec minus certum, confeſſumque eſt, aptam inſtrumenti diſpoſitionem bonæ operationis, ineptam vitioſæ cauſam proximam eſſe. Et quod idem non ſint cõcoctio, & bona ſeu laudabilis concoctio probatione non eget, quoniam reperitur coctio damnabilis. Ergo cum actio ſimpliciter & generaliter intellecta ab anima manet, certæ ſpeciei actio ab eadem cum inſtrumento eius copulata proficiſcatur, bonitas & malitia actionis indiuiduæ in qualibet ſpecie ab inſtrumenti conueniente vel inconueniente diſpoſitione proueniat: ipſa veritate verius eſt, ſi verius eſſe aliquid poteſt, omnem actionem reipſa & actu ab agente proficiſcentem, vel bonam ſiue ſanam, vel malam ſiue ægram ac læſam eſſe. Omnis enim actio talis indiuidua & ſingularis eſt, cum genera & ſpecies ſeorſim non exiſtant. At diſpoſitionem naturæ conſentaneam omnes homines vocarunt ſanitatem, & contrarium, à quo actiones offenduntur, morbum nominarunt. Quocirca neceſſario efficitur, actionis omnis, quæ actu fit, cauſam proximam eſſe, vel ſanitatem, vel morbum. Quid ex his ſequatur vides. Si enim morbus aliquis datur totius ſubſtantiæ, & cum tota ſubſtantia nihil aliud ſit, quam forma & ſua cuique natura apte temperata, forma autem ſine inſtrumento apte vel inepte temperato actionem nullam edat, prorſus neceſſarium eſt, vt tota ſubſtantia diſpoſitionem in ſe habeat à temperamento aliam (de inſtrumenti diſpoſitione nihil dico, quia totius ſubſtantiæ morbum inſtrumentalem eſſe negant) quæ actionum proxima ſit cauſa. At nulla imaginabilis eſt. Quare figmenta ſunt, quæ horum morborum architectus Fernelius, & Argen-

Morbum totius ſubſtantiæ extra intemperiem non dari.

Argenterius faber commenti ſunt. Ratio quia præter formam & temperamentum (materiæ ſine temperatione ſua conſideratæ qualitates inſtrumentali actioni interdum conueniunt, nunquam ſimilari) in partibus ſimilaribus nihil excogitabile fuit aut erit, actiones earum vel promouens & adiuuans, vel impediens & retardans.

Error Neotericorum à confuſione homonymiæ.

In hunc errorem incidiſſe videntur, qui non diſtinxerunt temperamenti ſignificationes apud Galenum: Equidem Fernelius tum alibi tum in fine 2. lib. 4. capite de abditis rerum cauſis, ſingulare temperamentum (quod à nonnullis temperamenti proprietatem vocatum ait,) clare ſatis diſtinguit à temperamento abſolute appellato.

Temperam. duplex ſignificatio.

Quod ſi veteribus etiam nomen hoc modo in vna, modo in altera ſignificatione vſurpatum animaduertiſſent, nequaquam nouos hoſce morbos introduxiſſent. Profecto non Galenus modo duplex temperamentum agnouit, verum & ante ipſum (Ariſtoteles τὴν πρώτην σύνθεσιν, & τὴν δευτέραν σύστασιν nominans. 2. de partib. anim. cap. 1.) & poſt ipſum Auicenna idem docuit. Hic enim cõplexionem primam & ſecundam expreſſe diſtinctéq; vocat. Obiicias fortaſſe hoc ipſo ſtabiliri recentiorum de his morbis placitũ.

Temperamentum Veteribus proprium. Neotericis tota ſubſtantia.

Nam in nominibus tantum, non in rebus diſputationẽ videri conſiſtere, dum illi temperamẽtum ſingulare & proprium vocant, quod iuniores totam ſubſtantiam nominare maluerunt.

At fruſtra obieceris. Si enim viderunt veteres duplex nominis ſignificatum, nec tamen plures morbos vipiam conſtituerunt, ſatis patet, eos plures non inueniſſe. Deinde cum temperamentum quouis modo ſumptum corrumpi aliter non poſſit, quam qualitatum primarum mutatione, neutiquam iudicarunt vtile morbos abſque neceſſitate multiplicare.

Temperamenti morbos diſtinguendos eſſe. 1. in qualitatum exceſſum. 2. in corruptionem.

Quanto feciſſent rectius horum morborum genitores, ſi temperamenti morbos diſtinxiſſent in eos, in quibus qualitas aliqua vna vel duæ hactenus aucta ſolum eſt, vt citra ſubiecti interitum actionem lædant? Et in eos, qui ſubiecti naturam corrumpunt. Sic enim cauſam clariorem reddidiſſent, & errandi anſam aliis nullis præbuiſſent. Argenterium non miror, qui veterum næuis amplificandis ſaginatur. At Fernelium quid huc impulerit, nondum ſcio.

Tota ſubſtantia lædentia & iuuantia dari.

Quorſum vero hæc? Nolim tamen illá, quæ a totius ſubſtantiæ proprietate vel lædunt vel iuuant, tantopere oppugnari. Ego certe nunquam aut dixi aut ſenſi, nullas res extare, quæ tota ſubſtantia nobis vel amicæ ſint, vel inimicæ. Quare ſi à me huius aliquid factum, tentatumve ſuſpicaris, falli te ſcias.

Exponere ſtudui, quid veteres per totam ſubſtantiam intellexerint, vt rectius intelligeretur, quid ſibi voluerint, cum totius ſubſtantiæ proprietate nobis aduerſa quædam eſſe, vel familiaria ſcripſerunt. Qui vero opinatur morbum aliquem totius ſubſtantiæ inueniri, veteribus incognitum, aut perperam explicatum, is ſe in errore verſari ſciat. Etenim Galenus paſſim hanc totarum ſubſtantiarum proprietatem inculcat, nũquam tamen ob id morbũ extare totius ſubſtantiæ credidit, qui ſcilicet vinum alius rei eſſet in ſimilari parte, quam temperamenti: nec adeo rudis fuit, vt non intelligeret, actionem inter contraria omnem fieri, qui nec ingenio, nec iudicio, nec differentia, nec vſu ceſſetit, Fernelio: ſed quia hac de re abunde egi in theſibus de morbis totius ſubſtantiæ, nihil addam.

Leporem marinum & cantharides non ſolum pulmonem, renes & veſicam lædere.

Hoc ſolum te monebo, nunquam te probaturum eſſe, quæ à Galen. lib. 1. cap. 1. de compoſ. med. ſecundum genera: & author ad Piſonem cap. 4. de lepore marino & cantharidibus ſcribit. Has ſolos renes, & veſicam; illum ſolum pulmonem exulcerare, illæſis partibus aliis corporib. Galenus primum dicit, ſolam veſicam à cantharidibus lædi, nulla renum mentione facta: ſed rogo te, an non exulcerent cutem & carnes ipſis admotæ cantharides? legito Nicand. Dioſcor. lib. 6. c. 1. vt alios iuniores prætercam, & intelliges: quantũ in hac parte cum experiẽtia pugnet, & cum Galeni ſententia. Quod ſi non eſt tantũ otii, vel vna hiſtoria, quã Braſſau. in comm. Aph. 17. lib. 2. recitat, ſatisfacit: ſed quid eſt opus teſtimoniis aliorum, quando noſtri ſenſus & experientia quotidiana docere poſſunt, quid de re aliqua cõtrouerſa ſentiendum ſit? leporem marinũ non vidi, nec expertus ſum, quas habeat vires: ſi autem vera ſunt, quæ de hoc authores prodiderunt, non minus falſum eſt, quod ſolos pulmones offendat aut exulceret, quã quod de cantharidibus Galenus prodidit. Dioſcorid. certe poſt Nicandrum ſcribit, vrinas eum purpureas, id eſt, cruentas, ciere; ne ſolas cantharides hoc efficere cogitemus.

Cantharides manifeſta vi exulcerant veſicam.

Exulcerant partes omnes, quas attingunt, & ex renibus maxime educitur ſanguis cum vrina profluens, non occulta, ſed prorſus cognita nobis virtute. Et ſi maxime ſolas nominatas partes illa animalcula exulcerarent ſubſtantiarum proprietate, an ideo ſine temperamenti læſione, id agerent? aut ſententia noſtra de contagio vacillaret?

Haud puto? Quæ præterea in ſcripto tuo continebantur, vel non'opus habent reſponſione, vel in antedictis comprehenduntur. Quare finem hic faciam, cum alias longior fuerim, quam de principio propoſitum haberem. Vale 8. Septembr. Anno 1575.

EPIST. CCLXX.

IDEM EIDEM.

MAGNA vero me voluptate affecerunt literæ tuæ, vir doctiſſime & clariſſime, partim quod me à te amari perſpexi; partim quod in pleriſque diſputationis noſtræ capitibus idem nos ſentire, tametſi non eiſdem verbis vtamur, cognoui. Quanti prius æſtimem, non facile dixerim, cum minime ignorem, quantum ſit bonum viris principibus placuiſſe. Cæterum inter principes Academiæ veſtræ te partes nequaquam poſtremas tenere, iam olim ſciui, nec minus amorem tuum erga me tum ex adoleſcentum, quos tibi commendaram literis, tum ex tua ipſius epiſtola didici. Poſtremo illud mihi veritatis cupido non poteſt non eſſe gratiſſimum. Quid enim magis optem, quam tanti viri iudicio recte ſtatuere de rebus controuerſis? Equidem ſi quid eſt inter nos diſſenſionis, id in eo potiſſimum conſiſtere arbitror, quod non eodem modo loquimur, iiſdemque verbis animi cogitationes non exprimimus.

Conſenſus Capouaccii & Eraſti.

1. Contagium non eſſe de eſſentia morbi.

Equidem quod morbū nullū formaliter, vt tu loqueris, vel quo ad morbus eſt, ſicut ego dicere ſoleo, contagium, aut contagioſum eſſe dicis, omnino probo, nec ego diuerſum vnquam aut dixi, aut ſcripſi: ſemper enim contagium affirmaui, accidens eſſe certorum morborum, ad eſſentiam morbi, quo ad morbus eſt, non pertinere. Quinimo nec breuitas, nec acuties & tarditas, ſeu diuturnitas ad morbos, quo ad morbi ſunt, ſpectant, ſed accidunt hæc & alia plura, certis

2. quibuſdam morbis. Ergo, quod tu cauſaliter & concomitanter adeſſe nonnullis

3. aſſeris, hoc ego iiſdem aio accidere. Quod etiam contagium tu vocas ſeminarium; ego autem qualitatem quæ à ſeminario vna cum morbo in corpus inducitur, nomino,

4. diſcrepantes ſententias non defendimus.

Diſſenſus. Actionem non lædi illæſo inſtrumento.

In eo arbitror inter nos aliquid eſſe differentiæ (ſi tamen ſerio mecum hac in parte agis, & potius meam ſententiam expiſcari ſtudes, quod & nuper me ſuſpicari oſtendi) quod actionem lædi affirmas inſtrumento non læſo. Idem namque in hoc loco Galenus quem citas, quemque bis repertita petitione diligenter, vt legam, rogas, ſignificat, nomen δυνάμεως, ſeu facultatis, quod inſtrumenti diſpoſitio denotat. Quippe facultatem lædi aperte ait, quoties vel temperies ventriculi, vel organica eius diſpoſitio (ſub his etiam vnionem complectitur) vitiatur. Ego certe locum hunc ſæpe & in natiua Galeni lingua & in Latinum ſermonem conuerſum minime oſcitanter perlegi; ſed quod mecum pugnaret, intelligere nunquam potui. Fateor ſi quis verba potius, quam mentem ſpectet: videri tale quid aſſerere; nempe actionem aliquam ſine vitio facultatis ſeu inſtrumenti aliquando lædi; ſed aliter rem habere firmiſſime demonſtrabo.

Fundamentum.

Demonſtrationis noſtræ fundamentum & propoſitiones hæ ſunt. Corporis noſtri 1. actio non eſt, quæ à nulla eius parte efficitur. Corpus noſtrum ſuas omnes actiunes 2. bonas pariter, & malas per partium diſpoſitiones conuenientes & inconuenientes exercet. Diſpoſitio naturæ congruens ſani- 3. tas; incongruens, morbus nominatur. Sani- 4. nitas porro eſt affectus naturalis actiones primo producens bonas, & laudabiles. At 5. morbus huic contrarius eſt affectus, actiones primo lædens, ſeu malas & culpabiles proferens. Quocirca cum corporis noſtri actiones omnes, vel ſint bonæ vel vitioſæ, (de neutro non eſt, quod litigemus) neceſſarium eſt, vt illæ à ſanitate, hæc à morbo per ſe, & primo proficiſcantur: & hactenus omnia ſunt ita certa, vt à nullo Medico & Philoſopho in dubium ſint vocata. His ſtantibus impoſſibile eſſe aio, vt actio aliqua noſtra (de illis agimus, quas anima non abſque inſtrumento corporis exercet) lædatur, illæſo permanente inſtrumento, à quo illa primo & per ſe editur. Quippe actiones omnes primo eduntur à ſanitate & a morbo; à ſanitate ſanæ, à morbo vitioſæ tanquam à cauſis proximis. Sanitas autem & morbus ſunt affectiones corporis animati. Quamobrem neceſſarium eſt, vt omnis actio læſa vel a ſanitate, vel à morbo primo pendeat. Non à ſanitate. Nunquam enim ſanitas comitantem affectum morbi actionem producit, id eſt, morbi propriam. Dictum vero eſt, culpabilem actionem, morbi proprium eſſe effectum. Quocirca vel non erit actio deprauata, corporis noſtri actio, vel à morbo, vt à prima & proxima cauſa ortum habet: ſi actio corporis noſtri non ſit, nihil ad nos pertinet: ſi eſſe concedatur, neceſſariū eſt, vt vel cauſa careat, vel à morbo primo ſit edita: ſine cauſa actionē aliquā dari, non eſt imaginabile. Quare morbum habet cauſam. Inſtrumentum igitur, à quo editur,

editur, morbo affectum eſt tunc, cum non agit laudabiliter. Repeto breuius: Omnis actio corporis noſtri praua & incongrua procedit à morbo per ſe & primo, quod morbi definitio ab omnibus omnium ætatum Medicis & Philoſophis probata demonſtrat. Ergo omnis actio praua & incongrua corporis noſtri ab inſtrumento præter naturam affecto procedit. Quippe morbus nihil aliud eſt, quam talis affectus animati corporis. Quod porro præter naturam affectum eſt, læſum eſt. Nulla igitur actio læſa fingi poteſt ab inſtrumento ſecundum naturam habente proceſſiſſe. Cõuertitur bona definitio cum definito. Si ergo morbus eſt, id eſt, quod ſolum & primo lædit corporis noſtri operationes, certum eſt, læſam actionem omnem primo à morbo effectam eſſe. Sanitas certe ſic ſe ad morbum habet, vt actio bona ad malam. Ergo ſicut non poteſt actio bona eſſe mala, nec mala eſſe bona: ita nec ſanitas poteſt eſſe morbus, nec morbus ſanitas. Si ergo ſanitas poneretur producere actionẽ malam, concedi etiam oporteret ſanitatem eſſe morbum. Quoniam opere & potentia definiuntur hi affectus, nec alia eſt illorum ſubſtantia, quæ propter operationem & finem certum facta ſunt, quam eorum operatio, vt ſæpe docuere, tum Galenus tum Ariſtoteles. Idcirco cum non poſſit ſanitas eſſe morbus, nec opus morbi proprium efficere poteſt. Hic addo hoc etiam, ſi tua hypotheſis valeat, vel ſaltem Galeni verba ſic accipiantur, vt tu exponis, totam methodi medendi, maxime autem eam, qua inuenire docemur locum affectum, euerti.

Gal. teſtim. Nam Galenus in libro de loc. affect. in fine ſecundi aſſeueranter hoc huius methodi principium ſtatuit. Nullam actionem lædi, inſtrumento eius non læſo. Hoc inquit, principiũ eſt *τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τὸ ποιοῦν αὐτὴν μόριον*. Satis, opinor multis demonſtraui propoſitum. Si hoc loco ex me quærat aliquis: Num ſecum pugnet Galenus: dum expreſſe contraria videtur affirmare? A ſe diſſentire negabo: & neque difficilem, neque obſcuram eſſe cõciliationis rationem affirmabo. Quæ igitur eſt conciliatio? Etſi dicere vel exiſtimare aliquis poſſet, Galenum hoc in loco nempe cap. 1. libro tertio de ſympt. cauſis, diſpoſitionem, quę à cauſa vel re externa tota adhuc pendet, nondum pro morbo cenſere, atq; ob id eas ſolum diſpoſitiones morbos appellare, quæ impreſſæ iam ſunt membris: non tamen ea mihi ſatisfacit reſponſio, tametſi ex ipſis textus verbis argumenta aliqua conſtrui valeant idipſum confirmantia.

Verior eſt illa reſponſio, quam in ſuperiori epiſtola attigi: Eum hic nos voluiſſe docere, diſcernere actionẽ ab opere, quarum differentiam nõ vno in loco docuit. Intelligit ergo per ſymptoma non ipſam tantũ actionẽ, ſed etiam opus, ac ſi iſto modo dixiſſet. *Actio differt ab opere.* Fruſtratæ coctionis cauſæ duæ ſunt: vna, vitium facultatis, ſeu inſtrumenti: altera, obiectum incõueniens; quando inſtrumentũ vitio laborat, coctio non fit, tametſi obiectũ culpa vacet, quia actio ipſa tunc eſt læſa (cauſa non eſt in obiecto) cum autem actio integra eſt, ac nihilominus finem non aſſequitur, cauſa eſt in obiecto. Notandum eſt quod nõ idem ſunt *ἀποτυχία πέψεως*, i. e. coctionis fruſtratio, & *ἡ βλάβη τῆς πέψεως*, i. e. coctionis vitiũ. *Coctionis fruſtratio & vitium differunt.* Multi enim recte & ſecundũ naturam agẽtes fine tamen fruſtrãtur. Sic & ventriculus, cum obiectum habet incõgruum, licet pro virib. ſuis agat in ipſum, fruſtratur tamen fine ſuo, & generatur opus pręter naturã, quamuis actio eius non ſit læſa: ſic ignis non propterea virtutem inflammandi nõ habet illæſam, q ſaxa & aquã in flammã non vertit: nec ideo magnes non agit pro naturæ ſuę modo, quia ferre nimium pondus, aut alia metalla ad ſe non pertrahit. Non actiones horum externorum ſunt deprauatæ, aut vitiatæ, cum iſta ſic eueniunt, ſed obiecta nõ ſint idonea ſic pati. Ex his patet, quomodo ſymptomata ſeu fruſtratę actiones fiant (id eſt, quando vel crudi vel praui humores nonnunquam in ventriculo generantur) actione vẽtriculi ſecundũ naturã habente. Huic autẽ nullo pacto efficitur actionẽ partis alicuius eſſe læſam parte ipſa nullo morbo laborante. Aliud enim eſt actionem lædi, & aliud opus aliquod præter naturam oriri. Non enim ſemper eſt læſa actio, quæ finẽ & ſcopum nõ aſſequitur. Hæc vera eſt huius rei declaratio vt ex lib. 1. de loc. aff. c. 2. 3. 4. conſtat: (Cap. 3. inter calumniatores numerat docentes, actionem interdum lædi inſtrumento non læſo. Deinde 4. cap. palam aſſerit, cibos in aliquib. non eſſe cõcoctos, tametſi ventriculus haud quaquã fuerit affectus, neq; etiam id, quod ad ipſius rationẽ pertinet, circa actionem errauit, & quæ ſequũtur:) perſpicere licet, vt alia teſtimonia prætercam. Quare etiã rationẽ tuam ex hoc loco extortam, neceſſariũ eſt corruere. Niſi enim aliter quã verba ſonare videntur, interpretentur, à nullo mortaliũ vindicari à contradictione poterit Galenus quin & grauiſſimi erroris reus conuincetur, niſi artis noſtræ principia labefactare quis velit.

Adamas nõ impedit magnetis attractionem. Quod de magnete affers, eũ propter præſentiam adamantis ferrum non attrahere, id ego periculo ſæpiꝰ & in optimo & in mediocribus facto, falſum reperi. Vt experti er mo-

uit me Conciliator, qui tot retro annis, imo ſeculis huius rei veritatem apperuit. Clarius item hoc demõſtrauit Dominus Gartias ab Hotto Indiarũ proregis Med. in libr. de aromatis & ſimplicib. aliquot medicamentis in India naſcentibus. Aſtipulatur experientiæ ratio. Nam affectus naturales per occultam alterius diſſenſionem non tolluntur, teſte vniuerſitate tota rerum, alteratione & mutatione inducuntur & auferũtur naturales diſpoſitiones, cũ ex certa mixtione corrigãtur & ea non mutata minime abeant. De putredine pauca dico, quia decreui hanc rem accurate & fuſe tractare. Haud ſcio interim an ſatis recte putredinem, quam Ariſtot. proprie ſic nominari ſcribit, impropric ſic nomines, & in ea mixtionẽ diſſolui aperte neges. Equidem verba hæc Ariſtotelis, χωρισθῆναι τ̃ φύσεως non ſignificant ſolum à natura ſua diſceſſum, qui per alterationem, aut alienæ rei admiſtionẽ dumtaxat fiat, ſed ipſius naturæ deſtructionem.

Putredine miſtio deſtru.

Putreſcentia calidiora.

Putreſcentia quoq; cur nunc ſeipſis calidiora effici neges, nõ intelligo, cum nuper hoc argumento conatus fueris probare, ſpiritus non putreſcere, quia [illegible]ra oporreat fieri, quæ putreſcunt. Ego [illegible] reſpondi, diſtinguendum eſſe inter participatum calorem, & quem res quæque ex ſuo temperamẽto proprio obtinuit. Scio enim & totam naturam probare, calidiora ſeipſis effici putreſcentia, ab aduentitio calore & Ariſt. eſſe verba hæc: θερμότερον γίνεται σηπόμενον ἅπαν i.e. calidius fit quicquid putreſcit. An non idem hoc definitiu putredinis efficit? Frigidiora quoq; fieri non inficior, ſi de innato calore intelligamus dici, ſed & putrefacta calore pottido diſſipato frigidiora eſſe, quam ante putredinem fuiſſent, nihil forte prohibet. Probo & laudo quod cõtagii ſeminarium putridum vocaueris, quia & a putredine ortum ſit, & putrefaciẽdi potentiam in ſe cõtineat. Morbum totius ſubſtantiæ dari inficiaris vna mecum, & ratione probas, quæ aduerſus illos plurimum valet, qui totius ſubſtantiæ morbum dicunt eſſe morbum formę. At neq; omnes eodem modo de tota ſubſtantia loquuntur, nec iidem eadem ſemper hac de re proferunt. Quid Ariſt. & Gal. totam ſubſtantiam cenſuerint eſſe, tibi viro doctiſſimo compertum eſſe arbitror. Quare nihil hic amplius addo. Ad extremum te vir clariſſ. mihiq; ſumma obſeruantia colende, etiam atque etiam rogo, ne putes me vllius rei gratia tecum diſſerere de iſtis rebus, quam vt abs te ſicubi forte exorbitem in viam reducar, & magis exercear.

Quamobrem tãtum abeſt, vt mea refelli nolim, aut reprehendi animo iniquo patiar, vt ſummum in reprehendendo conatũ maximi beneficiũ loco & habeam ſemper & habiturus ſim. Si enim iuſte accuſor, rectius inſtituor & doctior fio: ſin iniuſte, tamẽ exerceor & res plenius comprehendo, in qua ſententia magis confirmor: & quia ſentio me ex mutua collatione plurimũ profeciſſe, & ago & habeo tuę humanitati gratias, dum referendi facultas detur, &c. Vale.

EPIST. CCLXXI.

Thomas Eraſtus D. Petro Monauio Medico Caſareo S. D.

TV vero Petre doctiſſime, & chariſſime, ſic flagitas reſponſum ad literas, quę 26. Aug. inter cœnandum mihi ſunt redditæ, ac ſi de mea erga te optima voluntate tibi non conſtaret. Qui ante fui, nunc etiam ſum, tui amantiſſimus, & tibi gratificandi cupidiſſimus. Quocirca non debes à me precib. contendere, ꝙ à me tibi curari præſtarive poſſe arbitraris. Satis erit mihi, ſi te cupere intelligam. Itaq; vt petis, ſcrupulos tibi eximam, qui te vexant. Facilius erit hoc mihi, cum tu ipſe rationem viamq; aperias. Ex libellis noſtris hanc te hypotheſin excerpſiſſe ais, Metallica omnia in vniuerſum, quouis modo parata, nec tuto nec commode intra corpus ſumi. Nõ dixi ego, metallica omnia noxia eſſe. An enim & ſalẽ inter metallica numerari non nouimus? Sed & calchanthum non adeo noxium eſſe affirmaui lib. de auro potulento. Monui etiam plurimum, malitia differre inter ſe, tum metalla, tum metallica.

Metallica non omnia noxia.

Metalla non temere adhibenda.

Hæc hypotheſis noſtra eſt, metalla & his cognata, Myſi, Sery, Hydrargyrum, Stimmi, temere nõ eſſe deuoranda, quouis modo ſint præparata, præſertim vero ſi ignis vi ſint cõcinnata. Si libelli principium attente conſideraſſes, de metallis præcipue me agere animaduertiſſes.

Metalla & metallica differunt.

Nec ignoras, puto authores à metallis metallica diſtinguere. Cum deinde nobis das, non ita nos alere metallica, vt pro cibo quotidiano vti liceat, idem mox nobis rurſus eripis. An enim quod alere non poteſt, corroborare, refocillare, in ſtatu ſuo partes principes conſeruare poteſt? Dico tibi hoc eſſe vnum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quot modis corroborari, & inſtaurari vires poſſint latius à me expoſitum inuenies: Quæ ſi expendere voles, vltro in partes noſtras deſcendes.

Corroborantia neceſſario nutriunt.

Quinta eſſentia niſi alant nõ corroborant.

Iterum repeto, impoſſibile eſt, ſine altione talia effici, qualia quintis metallorũ eſſentiis, ac ſimilibus adſcribi audis ab horum pharmacorum fabris. Quare non recte credis experientiam te producere poſſe teſtem: Sed inquies forte, non alere quidem ciborum inſtar, at non nihil tamen alere. Ego vero nullo pacto alere demonſtraui, ſed ſincera eſſe pharmaca probaui. Qui igi-

Nulla metalla nutriunt.

tur

tur conſtare oſtendes, In vſu medico illa ſæpe, quo ad has intentiones, vtiliter adhiberi, maxime in animi deliquiis? Quid enim: an quæ animo defectos reuocant, alere omnia poſsunt, Ergo & frigidæ aſ, erſio, & naſi compreſſio, & pilorũ euulſio, & auricularũ vellicatio, & oris ventriculi confricatio, & artuũ contortio, ligatur æq; alunt. Aliud eſt ſpiritus euocare, qui ad cor confugerunt, atq; aliud eoſdem nutrire. Infundimus ei setiã vinum ad celerem ſpirituũ perditorũ inſtaurationẽ, ſed id nutrit: At metallica non nutriunt. Non igitur, vini modo, iuuant. Vis te tuomet gladio iugulem? Haud multo poſt ita ſcribis Purgandi vires pleraq; obtinere, ſatis notum eſt. Item neq; enim inficias iuerim, quin venenata & maligna aliqua qualitate participent: Si vera hæc ſunt, vt certe ſunt, quomodo alere, corroborare, refocillare dicis? aut qui credemus animo defectis per ſe prodeſſe? Per accidens aliquando iuuare, nil fotte vetat: Sed rationes expendamus, ſummã miſtionis perfectionẽ, in auro pſertim, elucentem, ac gemmarũ præſtantiã lux & ſplendor ille præfulgidus ſatis patefaciũt, ſpiritibusq; noſtris luciddiſſimis maximeq; tẽperatis cognatas eſſe. Horũ ratione facile adducar, vt credam ob illam ſympathiam & ſymbolorũ conuenientiã ſpiritus eam conſeruare, augere, ac velut ignauos ac deperditos ſpecifica proprietate reſtituere. Aurũ perfecte miſtum concedo, quando perfecte miſtũ vocas, cuius partes humidæ ita ſunt cum ſiccis tẽperatæ, vt alteræ ab alteris ſeinngi nequeant: Hæc perfectio quid ad temperationem corporum noſtrorum attinet? Miſtio perfecta alio modo dicitur quæ ad plurimarum & præſtantiſſimarum actionũ vſum requiritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum natura inuenitur, de qua re in ſuperioribus plurima diſſerui. Repeti ſuperiora etiam hic poſſunt. Eſt enim impoſſibile, vt quæ alere non poſſunt, ſpiritus augeant ac deperditos reſtituãt. Quare verba ſunt Inania: Specifica proprietas, per quã inſtaurantur ſpiritus, eſt proprietas temperamenti talis, cuius ratione alimentum aliquid eſt, ac fieri id poteſt, q; nos ſum°: Quod cũ negatũ ſit metallis, nullũ hic locũ habet de occulta alia proprietate commentum vllum. Quid vero lux & fulgor gemmarum ad ſpirituum alitionem: Forte putas ſpiritus oculos habere, & etiam ſplendore ingeſtarũ gemmarum voluptatem capere? At dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorẽ amiſiſſe. Si lux indicaret ſpirituum cum lucidis reb. cognationẽ, quam multa, quæſo te, foret eorum alimenta? Iam ſi venenatam qualitatẽ participarũt, ſi tanta corpus violẽtia purgant, qui ſpiritus reſtituant, augeant, conſeruent? In his quia nihil animaduertiſti firmitatis, ad alia tranſis. Si metallica pharmaca, inquis, repudias; quia corpus vehementer purgant (pleraque purgare vltro nobis concedis) nulla purgantia intra corpus ſumi oportebit: Quod cum ſit abſurdum, iſtud tantũ ſequetur. Non cruda, & ita vt è terra eruuntur, ingerenda eſſe. Sed quemadmodum & reliqua purgatoria præparata prius & aliis additis correcta: Nõ ſequitur. Si metallicis purgationib. vtẽdum negem, vt etiam aliis interdicam. An ſi prohibuero Ellebori vſum, tibi videbor etiam Rhabarb. repudiare? Quia nocentiora ſunt metallica ignium vi parata aliis purgatoriis, fugienda dielmus. At hæc reſpondebis: non minus illis corrigi poterunt: Sit ita: Quæro ex te, cur tot ſumptib. & laborib. metallica conquiras vſu non ſatis comprobata, cum idem longe vilioribus, & multo vſu probatis obtinere potes? An non ſumma fuerit dementia, ignota, precioſa, multo labore, & ſudore comparata anteferre minus precioſis, notis, obuiis, dum non plus ex illis quam ex his commodi expectes: At validius agunt inquies, & in parua quantitate. Au..., Sed hoc tibi repono, ob id eſſe nocentiora, quia minima eorum quantitas plus exagitat corpus, quam maior aliorum quantitas. Si aliis adiectis retundi virtutem eorum dices, vt non magis infeſtent, rurſum parum prudenter ignota pro notis eligi affirmabo, cum præſertim certus eſſe nequeas, vtrum mali aliquid latenter corpori imprimant, maioreq; precio veneant: Et cruda quidẽ corrigi poſſe haud nego. Ignium vi concinnata, an ſic temperari nequeant, vehementer ambigo: Dixi alias crudi antimonii drachmam minus mouere, quatuor vel quinq; granis præparati: Veteres quoque nonnunquam purgationis cauſa metallica propinarunt, chemico artificio ignium maximorũ vi apparata nulli vnquam exhibuerunt. Auget, non minuit eorum malitiam præparatio per Ignes. Hoc tu negas: quib. id rationibus fretus neges, videamus. Multæ res ſunt, quæ cũ antea crudæ & ineptæ forent, ignis poſtea beneficio coctæ aptæ efficiũtur ad corpus alendum. Teſtatur id carnes inprimis aſſæ, in quib. nemo ἐμπλάσμα refugit. Si toto genere hæc differre dicas, vel vnã ceruſã tibi proferam, quã & refrigerare & ideo repellere, emplaſticamq; eſſe, ipſa euidentia experientiæ teſtatur. Cur hic ἐμπλάσμα nõ vrgemus, cũ tamen à plũbo vſto aut parũ aut nihil differat? Plurima etiã ex metallis vt ignis liquatis, & puris ab impuris partib. ſecretis cõparãt pharmaca, vt olea, liquores, vocati ſpiri

In animi deliquiis quomodo conueniant.

Auri & gemmarum vis varia.

Aurum perfecte miſtũ: ſed non ratione corporis noſtri.

Specifica proprietas inſtaurationis ſpirituum.

Lux & fulgor gemmarum non alit ſpiritus.

Igne Metallica vix temperari.

℥ 1. crudi antimonii minus purgat, quã 4 grana præparati.

tus. quæ ad refrigerādum & humectandum intra & extra corpus vtiliter exhibentur, vt liquor vitreoli: & oleū ſulph. in quib. geſtu etiam ipſo nulla acredo deprehenditur. Taceo nunc aquas deſtillatas. At hæc ita reſpōdeo. Nunquam ego dixi, omnia ab igne cocta vel vſta ἐμπύρευμα noxiū acquirere. Imo ex Galeni & Dioſc. autoritate, vt ipſam rerum inſpectionem mittam, rem aliter habere oſtēdi pagina alia. Recte igitur tu toto genere differre dicis cibos, & metalla. Cæterū cur metalla ἐμπύρευμα noxium retineant, alibi abunde expoſui. Ceruſſæ exemplum, quę res eſt facticia, & abſq; igni omni paratur, tārundem ad rem facit. Si te ſandycem intellexiſſe dicas, hāc ex ceruſſa leuiter vſta fieri reſpondeo. Differt tamē a plumbo vſto plurimum ceruſſa, cum illud manifeſte calidū, hęc frigida ſit. Sed cui tu perſuadebis, liquorē ſeu oleū calchāthi ac ſulphuris ἐμπύρευμα nullum obtinere? Guſtus, inquis, acredinem non ſentit: Ferreus eſt ergo guſtatus tuus, ſi mordicationem non deprehendis. Admoue guttam integrā linguæ aut gingiuis, aut carni cute nudatæ, & vtrum erodant videbis. Non omnia, quę guſtus non percipit calida, vel frigida, talia non ſunt: Sæpe enim ſapor vnus obfuſcat alium, vt nō ſentiatur, tametſi plurimis adſit, vt in opio amaritas ſaporem tegit refrigerantium partium. Ita parum vini rubri vini albi multo copioſioris colorem obtundit, vt non videatur. Quoties operatio ſeu effectus adeſt caloris, nemo calorem adeſſe dubitabit, modo ab accidente nullo fallamur. Deinde lingua laxa cum ſit, cito penetrant per ea tātopere extenuata, vt minus eorum actio hic, quam in denſiori parte animaduertatur. Miror vero, quorſum dicas, te non concedere, quæ in dura corpora ſæuiunt, mollioribus magis eſſe infeſta. Ego namq; fuſe docui ſatis, maxime calida, ſi exquiſite ſint extenuata propter celerē penetrationem minus laxis, quam denſis corporibus nocere. Sed & Gal. hac de re multa cū alibi, tum vbi rubificantia, veſicatoria & eſcharotica diſtinguit: per accidens hoc fit, quia non inhærent. Si aquæ diu in his atq; in illis inhærerent, dubio procul plus nocerent mollib. quam duris. Quæ igitur de lanarum ſaccis contra tormentorum ictus protenſis affers, contra nos non faciunt: Aquam fortem ferrum corrodentē dicis ſine noxa manu caua excipi. Si vel tertia temporis parte, quo ferrum erodit, in manu ſerues, ſenties quid poſſit: Vidi inſeri in dentem cauum, vt leniter ſaltem gingiuas attingeretur, quoſq; mox cruciatus cū carnis exeſione gigneret, itidem vidi, ac memini. Hoc exemplū alias magis quadrat, quam id quod de lanarum ſaccis adfers, quia non de impulſu violento, ſed alteratione violenta diſputamus. Quod ad extremum metallica (de aliquibus non pugno, ſed de metallis & cognatis quibuſdā diſputo) ſcribis, nō prorſus numero eorum, quæ intra corpus aſſumuntur, eximenda eſſe. ſi in eorum vſu tria hęc obſeruētur, vt recte præparentur, aliis additis apte corrigantur. denique debita quantitate exhibeantur, ſatis eſt declaratum. Metalla enim ſic præparari non poſſunt ignibus, vt non ſemper noceant. Quia vero & nocentib. aliquando vti cogimur, non dico, ea nunquam vſurpandā, ſed cum aliter ægrum ſanitati reſtituere non poſſumus, minus malum maiore permutandum aliquando fuerit. De hac re paginis aliquot egi.

Non omnia ab igne cocta vel vſta Empyreuma habent.

Ceruſſa a plumbo vſto plurimum differt.

Ol. Calchanthi & Sulphuris acre.

Sapor vnus retundit alium.

Calida tenuium partium magis nocent laxis quam denſis.

Aquam fortem manū corrodere.

Metalla non poſſe ita præparari vt non noceant.

Habes reſponſum ad omnia tua breue & longum ſimul. Breue eſt ſi hanc chartam intuearis. Longum ſatis erit, ſi loca citata examinare attenteq; relegere velis. Citaui ob id ipſum, vt labore te leuarem inquirendi, & ipſe mihi conſulerem, cum præſertim occupationes fuſiorem reſponſionem inſtituere non paterentur: Dominus Ieſus tibi benedicat, Amen. Die 17. Aug. Anno 1578.

EPIST. CCXCII.

IDEM EIDEM

Literas tuas, quas 4. Decemb. dediſti eiuſdē menſis die 17. hic accepi, & diligēter perlegi: Probo autem mirifice ſtudiū tuū in inquirēda veritate, qua ſane charius eſſe nobis nihil debet: Vt enim vſum nullū haberet, quem habet in cunctis reb. ſummū, tamē ſeipſa dignum foret, cuius cauſa omnia toleraremus. Recte igitur facis tu, q; non ſtatim aſſenſum præbes omnib. ſed prius apud te expēdis ne incogitate aliquid probes. At illa quæ in his literis obiicis, breuiter quidē, attamen perſpicue, reſpondere tentabo. De Gemmarum viribus non indoctos dubitare inquis, magnas & admirabiles ineſſe gēmis vires exiſtimaſſe, qui tamen alias abditis illis proprietatibus tribuunt plurimum: idem ipſe quoq; omnibus temporib. animaduerti, illos ſolos (de doctis loquor) ita ſtatuiſſe, qui perpetuo latentes poteſtates reperent: Sed ſatis non eſt, doctum eſſe niſi quis hac ipſa in re, de qua quæſtio eſt, doctus ſit. Fieri certe poteſt, vt excellētib. viris & præcipuis in partib. artis noſtræ exercitatiſſimis nunquam in mentem venerit, de huius rei veritate inquirere. Solēt enim pleriq; fidem habere illis, qui ſe periculum feciſſe affirmant, quaſi non & ſe & alios fallere potuerint: In horum ordine ipſe quoq; permanſiſſem, ſi nū obſeruauiſſem omnes fere, qui talia præcipue nobis commēdarunt ſuperſtitioſiſſimos

Gemmarū vires negliguntur.

mos

mos, aliiſq; vanis artib. deditos fuiſſe: Credat, qui vult, gemmas mirabilia efficere, mihi qui, & ratione & experientia didici aliter rē habere, nullus facile perſuadebit, falſum eſſe verū. *Calchanthi oleum vſurpari poſſe.* Chalcanthi liquorem, vt & ipſum Calchāthum minore periculo vſurpari poſſe in ipſo libello faſſus ſum. Nec ego incertis caſib. vbi nihil videat᷑ obſtare poſſe, vereor eo, reb. aliis conuenienter tēperato vti. Quid vero de pharmacopœo dicam, equidē non habeo aliud, quam neſcire me vtrum contulerit ægris, an non contulerit. Suſpicor enim, ſi vtilitatem attulit aliis rebus, diſtributionis, aut deductionis aliorum gratia potius miſcuiſſe, quam ſanationis. Vix enim arbitror quenquam crediturum, inſita ſua natura vas ruptum ſanare ipſum poſſe. *Ebibiti vſu Calchanthi extincti.* Hoc certe comperi omnes pulmonis vlcere quamuis obſcuro laborantes (ſunt enim aliqui ad eas aquas ablegatià medicis, de quib. dubitabatur, an vlceratos pulmones haberent) qui aquas calchāthum continentes biberunt, celerem ſibi mortem accerſiuiſſe. Quod niſi in diuerſis ſæpe eueniſſe viderem, aſſeuerare apud te non vellem. Venerunt enim deinde ai me conſilium petentes (& hoc ipſo anno adhuc duo robuſti iuuenes) cum conſilio locus non ſupereſſet. Quæ ideo refero, vt me diligēter omnes circumſtantias examinauiſſe intelligas, Ego pharmacopœū facultate huius liquoris, vlcera hæc tum ſanauiſſe credam, vbi rem certius cognouero & quib. præterea ſit vſus vna cum circūſtantiis: Qui ſapit temere non credit illis iactatorib. quoties ea exhibēt, quę nocere poſſunt. Audiui ſexcenties medicamentum quoddam Elidæi Medici Bononienſis ad cœlum tullere. *Experimentum Helidæi in ſputo ſanguinis fallax.* quaſi ſputū ſanguinis admirabili efficacia curaret. Sed multis ab ipſo fruſtra exhibitum partim vidi, partim ſcio, ſicut ne ipſe quidem fructum ex eo deprehendi. Vſus enim ſępius ſum quod periculoſum non ſit, & rationem habeat ſuffragantem, ſæpenumero vbi multa ſunt adhibita, quæ ſimul affectum percurarunt, laus tota vni perperam adſcribitur. De aqua forti nihil dicam, cum neminē ſperem adeo inſanire, qui eam bibendam, aut deglutiendam conſulat.

Metallorum transmutatio negatur. De metallorum tranſmutatione ſi diſputare hic velim, actū egero Priuſquā enim mihi perſuadeatur, hanc artē eſſe veram confutari oportet omnes rationes meas, vel aliis melioib. vel ipſo facto Hoc autem aliquot iam ſeculis a multis millib. fruſtra tentatum eſt nec cuiquam impune fuit. Omnes enim ſi nō ſanitatis, auri tamen iacturam fecerunt, pars maxima ad egeſtatem eſt redacta. Nuli putare mi D. Petre non poſſe me veris rationibus refellere falſam artem, quam non exercuerim. Quid enim, an & magiam me exercuiſſe & dedidiciſſe oportet, ſic refutare eam recte velim? Non arbitror: At ratio ſimilis eſt artium omnium. Quomodo etiam à me poſtules, vt præſtem quod ratio fieri nō poſſe docet, ac nullus vnquam præſtare potuit? Nō verſatus es, inquis ἐν ἐγχειρήσει τῇ χημικῇ, q̄ arcana plurima prodit. *Chimia quatenus reprehendenda.* Fateor: Sed nec reprehendi ego vnquam chimiam, quatenus τὸ δυνατὸν perſequitur, ſed laudo eā & celebro. Quatenus tranſmutationem viliorū metallorū in aurū argētumq; promittit, & ἀδύνατα tentat, hactenus eandem damno. Nec oportet me arbitror prius impoſſibilia conari facere, quam conantē bonis & veris argumentis deterream. Poſſumus enim ſcire de multis rebus, quod effici humanis virib. nequeant, licet ipſi nunquam facere aggreſſi fuerimus. Cur igitur non poſſum ſcire vtrum conceſſa hominibus ſit facultas, ſpecies rerum tranſmutandi. Ars aiunt, non habet hoſtem, niſi ignorantem. Hoc cum de veris & vtilibus artib. dicitur, probroſum eſt, cum de falſis, impiis, ſuperſtitioſis noxiis, laudem meretur, qui eas damnat & confutat, priuſquam didicerit. *Specificæ proprietates.* Ἰδιοσυγκρασίας, quæ in certis duntaxat indiuiduis reperiūtur, tertii cuiuſdā ordinis eſſe cum dicis, vix quid velis intelligo. Cum enim tales proprietates formæ εἰοειδῆ tribui nequeant, (quippe in omnibus ſpeciei indiuiduis inuenirētur, ſi ꝓpter formam ſubſtātialē ineſſent) cui alii rei ſeu materiæ qualitatib. acceptas feremus. Proprietates formæ εἰοειδοῦς vſum vix habere in medēdo cogitate ſcripſi, nec video, cur me pœnitere debeat. Ex hoc, inquis, ſequetur, fere nos ſola vſurpare, quæ formis ſuis orbata ſunt: Quo conceſſo alterutrū horum abſurdorū colligis, aut nullis formis medicamenta illa prædita eſſe, aut, quod eſſe creduntur, non eſſe reuera. Reſpōdeo: Prius nullo modo ſequi. An.n. quod hac certa forma priuatum eſt, omni forma ſpoliatum eſſe oportet: Alterum recte ſequi dicis, ſi modo recte intelligis. Etſi.n. Rhabarbarum nominatur radix arida, rhabarbarum tamen vere non eſt, ſed rhabarbari cadauer. *Cadauer rhabarbari.* Tum vere eſt rhabarbarum, cum terræ adhuc infixum, eius ad ſe ſuccum quo nutritur, & viuit, attrahit. quod tibi abſurdū videtur. An tu es oblitus opere & potentia talia omnia definiri. Ariſt, 4. Meteor. vltimo hæc habet: τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὐτῶν ἔργον ἀληθῶς ἐστιν ἕκαστα, οἷον ὁ ὀφθαλμὸς, εἰ ὁρᾷ· τὸ δὲ μὴ δυνάμενον ὁμωνύμως, οἷον τεθνεὼς, ἢ ὁ λίθινος. οὐδὲ γὰρ πρίων ὁ ξύλινος, ἀλλ᾽ ἢ ὡς εἰκών. Addam quæ 2. gen. ani. 1. ſcripſit: οὐ γὰρ ἐστὶ πρόσωπον μὴ ἔχον ψυχὴν, οὐδὲ σὰρξ, ἀλλὰ φθαρέντα ὁμωνύμως λεχθήσεται τὸ μὲν εἶναι πρόσωπον τὸ δὲ σὰρξ, ὥσπερ κἂν εἰ ἐγίγνετο ξύλινα ἢ λίθινα. Ab hac

ſententia non diſſentit Gal. Nam t. de Pla. Hipp. de Plat. 8. de Ariſt. loquẽs ait: Ipſe eſt, qui nos docuit, vt ad operationẽ & vſum vniuſcuiuſq; inſtrumenti, non ad fabricã deſpiciamus. Cum quę nã ſit eius eſſentia, ſcire volumus. Idẽ repetiuit in fine lib. 2. iã dicta repetens, ἐπ' αὐτὸ δ' ἐστὶ καὶ τὸ τ᾽ Ἀριστοτέλους λῆμμα, περὶ οὗ κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πρώτου βιβλίου διῆλθον. Addo hæc, vt quæ de 1. lib. Latine extant, genuina eſſe videas. Quod nã hoc eſt, λῆμμα: τῆς προσηκούσης κρίνεσθαι τὴν ἐν τοῖς ὀργανικοῖς ἐπιστήμην καὶ ταυτότητα ταῖς ἐνεργείαις, καὶ ταῖς χρείαις αὐτῶν. Si ergo non amplius nutrit ac viuit arida radix ὁμωνύμως Rhab. dici quis inficiabitur? Ac de virib. nouis, quæ vna cũ forma noua acceſſerũt idẽ quæremus? Fruſtra i[llegible] quæres.

Vis purgatrix materiæ, non formæ attribuenda.

Non. n. acceſſit vis purgandi a forma cadaueris, vt ſic nominẽ, ſed prius inerat vt in lib. de occultis pharmaci poteſtatibus oſtendi. Hinc inſolubili argumento probaui, purgatricem eius vim ad materiæ qualitates pertinere, non ad formam. Quæ namq; virtus in aliqua materia inhæret, quę multas diuerſas formas ſibi inuicẽ ſuccedẽtes recepit, nõ poteſt vllius eſſe ex his propria qualitas. Si. n. vnius eſſet, ea abolita, ipſa quoq; extincta fuiſſet. Video te non obſeruaſſe hæc, quę tamẽ v[illegible]ſcibi tractaui. Quæris, nũ in anima carentibus temperies formę vicẽ ſuppleat, Reſpondeo non ſupplere, ſi de forma ſubſtantiali intelligas. Quid vero in animatis, inquies, tẽperies: Cui an numeranda? Formæne? Ita duæ erunt formæ vnius rei ſimplicis, ſubſtãtialis vna, accidẽtalis altera. Ergo ne materiæ? Atqui de hac ratione eſt nõ agere ſed pati. hæc tua ſunt.

Temperies num loco forma.

In reb. materiatis ne[illegible] forma ponẽda.

Ego non tantũ non iudico abſurdum eſſe in reb. phyſicis ſeu materiatis duas formas ponere, ſubſtantialẽ vnã & accidentalẽ alteram, ſed neceſſariũ eſſe aio, nõ vnam tantũ, ſed plures accidentales ponere. Quippe formæ ὁμοειδεῖς Phyſicæ nihil aiunt ſine inſtrumẽto corporeo, & αὐτὸ τὸ ὄργανον. quia non ſunt actu efficaces, ſed potẽtia, reſpectu actus ſecũdi. Pro diuerſitate ergo tẽperamentorũ diuerſas edit forma ſubſtãtialis actiones. Idem hoc ipſe tu cũ affirmes his verbis (qualitates vero, ex quib. tẽperies cõſtat, omnes vno ore philoſophi fatentur, actionum eſſe cauſam proximam & per illas ſubſtãtias efficaces eſſe) nihil opus eſt, vt plura dicam.

Morbos ſubſtantiæ totius dari.

Poſthæc pro morborũ totius ſubſtantiæ aſſertione hoc affers argumentum: reperitur in compoſitis tertiũ quiddã pręter materiam & formã, ſcil. forma totius, in quo fortaſſe horum morborum autores ſedem ipſis cõſtituunt: Eſt autem forma hæc totius alia, non tamen ab ipſomet compoſito, ſed à forma partis, quæ vna cum materia cõpoſitum conſtituit. Compoſitũ ſit homo. Forma partis hic erit anima, cum corporis temperie totum conſtituens: ac totius forma, erit ipſa humanitas: Ad hæc ita reſpondeo: certũ eſt per materiam & formã tertiũ eſſe in toto naturali, ſeu in cõpoſito.

Refutatio per materiã & formam in compoſito dari tertiũ.

De ſubſtãtiis ſi loquamur, dubitabit nemo eorũ, qui principium lib. 2. de anima attẽte perlegerit & intellexerit. Manifeſte ibi diſtinguit cõpoſitum à materia, & forma. In compoſito, ſeu vno accidentali æque clarum eſt. Habes igitur me tibi cõſentientem hac quidem in parte. Cum deinde exemplo hominis declaras tuã ſententiam, quatuor videris res ponere, cõpoſitum, hominem, animam ſeu formam partis. Tertiũ materiam congruẽter temperatam. Poſtremo formã totius, nempe humanitatem. Quęro primũ quid differat ab homine humanitas? Deinde cur à cõpoſito nimirum homine, tanquam partẽ quartam ponas, cũ Ariſt. tria tantum in ſubſtantia tali agnoſcat? Materia. n. cuiuſq; rei propria προσεχής, & vltima non poteſt ſine peculiari temperatione materiæ nomen retinere. Haud dices, puto, quartum hoc, materiam cum forma vnire, atq; vnitis iam idem ipſi cõpoſito ſuperuenire, tanquã vltima & perfecta forma. Quippe, quod ex materia & forma coaluit, σύνολον & συνειλημμένον & τόδε τι Græci vocant, Latini barbari ſuppoſitum, aliquando indiuiduum & ſubſiſtens nominant. nec alio aliquo egere putant: Sunt enim hoc modo compoſita primæ ſubſtantiæ ſeipſis ſubſiſtẽtes. Huc Ariſt. verba pertinent 2. De anima 1. διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα οὐδ᾽ ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην, καὶ τὸ οὗ ἡ ὕλη. Nulla ergo natura ſeu ſubſtantia in homine præter materiam, formam, & compoſitum, quod eſt homo. Quid ergo inquies, de humanitate dicemus? Num ab homine non differt? Differt certe, ſed nõ tanquam natura, ſeu ſubſtantia, quædam quarta: ſic ergo differũt, vt caro & τὸ εἶναι hominis, h. e. perfecta hominis definitio ab omni concretione materię, & patibilitatis ſecreta in mente noſtra conſiſtens.

Humanitas ab homine differt.

Homo. n. mortalis & patibilis eſt, nõ humanitas, quæ eſt intellectus noſtri νόημα, omnis materiæ contagionis & mutabilitatis expers, ac velut idea quædam hominis. In ipſo autem homine non eſt ab homine alia natura diſtincta, per quam homo vel agat, vel patiatur aliquid aliud, quam agere ac pati poſſit, quatenus homo eſt: Sed ponamus reipſa aliud eſſe aliquid ab homine, formam ſcilicet totius, vt appellas: Quid hinc cõcludes? Morbos, ais, totius ſubſtãtiæ videẽ horũ inuẽtores in hac natura poſuiſſe. Quæro igitur, vtrũ natura hæc quarta, ſubſtãtia ſit an accidẽs: Si accidẽs ſtatuatur, vel erit totũ ſecũdũ ipſũ per ſe alterabile, vel nõ: Si

Si prius detur, nõ fuerit forma ſeu terminus generationis, ſed indefinita qualitas, nempe patibilis, quod eſt abſurdiſſimũ. Si ſecundum ipſum mutabile corpus eſſe negetur, non poterit morbos ſuſcipere, niſi qualitatib. mutatis ipſum quoq; mutetur. Redibimus igitur ad principium: ſed fruſtra hic hæreo, cũ fieri non poteſt vt ſubſtantiæ forma ſit accidens. Quod ſi ergo ſubſtantia eſt, nihil habet contrarium. Ergo καθ' αὑτὸ animæ inſtar nihil patitur: Nullum ergo per ſe morborum eſt ſubiectum. Corpus ergo primo læditur, quod tu quoq; concedis. Ergo morb. quilibet primo & per ſe corporis affectus eſt. Secundo & per accidens vel animæ, vel humanitatis, quatenus ſcilicet cũ corpore ita male affecto amplius conſiſtere, ipſumq; informare nõ poſſunt. Id ẽ nos dicimus. Nihil igitur inter nos relinquitur cõtrouerſum. Imo vero plurimũ ais: Quoniam peſtilentes & cõtagio venenato inficientes humores aut vapores, etſi in corpus primũ inuadunt, non tamen ſecundũ ſimplicem duntaxat temperiẽ, ſed ita, vt totum deſtruat: Concedo hęc omnia, ſed quid eis efficias, nondũ certo video. Peſtilentes humores vel corporis temperiem lędũt, vel vnitatem, vel inſtrumentorum cõformationem. Niſi horum aliquid lædãt, morbos nullos creabunt. ſed de 1. genere, intẽperie ſcilicet (reliqua duo morborũ genera huc nõ pertinent) agamus. An poſſit corporis natura deſtrui temperamento integro remanente? Tu affirmabis, ſi propoſitum tueri voles, ego negabo. Vt forma aliqua ſit à materia, neceſſariũ eſt, vt materia perfectã habeat δύναμιν, ſeu perfecte ſit diſpoſita. Non enim forma quælibet in ſubiecto ceu materia qualibet, ſeu in propria tantum riteq; diſpoſita in eſt, niſi cœlum terræ miſcere velimus, & humanã animam in materia aſini, fabæ, milii, in habitare poſſe opinemur? Quę vero eſt iſta diſpoſitio materiæ alia, quam conueniens tẽperamentum? Hoc dum adeſt, cõgruenter, dum abeſt incongruenter diſpoſita eſt, & dicitur materia. At impoſibile eſt materiã perfecte diſpoſitam, non informari à forma, pro qua ſuſcipienda & retinẽda apte, ſufficiẽter prępararata eſt. Neq; ſuam etiã deſerere materiam forma vlla poteſt, quantiſper pro eius permanſione recte tẽperata eſt materia. Ergo cum ſubſtantiis, & formis per ſe, & primo nihil ſit cõtrarium, & actio omnis fiat à contrario, à nullis morbis primo & per ſe lædi, vel deſtrui poſſunt. Quare temperationem primo corrumpunt neceſſario, quæ corpus deſtruunt: ſed nec tẽperationi quando conſideratur vt habitus, ſeu motionis terminus, aliquid per ſe & primo contrariũ eſt. Corpora enim ratione habituum quieſcunt, non mouentur, aut mobilia ſunt, vt demõſtratur 7. Phyſi. 3. Tũc igitur ſolum mutatur corpus, quando qualitates patibiles primæ ſcilicet mouentur, ſeu patiuntur. Quocirca corporis tẽperationem per ſe ſola illa corrumpunt, quæ calefacere, frigefacere poſſunt: peſtilentes igitur humores aut halitus, niſi diuideodo continuũ corpus deſtruant, calefaciendo aut frigefaciẽdo corrumpunt. Quod. n. primo & per ſe non inuehunt morbos inſtrumentales, confeſſũ eſſe arbitror. Aliter enim temperamentũ labefactare per ſe nequeunt. At hoc integro perdurante corpus interire aut diſſolui non poſſe, certum eſt. Fruſtra igitur in quarta illa natura, ſi ponatur. ſubſtantię aliquid eſſe, fingũtur morbi primo inhærere. Hic non incõmode repetiuero, quod antea dixi, formas ſubſtantiales phyſicas abſq; inſtrumẽto corporeo nihil agere. Eſt ergo proxima actiunis cauſa organũ, ſeu pars corporea. Quare vel morb. non per ſe primo ſeu proxime lædit actiones, vel eſt huius partis ſeu inſtrumenti proprius affectus. Quod ſi organi propria eſt diſpoſitio, nõ poterit proprius formæ affect⁹ cenſeri. Quid igitur profit cõmentum de totius forma, ſi quam maxime verum eſſet: Nõ enim humanitas, ſed homo morbis affi[citur,] nec patitur à morbis anima, ſed corpus. Patet igitur fruſtra huiuſmodi fingi ad ſtabiliẽdos morbos ſubſtantiæ totius, quos natura prorſus neſcit cum tota vetuſtate. Eſt enim recens figmentum, à Fernelio primũ, vt arbitror, excogitatum. Videtur autem è chimia pullulare primum cœpiſſe.

Morb. corporis affectus per ſe, per accidens animæ ſeu humanitatis.

Natura corporis non deſtruatur illæſa temperie.

Proxima actionũ cauſa organum.

Morbi totius ſubſtantiæ è chimia pullularunt.

Quod vltimo loco quæris nequaquã facile eſt explicatu. Multos. n. torſit quæſtio hæc Medicos, dum alii mediũ inter ſanitatem & morbum dari conceſſerunt, alii cũ Ariſtotele negarunt, vt ſe facilius extricarent pleriq; dari dixerunt, ſi ſenſus arbitri ponantur, non dari, ſi rationi iudiciũ permittatur. Quod vt in hac ſola quæſtione tolerari poſſit, non tamen tuæ interrogationi ſatisfacit, qui generaliter quæris, Cur cõtrariorũ alia ἄμεσα, alia ἔμμεσα ſtatuantur. Eadem quęſtio mota olim & ab aliis fuit: Mouit eos hæc potiſſiũ ratio, quod viderent ab extremo vno ad alterũ trãſitum fieri non poſſe, niſi per medium eatur: Ergo, inquiunt, cum motus omnis ex cõtrario fiat in cõtrariũ, qui poterit inter aliquam contrarietãtem mediũ negari: Omnia igitur ſunt ἄμεσα. Tua ratio, etſi cum hac coincidit, tamen alia eſt. Sic enim colligis, Contraria ſunt τὰ περὶ ταὐτὸ ἀντιφέρεται. quæ cum ſint ſub eodem genere extreme ſibi oppoſita medium habeant neceſſe eſt, ſiue nomen habeat, ſiue ὁμώνυμον ſit. Diſtinguunt alii medium in id quod tranſitus vocant. & id quod

An medium inter morbũ & ſanitatem.

Contrariorũ cur alia ἄμεσα alia ἔμμεσα.

Medium tranſitus.

formæ nominant. Illud eſſe dicunt, quod magis & minus infinita ſerie recipiatur, vt eſt mediũ inter calidum & frigidum. Hoc eſſe affirmant, quod certam ſpeciem vnã vel plures habet interiectas, vt inter album & nigrũ, interponuntur rubrum, pallidum, liuidum, cæruleum. Hæc ſpecies non ſecundũ magis & minus tantũ differunt, ſicut maior vel minor caliditas, ſed definitę ſunt ſpecies: Huius generis contraria non habent mediũ tranſitus, inquiunt: Non enim neceſſarium eſt, vt quãdo nigrum album fit, per omnes ſpecies tranſeat: Alterius generis ἄμεσα vocari aiunt, quod definito medio careant: quæ cũ dimidium tantum quæſtionis ſoluant, & non recte tamen ſoluant, pro nulla reſpõſione interim optimo habebimus. Aliter igitur explicabimus: Contrariorum, quæ accidentia ſunt, (ſunt enim & ſubſtantiarum differentiæ, per quas genera diuiduntur, contrariæ, & quod eiuſmodi contraria ſint ἄμεσα, caret omni cõtrouerſia, vt arbitror) duo ſunt modi, ſeu genera, quoniam corpus ſubiectum propter aliqua eſt per ſe mobile ſeu mutabile, propter aliqua quieſcit. Et quæ extrema ſunt, vel fines motionum, id eſt, ſecũdum quæ corpus mutatur, ſed à motu quieſcit, magis & minus reſpuunt, nec motui obnoxia per ſe ſunt. Ad hoc genus pertinẽt omnes habitus, relationes & figuræ. ad ea quorum cauſa ſubiectum eſt mobile magis & minus recipiunt & ob id ἔμμεσα ſunt & dicũtur, ſicut altera propter cauſam contrariã ἄμεσα noſcuntur: Quo modo enim fieri poteſt, & quæ magis & minus non recipiunt, hæc & dimidio ſunt talia vel talia? Non recipere autem habitus & terminos motuum magis & minus, & per ſe notum eſt, & 7. Phyſ. 3. demonſtratur. Non enim habitus cauſa fieri aut perfici, ſed facta vel perfecta res quæuis dicitur. Sanitas igitur & morbus contraria ſunt ἄμεσα cum ſecundum hos habitus non moueatur ſed motum fit: Terminant enim motum. At calidum & frigidum contraria ſunt ἔμμεσα, quia ſecundum ipſa mouetur corpus, non autem motũ eſt: Recipiunt hæc magis & minus, cum calidum poſſit fieri minus calidum, & ſimiliter frigidum. Quare poterit idem medio modo habere. In talibus medium eſt cum extremis ὁμογενὲς, & conſiſtit in qualitatibus patibilib. ſecundum quas corpus primo & per ſe eſt alterabile. In habitibus contrariis medium eſt ἑτερογενὲς, quod omnes intelligunt, qui inter motum & formã per eam acquiſitam diſtinguere norunt: Nullum enim genus idem eſt motus & habitus per eundem acquiſiti. Nec poſſunt extremi habitus componi aut miſceri, vt ex illis medium quiddam generetur vtriuſque extremi particeps. In his igitur medium tranſitus genere differt ab extremis, & proinde mediũ ὁμογενὲς non eſt: Quare non eſt neceſſarium, vt quando contrarium permutatur in contrariũ tranſitus perpetuo fiat per medium eiuſdem generis. Ita prior ſoluitur ratio. De tua non eſt cur multa dicam. Contraria, inquis, ſunt πρός τι. ſcio; ſed & hoc alterum ſcio. Ariſtotelem negare omnibus in genere relationis contentis accidere medium. Nec contraria ſunt omnia nec recipiunt magis & minus relationes, vt in prędicamentis & loco ſupra citato docuit Philoſophus. Non ergo ſequitur. Contraria referuntur, ergo habent medium, cum ſint extrema quædam. Hoc enim ſolis illis accidit, quæ magis & minus recipiunt. Contrarium ſufficit contrario ſuo contrarium eſſe, non oportet medio contrarium eſſe. Satis de hac re dictum, ſi Medicos inter ſanitatem & morbum medium ponentes duobus verbis excuſanero. Medici artifices ſunt, & ob id circa ſingularia verſantur, qui cum certam in materiam introducere formam velint, neceſſario materiæ nobilitatem, ſeu habilitatem præcipue conſiderant: Hæc habilitas corporum cum gradus ſiue magis & minus ſuſcipiat (eſt enim per ſe indefinita) qui ſine habitibus definiri non poſſunt, morbũ & ſanitatem non contemplantur, vt formas à materia ſecretas, aut motionum fines conſiderant eas, quatenus in materia inhærent, & cum habilitate iunctæ ſunt: Per accidens igitur recipiunt magis & minus, itaque medium habere dicuntur, quatenus ſcilicet in corpore inſunt, quod ſanitatis habitu amplius perfici, aut habitu morbi grauius lædi poteſt. Non neſciunt alias corpus noſtrum non perfici, quatenus perfectum iam eſt, ſed quatenus perfici amplius poteſt. At habitus ratione res nulla perfici poteſt, ſed perfecta iam eſt: non igitur habitus ratione mouetur res vlla. Inter habitus ergo contrarios medium ſeu gradus nulli ſunt: Quoniam vero accidit habitui, vt ſubiectum habile ſit amplius perfici eatenus habitibus gradus, qui eis tamen accidunt, aſſcribunt artifices, qui haſce res tanta accuratione minime diſtinguunt. Si non clare ſatis expoſui, admoneto me, & ſi potero, dilucidius & fuſius declarabo. Vale. Dab. circa initium Ianuarii anni huius 79. quem tibi tuiſque omnibus quam feliciſſimum ex toto corde precor. Saluta dominum Doctorem Iohann. Hermannum, & ſi quid Pandora illa recens fabricata agat noſti, de eo me certiorem facito.

Medium forma.

Accidentiũ contrariorũ ἄμεσα. & ἔμμεσα.

Sanitas & morbus ἄμεσα.

Calidum & frigidum. ἔμμεσα.

Neutrum corpus Medicorum excuſatur.

Epiſt. 273. *Idem eidem,*

Literas tuas poſtremas, vir ornatiſſime, ante menſes fere duos accepi, ſed ad eas nondum reſpondi, partim negotiis impeditus, partim tabellariorum inopia prohibitus. Abſui enim per menſem in thermis. quem ad locũ nullus venit: Iam igitur reſpondebo. Chemiam me non ſimpliciter damnare, ſed magnis laudibus tollere, ſi vtilia & quæ fieri poſſunt, conetur facere, ſatis intellexiſti.

Idioſyncraſias non extra temperam. latitudin.

Id ἰδιοσυγκρασίας à peculiari temperamento prouenire, itidem perſpexiſti. Itaque hoc ſolum addam. non eſſe temperamenta hæc extra humanæ temperationis latitudinem poſita. Plane ſunt infinita hæc indiuiduorum temperamenta, vnde fit, vt tanta ſit ingeniorum, naturarũ & morum diuerſitas. Singuli enim fere aliquid proprii habent, ac raro fit, vt duo aliqui eiſdem reb. delectentur, quippe quib. alius gaudet, alius auerſatur. Verum nos illas notare duntaxat ſolemus, quæ in frequẽtius accidunt, & à communi natura plurimũ receſſerunt.

Res opere & potentia definienda.

A philoſophorum ſententia me diſceſſionem facere, & ad medicos tranſire non bene opinaris, quando res quaslibet opere & potentia definiendas eſſe ſcripſi. An non enim teſtimoniis apertis Ariſtotelis hoc ipſum eum probaui? Quę ſi non ſatis clara videntur tibi, lege principium in lib. Oeconomi. vbi hæc verba reperies: οὗ γὰρ ἐργασία ἐστὶ καὶ γένεσις, καὶ ἡ χρεία αὐτοῦ αὐτὴ τυγχάνει οὖσα. Primo item Polit. 2. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει, ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ᾽ ὁμώνυμα. Pertinent huc etiam quæ in 2. de cœlo & mund. oe. 3. ſcripſit: ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἐστιν ἔργον ἕνεκα τοῦ ἔργου.

Homonymia Rhabarbari.

Euidenter, vt arbitror, probaui cum Ariſtotele me locutum, quando tibi reſpondens ſcripſi, Rhabarbarũ in officinis nõ eſſe veram Rhabarbarum, quia opus, cuius cauſa à natura factum eſt, facere amplius nõ poſſit, ſed Rhabarbari veri cadauer: Equidẽ ſicca radix, quæ vitæ operationes exercere nequit, nõ magis eſt verum Rhabarbarum, quam manus hominis amputata manus eſt. Quippe ὁμωνύμως manus aut Rhabarbarũ dicuntur, quia nõ poſſunt id cuius cauſa facta ſunt, præſtare. Equidem perfectionem ac finẽ amiſerunt, quæ poteſtatẽ operandi perdiderunt: Hoc autem nihil aliud eſt, quam natura ſua & eſſentia ſpoliatũ eſſe. Quod præclare Ariſtoteles loco ſupra ex primo Politicorũ citato his verbis declarat: ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου ὥσπερ ἀνθρώπου ἵππου. &c. ſed qd opus eſt probatione in re manifeſta? Oculũ qui cernẽdi vi orbatus eſt, vere & perfecte oculum eſſe nullus credit. Nomine quidem oculi nominatur, at reipſa oculi cadauer eſt, licet nutriatur & viuat. Non enim ob id oculus dicitur, quia viuit (perfectio oculi non eſt viuere, ſed inſuper videre, tunc generationis finẽ attigit, cum virtute aſpiciendi præditus eſt) ſed quia videt, aut videre poteſt. Quare ſi τὸ οὖ ἕνεκα καὶ τὸ τέλος oculi eſt poteſtas videndi, per hanc merito definitur. Hæc enim eius eſt finis, perfectio, eſſentia, & natura. Eadẽ eſt omnium aliarum rerum conditio, quæcunq; certi operis cauſa conditę ſunt. Nec effectib. ſed formis definiuntur, quæ iam dicto modo definiuntur, nempe id agendi, cuius gratia à natura producta ſunt. Qui opere vel operationib. in definitionib. vtuntur ex eis potentiam, quæ earum cauſa eſt, intelligunt. Cum nomen notũ eſt, id ponimus: cum ignotum eſt, aut proprio nomine caret, formam ſæpe cuius facultas eſt, pro eo ponimus. Cũ eiuſdem formę plures ſint poteſtates, atq; vnam ab aliis diſtinctã volumus, vt poſſumus, deſcribimus. In qua ſententia cum Galenũ etiam fuiſſe demõſtrauerim, nõ facio à Philoſophis diſceſſionẽ ad medicos. Sed ambobus conſentientia dico. Abſurde, inquis, deinde formæ duæ ſubſtantiales in eadem reponũtur. Idem ego quoq; & dico & ſentio. Addã hoc loco ne longior hinc nobis diſputatio oriatur: formam vltimam ſeu perfectionẽ vltimam eſſe vnicam in re qualibet, quæ reliquas, quæ pro formis habentur nonnullis, ſub, aut in ſe contineat: At Galenus temperamentum putauit animam eſſe & præter hæc ineſt anima. Itaque duæ inſunt animæ. Non ſtatim verum eſt, quod Galenus dixit: Temperamentum dicimus cum Ariſtotele (qui hac in re conſentit, cũ veritate diuinitus nobis patefacta) accidens eſſe, non ſubſtãtiam. Quod cum dubitatione careat, nulla cauſa eſt, vt quæram, vtrum metalla animata ſint, propterea quod ſunt tẽperamento ſuo quælibet prædita. Vtrum autem creſcant, & vere augeantur, non conſtat liquido, vt affirmas, imo res longe aliter habet. Non enim aliter quam per additamenta partium augentur. Nec probant venæ tuæ quicquam. ſed ſi quę in gemmis tales apparẽt, vitio eis datur, alienique aliquid interueniſſe ſignificant. Quas in nobilioribus metallis venas vocãt, venæ nõ ſunt, ſed vel meatus terræ, vel tractus, in quibus apta continetur materia, ex qua generari poſſit, ſi genitum non ſit metallũ, &c. Humanitas, vt genus, ſpecies, prędicabile, eſt νόημα intellectus, quib. res extra mentem nulla reſpondet. Vniuerſale, inquit, Ariſtoteles, vel nihil eſt, vel poſt res eſt, poſtquã ſcilicet animo à reb. abſtraxerimus. Talia autem non agunt, aut patiuntur. Nec ob id inane cõmentum. Seruit. n. cognitioni noſtræ plurimum dum quæ natura in multis vna eſt & a ſingulis eſt inſeparabilis, & nec agit, ne patit᷑ in ſingulis, vt vniuerſalis, ſed vt eſt res ſingularis, ita quoque agit) quod ne tu quidem ignoras;

Forma vnica & perfectio vltima in re quabet tantum

Metalla nõ vegetabilia.

Venæ in gemmis vitio dantur

Venæ in metallis non venæ.

Vniuerſalis ſeu Idea.

Humanitas igitur eſt homo ſeu hominis natura in mente per modum ideæ cõſiderata: Atque ideas quoq; partem ſubſtantiæ non eſſe rerum, quarum ſunt ſpecis, certum eſt apud omnes. Qui poſſet igitur hac forma extra res ſiue in animis duntaxat noſtris inhærens morbis totius ſubſtantię nobis parere? Non etiam ſic eſt in mente hominis humanitas, vt ei homo reſpondeat extra ſubſiſtens, ſed quæ in homine eſt ſingularis, in mente eſt vniuerſalis.

Morbi totius ſubſtantiæ.

· Quid in mentem venerit noui morbi inuentoribus neſcio. Hoc interim probe ſcio, morbos omnes (de corporeis loquor) accidere primo corpori, non animæ ſeu formæ: Item, quod morbi omnes neceſſario (cum lædant actionem primo) in illis reb. inſint, ſiue illis noceant, quib. primo operationes anima efficit. Si enim in re aliqua affectus aliquis ſit, qui nihil iſtorum lædit, dum hoc facit, morbus nõ erit nominandus. Ergo cum præter tria non poſſunt oſtendi, à quib. primo eduntur operationes, quid eſt opus alia quærere? Hoc ais quæritur potiſſimũ: quod primo lædatur. Non enim inficiari quenquã quin temperamentum ſimul lædatur. Quæro ego rurſus, an actio lædi poſſit, antequam temperamentum vitiauerit. Si poteſt, non erit temperamentum primum inſtrumentũ animæ, & cæcutierunt in re tanta omnium ſeculorum Philoſophi & Medici. Cum temperamentum oblædi aſſerimus, non de ſola partium ſolidiorum tempetie loquimur. ſed etiam ſpirituum. & volumus intelligi de tẽperie actu, quæ conſtat ex calore tũ implantato, tum influente. Falleris cum putas ipſos quoque autores confeſſuros ſimul cum tota ſubſtantia temperamentum neceſſario deſtrui. Contrarium affirmant & ſcribunt, aliquando morbum totius ſubſtantię actiones lædere, temperamento nulla in parte adhuc offenſo. Spiritui & calori cum nocumẽtum afferri aiunt, bene dicunt. at temperamentũ tunc non lædi non oſtendunt: Cum vero animam primo offendi aiunt, quid dicant, neſciunt. Ego etiam ſic nunquam ſum argumentatus. In ſubſtantię totius morbis neceſſe eſt temperamentum deſtrui. Ergo temperamentum per ſe & primo læditur: ſic ego colligo. Si actio à temperamento proueniens, vel ſi actio nulla læditur à morbo niſi tẽperamentum aut fabrica, aut cõtinuitas partis vitiata ſit, certum eſt ab his primo actiones produci, & in his omnes morbos ineſſe, neq; pro morbo cenſeri poſſe affectum, qui harum nihil lædit. Cum in accidentib. ſuffuſioni ſimilib. vitio ventriculi ortis ſcribis, affectionem eam oculorum non proprie dici morbũ, neq; ab ea oculos primo lædi, rurſus falleris. Vt de primo nihil dicã, quomodo dicis tu affectũ oculi primo nõ lędere oculos? Quo in loco prius eſt diſpoſitio illa oculi, quã in ipſo oculo? Verũ eſt, quod cauſa affectionis in ventriculo prius colligitur, & inde in cerebrum oculoſq; aſcendit. Quo cum peruenit, oculum lædit, quæ læſio alibi prius nõ fuit: Solet hic vapor aliquando prius mordere eos ventriculi: Conſentire tum oculi ſolent. at non eodem ipſi poſterius morbo laborare ſolent, quo ventriculus. Vt enim ventriculi, viſio lædi non poteſt, ita nec oculi concoctio ea, quæ panem, vinum, carnes, vertit in chylum, &c.

Temperamenti læſio.

Morbi per conſenſum.

De cõtrariis mediis, & medio carentib. nõ reprehenderem tuam explicationem, ſi medium illud ſubiectũ poſſet inueniri. Cum inquiebas, Natura non poſſet de vno extremo tranſire ad alterũ, niſi prius tranſeat ad mediũ, videtur, nulla dari medio carentia contraria. Mors & vita nõ ſunt cõtraria proprie dicta, ſed priuatio & forma, ſeu priuatiue opposita. Nos de proprie ſic vocatis diſſerebamus. Ita ſimul ad alterã obiectionem reſpõſum habes Quoniam neq; formas cõtrarias inter ſe dicimus, qui non ſunt accidentia, & nihilominus differentias, quib. genera diuiduntur, contrarias eſſe fatemur, at non proprie. Cõtraria naturalia, quæ proprie ita vocantur, hæc ſe de vno ſubiecto inuicem, pellunt, in eoq; ſibi ſuccedunt, quod ſubſtãtiales differentiæ nullę facere poſſunt. Quomodo & cur aliqua extrema oppoſita medio careant, ſatis ſupra expoſui, quia ſcilicet talia ſunt habitus, termini, fines, diſpoſitiones, quæ magis & minus non recipiunt. Recte ſcribis, me de cõtrariis habitib. vt ſanitate & morbo diſputare, te vero de habitu & priuatione diſſerere, vt vita & morte. De his quia vere proprie cõtraria non ſunt, non eadem dici poſſunt, quæ contrariis recte cõpetunt. Vale feliciſſime vir Ornatiſſime & doctiſſime. Dat. 4. ſeptemb. an. 1579. *Poſt ſcriptum;*

Medium contrariorum.

Mors & vita non cõtraria ſed priuatiue oppoſita.

Subſtantiales differẽtiæ improprie contraria.

Quia propere nimis ſcripſi, veritus ſum ne non commode legeres. Itaq; puero dedi, vt tranſcribat, & qui fortaſſe non potero relegere, libet interim te eius admonere, dum ipſe exſcribit: Rogo te quanto poſſum ſtudio vt D. Iacobo fratri tuo ex me ſalutem quam officioſiſſime dicas: Scribere ei decreuerã, ſed præter opinionẽ obrutus ſum negotiis, vt iam non licuerit. Accedit quod nihil habui, quod præcipue ſcriberem. Quod ſi tale quid fuiſſet, certe ſomnum non cepiſſem, priuſquã ei ſcripſiſſem. Hoc ſciat me ipſum in pectore meo gerere ſemper, propter pręclaram pietatem, aliaſque animi præſtantes virtutes, propter quas ab omnibus bonis & prudentib. eum diligi & amari ſentio. Scribam

bam ei aliquando aliquid, quod ei gratũ fore putem. ſtudio nuptias eum meditari, quã rem ei Dominus Ieſus æterni Patris æternus filius, verus & vnicus cũ patre & ſpiritu ſancto Deus, & Dominus & ſeruator noſter vt bene vertat, ſerio precor & precabor. Die 9. ſept. 79.

Epiſtola 274.

Idem eidem;

QVIA heri veſperi præter opinionem rediit Baſilea veſter tabellarius, tempore quo tum propter diſputationẽ, & lectionem, tum alias occupationes plurimum ſui diſtractus, nõ mihi, licet maxime volenti, plura licuit. Velim ſcire num & tu meas acceperis, & generoſo D. Dudithio ſuæ redditæ ſint. Ei meis verbis plurimã (vna cum fratre tuo domino Iacobo, quem propter egregiam pietatem in oculis & corde fero) ſalutẽ dicas te etiam atq; etiam oro. Refer præterea Pernã iterum impreſſurum eius iudicium de cometis, eiq; adiunctutum meum nonnihil auctũ & correctum monitu tuo, & Squarcilupi diſputationem, vna cum reſponſione mea. Aliud iam addere non poſſum. Mitto tibi, domino Dudithio, & f[illegible] tuo, ſi his reb. forte delectatur, exemplũ [illegible]utationis de humorum nutritione, quæ vox per negligentiã in titulo eſt poſita, cum in actiua ſignificatione poſita ſit, & in paſſiua magis vſurpetur. Præterea in theſi 31. nihil quidem dixi falſi, ſed non probaui, quod debui. Sola verba ex Galeno citata ad rem faciũt. Quid dicam aliud, quam me dormiuiſſe? Non animaduerti, niſi cum iam excuſæ eſſent. Probatio magis cõtinetur in 32. Hęc vos monere placuit, ne putetis me pudere erratorũ meorum. Vale feliciter, & me ama. Dat. 16. Nouemb. an. 1579.

Iudicium Dudithii de Cometis.

Errata in theſibus.

Epiſtola 275.

Idem eidem;

LITERAS tuas, vir clariſſime, à te iſtic 17. Decem. ſcriptas, hic mihi reddidit tabellarius veſter, ante dies plus minus 14. Reſpõſum quia exſpectas, breuiter ſic habeto. Dixi omnia illa, quæ certi vſus gratia à natura producta ſunt, potẽtia & operatione eius vſus definiri: quod apertis Ariſtot. & Galeni teſtimoniis probaui. (licet opus non ſit probatione apud illos, qui rem ipſam æſtimant) & tu verum eſſe non inficiaris. Hoc dubitas, qualenam opus qualemq; potẽtiam intelligam? Reſpondeo, illã me intelligere potentiam, & operationẽ, cuius cauſa facta eſt res quęlibet. Patet hoc ex ſententia, quam ex 1. Politic. citaui, quæ ſic habet: ἡ δὲ φύσις τέλ(ος) οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου, οἰκίας. Cum ergo quodnam opus intelligam, quæris, vitalene, an temperamentale? Reſpondeo, ſi perfecta eſt radix Rhabarbari, cum bilem ſubducere poteſt, ſine vita, hanc potẽtiam eius dico eam eſſe, quam ipſam definiri oportet. Sin autem perfecta prius non eſt, quam vitæ opera exerceat, ſibiq; ſimile generare, & nutriri poſſit, vitæ operatione ac potentia definiẽdam aio. Hic tu me putas mecum pugnare, quia præcipuum opus Rhabarbari videatur eſſe humoris bilioſi expurgatio. Falleris, ſi hanc vim putas eſſe Rhabarbari (quoad eſt ſui generis planta) extremam perfectionem. Sic tu formam & operationẽ tritici, animalium omnium facies virtutem alendi. At nõ alunt hæc, ſicut nec Rhabarbarum purgat, priusquã forma ſua orbata ſunt. Non ſequitur, animalia propter id facta ſunt à Deo, vt homini in cibum veniant, ergo hic vſus eſt naturę ea pruducentis finis. Perfectio & finis animalis cuiuſq; quoad tale eſt animal, & per ſe conſideratur, non comparatione vſus, quẽ aliis exhibet, eſt ipſa eius forma ſeu potentia, per quam illud agere poteſt, quod pro natura ſua agere debet. Et hic finis dicitur ab Ariſtotele finis οὗ ſeu cuius. Cum deinde quatenus vſum certum aliis præſtat, conſideratur, finis talis vocatur ab eodem finis ᾧ ſeu Cui. Si hos fines apte diſtinxeris, facile te explicabis ex hac difficultate. Rhabarbari finis naturalis cuius, eſt ipſa eius ſubſtantialis perfectio ſeu forma. Finis cui, eſt purgatio, ſicut animalis, quod alit, finis cuius eſt, ſua cuiuſq; perfectio, finis cui eſt, vt alat hominem. Non poteſt autem tum hoc alere, tum illud purgare, niſi vita ſua ſpolientur. Vnde recte dixi, non Rhabarbarum, ſed huius cadauer purgare. Quod ſi vſum hunc nobis præſtaret vitæ operatione, quomodo equi nobis viuentes, non mortui, vtiles ſunt ad equitationẽ, alia nonnihil eſſet ratio. Quæris amplius, cur mortuus homo dicatur ὁμωνύμως homo, Rhabarbarum autẽ tum demũ vere vocetur Rhabarbarũ, cum vita priuatũ eſt? Nego tibi vel bouem mortuum, cuius carnibus veſcimur, vel Rhabarbarũ anima ſeu vita deſtitutum, proprie vocari bouem, aut Rhabarbarũ, cum nec ille bouis, neq; hoc Rhabarbari potentiam & operationem retineat, licet illius cadauer nos alat, huius nos purget. Diuerſitatis ratio eſt, quod hominis finis vterq; conſiſtit in eius vita, vitæq; operationibus. Rhabarbari autẽ finis cui, non in his, ſed in huius cadaueris vſu conſiſtet. Bos quatenus arat, ſi mortuus ſit, ὁμωνύμως dicitur bos: at quatenus nos alit, nõ dicitur bos, ſed potius cadauer, ſicut alimẽti vſum pręſtare nõ poteſt, quatenus bos vere eſt. Sũma eſt, Quæ mortua vtilitatẽ nullam nobis adferũt, ea non admodũ ſolemus eiſdẽ nominib. efferre, viuentia & mortua, ſed vel alio nomine appellamus, vel ad-

Naturalia definiuntur à potentia & opere.

Frumentũ non alunt, niſi orbata vita.

Perfectio animalis in quo.

Finis duplex

Cuius.

Cui.

Rhabarb. fin. cuius.

Cui.

Quæſtio.

dimus mortuum, vt equus, vel homo mortuus. Quæ autem mortua egregiam vtilitatem exhibent, frequenter eodem nomine donamus, viuentia & mortua. In plantis, hoc eſt vſitatiſſimum, itemque in alimentis. Dicimus enim nos edere gallinas, turdos, piſces, non autem horum cadauera. Tunc enim cadauera fere vocamus, cum non amplius edi poſſunt. Quod aliam eſſe totorum aliam rurſus partium rationem, vt oculi & manus, omni caret ratione. An enim mortuus homo, equus, bos, arbor, &c. minus dicetur ὁμωνύμως homo, equus, bos, arbor, quam mortua manus, pes, oculus, ramus? Ariſtotel. verba non legiſti, 9. de anima 1. cum ſic ait: εἰ γὰρ ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ζῶον, ψυχὴ ἂν αὐτῷ ἦν ἡ ὄψις.

De metallorum vita.

Quæ de metallorum vita diſputas, indigna certe ſunt, de quibus verba inter nos tot commutemus. Nulla gens, nulla lingua, nulli docti, ne ſacræ quidem literæ vitam eis adſcribunt, qualis ineſt animalib. vel plantis. Cũ eis analogum cordi tribuis, non animaduertiſſe videris, ea ſic frequenter cum ſua gleba permiſta naſci, vt oculis ſeparari nequeant. In iſtis minutioribus particulis, quam ſint pulices: quid tu corculi fingis? ſi quæ in ipſis eſt facultas, vis aut forma, tibi animam appellare aut vitam lubet, te aut falſum credere, aut nimis audacter nominib. abuti noris. Ad me quod attinet, nõ facile porro ad hæc tibi reſpondere; cum nec vtilitatis, nec probabilitatis aliquid habeat ea diſputatio. Qui per additamenta concreſcere negat matrices eorum, (vt vocant) paucas aut negligenter inſpexit. De humanitate quoque plura non addam.

Idea.

ſi quæ res eſt, quæ conceptui huic extra intellectum reſpondeat alio modõ, quam nuper ſcripſi, etiam animalitas, & leonitas & plantitas, &c. exſtare perhibebitur.

θεῖον in morbis.

Quid θεῖον in morbis ſignificet Hippocrati, expoſitum à me eſt alibi, & à Galeno ſatis fuit declaratum. Vocat ita temperiem aeris peculiari & latente modo corpora lædentem. Hanc ſi à temperie morbida nota ſeiungere ac diſcernere libet, modo certum & nobis non incognitum gradum intemperiei fatearis, nominare tibi vt libet poteſtatem concedimus: at ab autoribus horum morborum non te receptum iri, ſi ab hypotheſi ſua recedere nolint, tibi affirmo. De qua re, quia itidem ſatis dixi in proximis literis, plura hic non addam. Non eſt opus vt repetam ſuperiora de contrariis, dummodo meminiſſe poſſis, me de contrariis proprie ſic nominatis locutum ſemper fuiſſe, non de priuatiue oppoſitis, qualia ſunt mors & vita.

Contraria proprie & priuatiue oppoſita diſcernenda.

Longe alia eſt illorum, quam horum ratio: licet in aliquibus conueniant. Vehementer miratus ea ſum, quæ de vaticinio ex cometis ſumpto aſſeris.

Vaticinium ex cometis. Præſagia Mathematicorum negantur.

Quis hominum affirmare audebit, Mathematicum ex ſuæ ſcientiæ principiis de rebus contingentib. futuris præſagire poſſe, aut conari vnquam voluiſſe? An Mathematicos neſcis ſolius quantitatis paſſiones in abſtracto conſiderare, & circa motum & quantitatem duntaxat verſari? Non contemplantur motum, ſicut Phyſici, ſed modo eis proprio.

Effectiones ſyderum quales.

Effectiones autẽ ſiderum & cœlorum particulares, quæ in hoc mundo naturaliter fiunt, tam non conſiderat ex ſcientiæ ſuæ principiis Mathematicus, vel Aſtronomus, quam non æſtimat aut ſpeculatur eas ex artis ſuæ principiis ſartor, aut ſutor, aut textor, &c. Mathematicæ ſcientia verſatur circa τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως. Phyſicus τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα rimatur. Sed quid verbis opus? Euentus Phyſici rationib. & principiis Phyſicis iudicantur, nõ mathematicis. Quod ſi iam ex ſacris literis monſtrari poſſit, Deum voluiſſe, vt cometa quilibet aliquid præſagiat, non iam negabimus, eum illud ipſum prænũciare, licet ex ſua natura hoc præiudicare nequeat. Exemplum produxi de iride. D[illegible] non oſtenditur, particulare nihil certi [illegible] monſtrare dicimus. imo naturaliter eos non præſagire, quæ Aſtrologi inſcitiſſime præfigurare aiunt demonſtramus. De itidi quoque recte probare poſſumus, eum naturaliter tam non indicare hoc, quod ſcimus eum nobis in memoriam reuocare, quam nõ diſterminat agros ex ſua natura lapis, qui ad hoc non eſt ex pacto deſtinatus. Falleris igitur, cum non ſatis diſerte me de his diſſerere opinaris. Video te vel natura, vel quod magis credo, inſtitutione ad aſtrologos, & chemicos mirabilia pollicentes inclinare. At rectius & vtilius facies, ſi ſolam rationem ducem ſequeris, inanibus pollicitationib. te à via abduci non patieris. Venio ad nouas obiectiones. Theſes tibi obſcuriores viſas ais, quia nõ diſerte explicent, de quibus, & quomodo affectis humorib. potiſſimum loquar. Ego vero nihil in eis puto diſertius & explicatius dictũ.

De humoribus qui nutriant.

Dico enim ſolum ſanguinem nutrire, bilem tum flauam omnem, tum atram ſiue nigram (excepta ea, quæ lienem alit) tum pituitam non nutrire, ſed excrementa eſſe dico. Vbi autem, inquis, ſanguis ille in corpore integre ſano reperitur? Vbique, reſpondeo. Sed vt ſanus à ſano differt: ita vnius ſanguis ab alterius ſanguine diſtat puritate & impuritate. Nego tibi in corpore integre ſano cum ſanguine inueniri bilem alterutrã, vel priuatam miſtam. Et ſi permixti ſint iam nominati humores, nutrire eos nego, ſed excrementa alimenti

Sanguis purus imaginarius. liſmenti veri eſſe conſtanter aſſeuero. Sanguis purus ex Galeni opinione, imaginatione ſola datur, reipſa nō reperitur: quam ego Imaginationem toti naturæ aduerſari optime noui. Et eum aliquid ei humorum permiſtum eſt aliorum, alere eos non poſſe, iterum dico, ſed niſi vacuentur, morbos creare affirmo. At, qui ex perfecte etiam ſanorum venis emittitur ſanguis, indicia omniū humorum commonſtrat. Nego tibi verum hoc eſſe. Non enim ſanguis lentus & aqueus pituita eſt: nec craſſiuſculus continuò melancholicus eſt: ſed toto genere differunt, vt aquoſus ſanguis & pituita, ita etiam craſſus & melancholia. Nullam ne pones in ſanguine latitudinem, qui in cūctis eam rebus inficiari nō audes? Ao idem ſunt pituita & caro frigidiuſcula & lenta? Idem ne dices carnem craſſam & nigram cum melancholica? Non arbitror: niſi abuti omnino velis & nominibus, & rebus, quæque diſcreta & diſtincta ſunt naturis confundere ſtatutū habeas. Sanguinis latitudo. Sanguis, ſanguine craſſior, tenuior, humidior, ſiccior, cādidior, nigrior aut flauior eſt, vt tamē intra ſanguinis latitudinem omnes adhuc cō incantur, nec alieni humoris nomen & defluxio eis competat. Itaq; nō admo iibert item cuiquam nominandi humores, vt ei libet, ſed ne ſimile idem eſſe iudicet, moneo. Aliud eſt re, & definitione ſanguis craſſus & niger à ſucco melancholico: aliud item ſanguis flaueſcens, tenuis & calidus à bile flaua. Diſcrimen ob id non in vocibus, ſed in ipſis rebus hæret. Nec ſatis eſt, quod neminem putas tam longe à recta ratione aberrauiſſe, vt ſtatuerit bilem flauam illam, quæ in veſicula continetur, cum ſanguinis maſſa rurſus cōmiſceri, atq; nutriendū certas partes diſtribui. Qui enim in ſanguinis generatione ortam bilem nō omnē a veſicula ſecerni, ſed partem eius aliquam re & ſubſtantia non differentem ab eą, quæ ab ea attracta fuit, relinqui cū ſanguine cōmiſtam aſſerunt, certaſq; ab eadem illa partes nutriri tradunt, qoid quæſo aliud docēt? Quod de bile dico, de aliis intelligere te pariter iubeo. Nego tibi, negaboq; ſemper omnibus, dum probatum nō videro, ex quatuor humoribus vnum, ſic fieri, vt inſeparabili modo in vnam maſſam coeant. Nō magis in vnum corpus cōcreſcunt, quam ſi vinum, aquam, cereuiſiam &c. miſceas, & ex eis vnum aliquid ſubſtantia factum putes. Humorum miſtura. Si ergo priores à recta aberrant ratione, poſteriores exorbitare non grauate concedes, vbi rem expēderis. Præparatio ferri & chalybis. Præparatio ferri aut chalybis, vt lienem deobſtruant, non eſt operoſa aut difficilis. Ablui iubeo in aceto, vino, aqua, prout res poſcere videtur, tam diu vt aquam non amplius inficiant, deinde trita miſceo cum pharmacis aliis ad rem pertinētibus, & hoc modo exhibeo, non metuens, vt in venas rapiātur. Item igoiri iubeo, & in vino aut aqua extingui aliquoties præcipio, vinumq; bibendo propino. Item in vino limatum chalybem cum aliis macerandum præbeo, & vinum potandum affero. Oſteocolla. Lapis ſabuloſus. Beinbruch. Lapis ſabuloſus vulgo apud nos dicitur Beinbruch nomine contrario, quod ſcilicet fracturas curet Dicitur etiam Beinwall ab aliquibus, Beinwall. oſteocolla ſcilicet. Morochtus eſſe non poteſt, vt qui in ſuccum ſolubilis non ſit, inſtar morochti veri, qualem ipſe habeo. Semper enim ſeruat ſabuloſi & terreni quippiam noſter: nec alibi, quam in arenis naſcitur: quæ eius eſt materia. Mitto eius tibi fruſta aliquot. Vſus in Antiparacelſicis. Vtendi modū in Antiparacelſicis tibi & aliis forte ſatis deſcripſi. Mitto tibi materiam nouarum cogitationum de pinguedinis tum generatione, tum concretione. Oblitus etiam ſcribere de viribus rubiæ, & balneo formicario, de quibus ſuperioribus menſibus interrogaueras: atq; ego nunc caſu ſpectis literis illis in mentem reuocaui. Rubiæ vires ſatis dictæ Dodonæo vera. De rubia ita mihi ſatisfecit Dodonæus, vt magis non poſſit. Me certe, cum in eo ergi, excitauit, vt inquirerem. Itaq; rem habere deprehendent omnes, qui periculum fecere quouis modo volent. Sed recentem guſtare oportet. Arida namq; propemodum ſaporis expers eſt, inſtar ligni. Patet hinc, quam ſæpe falli illos oporteat, qui aliis ſtatim credunt, re non examinata. Balneum formicarii. Formica animalculum eſt valde calidum, & humorē in ſe tenuiſſimum habet igneū fere. Liquet hoc ex earum morſu & perfuſione. Perfundunt enim humore quodam eum iratæ cum ſunt, tenuiſſimo, at egregie mordaci & calido pueri nos dicebamus: Mich haben die Omeiſſen beſeicht/minxeruot me formicæ. Quid igitur miri, ſi in frigidis affectibus præſertim cum in profundo vitium hæret, vtilitatem balneum tale præſtat? Bene & fœliciter vale, die 23. Feb. an. 1580:

EPIST. CCLXXVI.

Idem eidem.

ANte dies octo reuerſus ſum ex thermis, quo vxoris cauſa profectus fui, & domum cum rediiſſem, intellexi D. Auguſtinum Donium Medicinæ Doctorem, Calabrum, iter inſtituiſſe in Poloniam, & hinc Pragam recta iturum eſſe, Quare non potui eum ſine meis ad te literis dimittere: cum præſertim ille hoc officium à me peteret. Ex illis, quæ videre & iudicare potui, dum hic fui, cognoui eum virum pium ſane & doctum, & quod ſummum eſt, inculpatæ ho-

Digitized by Google

neſtiſſimæq; vitæ eſſe. Dignum ob id iudicaui, qui à te, boniſq; omnibus, iuuetur. Oro igitur te pro tua humanitate & pietate, vt virum optimum commendatum habeas; & vel per te, vel per alios tuos eum commendes aliquibus in aula Polonica degentibus, vel certe aliis, quorum opera poſſit vti in aula. Quicquid hac in parte feceris, præterquã quod id Deo gratum erit, mihi à te præſtitũ ſemper putabo: & pro viribus gratiam agere, ſi referre non potero, ſtudebo. Audiſſe te nihil dubito, doctiſſime & clariſſime D. Petre, nos Heidelberga huc Baſileam commigrauiſſe: vbi, Deo opt. max. ſit gratia, quiete viuo extra ſtrepitum & ſine conditione. Videtur enim ætas id mea poſtulare, vt non de negotio, ſed de ocio cogitem. Viuo ergo mihi, & de meo theſauro. Nec habeo cauſſam quærẽdi occupationes, cum liberis caream. Interim ne plane nihil faciã, cœpi ante paucos dies reſpõdere publico cuidam Doctorum cenſori, Comiti Montano Vicentino. Edidit is libros v. de morbis anno ſuperiore grauibus, craſſis, & multis erroribus plenos, quos nunquam notauiſſem, ſi non coactus fuiſſem attentius & ſæpius perlegere. Spero autem me operæprecium, & rem gratiſſimã atq; vtiliſſimam ſtudioſis facturum. Quippe docebo eos, quæ à paucis adhuc animaduerſa ſunt & cognita. Hæc habui, quæ occaſione huius tabellarii data ad te ſcriberem. Te oro, vt D. Cratonem officioſe ſalutes. Dominus Ieſus tibi vna nobiſcum ſemper vt adſit oro, Amen. Datæ Baſil. die 18. April. anno 81.

Errores Comitis Montani.

EPIST. CCLXXVII.

PETRO MONAVIO, MEDICO Cæſareo, &c. Th. Mouſetus Anglus Med. S.D.

Magiſterii perlarum

AD magiſteriũ perlarum, cuius promiſſam tibi deſcriptionem antea mittere non potui, extrahendum, hac via omnium dubio procul certiſſima procedendum eſt. Contuſas illas & in puluerem (quod tactum attinet) ἀναίσθητον pertritas, affuſo vini ſpiritu nobiliſſimo (vt hic quinq; latos digitos ſupereminear) imbibito, & equino fimo vel æquabili B. calore digerito per menſem integrum, quo tempore trãſacto ſpiritũ inſtar vini maluatici fuluum eſſe comperies; eo effuſo & reſeruato, alterum viciſſim affunde, totieſq; digere, donec colorari deſinit. Coloratis ſpiritibus continetur magiſterium tuum: quos in B. M. in ſiccitatem euolare permittito. Poſtmodum aqua cœleſti deſtillata bis vel ter abluito, & rurſus euaporato, vt in ſpiritu. Sic habes eſſentiam ſiue magiſterium perlarum, in forma pulueris farinacei, quem marmori inſperſum in liquorem (ſi placet) rediges. Legi Paracelſum in ſuis Archidoxis, quod ego ſpiritus, id aceti radicati beneficio fieri poſſe aſſerẽtem. Cæterum mihi crede (in huiuſmodi negotiis neutiquam inexperto) reſtabit tanta acrimonia, vt huic eluendæ vix trecenti aquæ congii ſufficerent. Vſum huius magiſterii in affectibus ſtomachi & cordis ſingularem eſſe, tum doctiſſimi noſtri Florini, tum aliorũ αὐτοψία (vt nihil de me ipſo dicam) abunde confirmatum eſt. Tu igitur tibi habeas, nec cuiquam temere communices. Norinbergam cum Cæſare ſi adueneris, forte me inueneris præſentem. Interim Francofurti viuam, & recolam intermiſſam praxin, qua hactenus, Dei beneficio, maxima cum felicitate, & lucro non minori ſum vſus. Nunquid te chemię accingis? Anne fornaces extruxiſti? Quid Florinus? ecquid medicinam facit? Laurentius Scholzius nihil literarum ad te mea cauſa miſit? Ad hæc, quanta cum celeritate poteris, ad me reſcribe, & ex me peramãter vale. Datæ Norinbergæ, 4. Non. Quintil. anno 80.

E Magiſterio perlarũ aceti radica-

ita acrimoniã tolli vix poteſt.

Acetum radicale i. ſtill. quod remanet in fundo, poſt aceti deſtillationẽ.

EPIST. CCLXXVIII.

Idem eidem

SIkeekius, quod feciſſe debuit, aqua pluuiali deſtillata magiſterium perlarum ſæpius abluiſſet, nec ille indiligentis nomen, nec tu conquerendi materiam habuiſſes. Acrimoniam ſeruari aliquam, etiam poſt optimam pręparationem, certum eſt: ſed an propterea cordi ingrata, quia linguæ parit moleſtiã? Quid viola martia linguã violentius vrit, ò optime? quã tamẽ cordi familiarẽ eſſe, ſalua pceptorũ auctoritate, haud nena ueris. Succo limonũ diſſolui margaritas vel vetulis fere notum eſt omnib. tincturam verò ſic extrahi, nedum Cratoni noſtro probatum. Zuingeri præparationes nõ improbo. Varię enim ſunt ad ſyluam vię, quæ tamen compendioſior & melior fuerit, ſola experientia dignoueris. Cur ab eius aniſo purgante ſcammoneę exuperantis cauſſã tantopere verearis, argumentum nullum; pręter imaginarias quaſdam delicias, & formidationes perſpicio. Etenim, facta computatione, in vnica doſi (nempe ℥ij) ſcammoneæ grana ad ſummum quinq;, corrigentiũ vero centum plane, & adhuc quindecim inueneris. Tota enim compoſitio granorum 26640. pondus accedit. Sed ignoſco tui ſtomachi deliciis, tanquam in aula degẽti: nos vero ruſtici Medici fortioribus vtimur remediis, & (ſi verum quæratur) non incommodo ſucceſſu. Si ladano cum illis, quas co-

Viola martia.

Zuingeri præparationẽ probatur.

Aniſum purgans Zuingeri.

Imo 20880. Sacchari enim lib. iii. pro iii. aſſumit.

ram commemoraui, cantionibus vſus fueris, admirabiles narras euētus: qualeſq; huc uſq; nobis, neſcio an medicamenti, an Dei potius bonitate, nunquam acciderunt. De myrrha ſubſtituēda in Nepenthe loco mumiæ, non ſtatim aſſentior. vt eo perducar animi, & longiore tempore, & fortioribus argumētis eſt opus. Domino Cratoni noſtras non ingratas accidiſſe lætor: mallem tamen plane gratas fuiſſe. Humanitatis ſuæ erit, quamprimum otium conceditur, reſpondere aliqoid ad me: qui ſic colo diuinas ipſius ingenii dotes, vt cuilibet cōferendum, plurimis vero Medicis eſſe præferendum cogitem. Chymiam quod non poſſis exercere, illud ipſum incidat, quod vellet. τέλος illis negotiis, quæ tantum Medicum à ſtudio tam neceſſario diuellunt: male enim illis precari inhumanum eſt. Siquid in deſcriptione aniſi purgantis deprauatum aut mācum fuit, haud culpa factum eſt mea: nam eodem exemplo tibi communicabatur, quo mihi. Falſas deſcriptiones dare, nō eſt meū, non eſt tuum, non eſt cuiuſuis Medici, præſertim Chriſtiani inſtitutum. Vale, mi Petre, Mouſeti tui memor: qui tui memoriam ſecū, etiam nunc, in Angliam portabit. Si quid mea cauſa literarum dederis, Camerarius noſter fecerit perferri. Datæ Francof. ad Mœnum, 15. Kal. Oct. anno 1580.

EPIST. CCLXXIX.

Idem eidem.

QVALIS ad vos Mumia defertur, equidem neſcio: ſcio tamen eam, quæ noſtrum Nepenthes ingrediebatur intus abſq; omni religione exhiberi poſſe. At inquis, Ob humani cadaueris contagionem tetrū & viroſum odorem de ſe expirat. Fateor, ſi de veſtra intelligas: ſin noſtram dicas, repugno. Nam chymice parata, quod etiam opio contingit, amittit graueolentiam, quiddamque odoratis ſpeciebus finitimum (quales ineſſe illi credimus) repræſentat. Adde porro aloen, myrrham, gummi, ſarcocollam, opobalſamum (huiuſquam cœleſte medicamentum) & crocum aliaque precioſiſſima medicamenta mumiam noſtram efficere. Eſt enim ex his omnibus de mortuorum ſepulchris per efficaciam ſolis exudās liquor, qui ad arcendam putredinem peridoneus, ad ſuſcipiendam vero longe ineptiſſimus exiſtit. Quare vt myrrham, eius loco ſubſtituas non ſuadeo, neq; video cur tanta cum religione, ne dicam ſuperſtitione ipſius in hominibus vſum pertimeſcas. Noui aliquos qui abſtinendum ab ea iudicant, quia humanas carnes humano viſcere condi non ſolum non humanum, ſed etiam plane impium videtur, audent tamen curioſuli iſti cenſores album græcum hydropicis, cranium hominis epilepticis, neſcio quam audacter, ſcio quam frequenter præbibere. Sed o ſani à tergo queis nulla ciconia pinſit! vtrum religioſius exiſtimatis, carnes comedantur, an oſſa? mihi quidem vix pluma intereſſe videtur: & licet neutrum probo, eſſe tamen oleoſum quiddam ſubſtantificum in immature mortuis, immortale, incorruptibile, terram igni, aquam aeri conglutinans, partibus ſtabilitatem, duritiem verumq; alimentum præbens, non dubito affirmare, id vi ſolis externi aromatis immixtum, aut ſuaui in temperato calore digeſtione cum oleis aromaticis extractum (vt Theophraſtus docet) nunquid conducibilius exiſtimas? Id autem in noſtræ mumiæ extractione factum eſt, quia ingreditur tincturam, & oleoſam, mihi crede, & gratam. Hęc hactenus Nobiliſſimi doctiſſimiq; Cratonis literas indies ceu ampliſſimam theſaurum ædiculas meas inuiſurum expecto. Facito vt promiſſa compareant. In vteri ſtrangulatu habeas ſingulare remedium: Iulos ſiue catulos iuglandis in pulnerem exiccatos cōtunde: datur ad ℈ ij. cum guttulis duabus olei ſuccini. in eo affectu nihil vnquam noui præſtantius. Balſamum mumæ Theophraſti in vlceribus & apoſtematibus, vel ſola illinitione vſu comperi diuinum eſſe arcanum, ſed guttulas aliquot adiicio olei camphorę, & ex ſeminibus ebuli parati. Cuius virtutes vix audeo ſacramento ſilentium pollicitus, edicere. Bene & feliciter vale: Cratoni, Scholzio, Rungio (ceu ignoto, vel potius non viſo) obſecro ex me ſ.p.d. 1. April. anno 1581.

Duplex mumia.

Chymica.

Humana caro cur abſtinendum.

In vteri ſtrangulatu ſingulare.

Balſamum mumiæ.

EPIST. CCLXXX.

Idem eidem;

AGE do tibi manus, meq; vinci patior, ornatiſſime Monaui: non quia defendere mumiæ cauſsam non poteram aduerſus te: ſed quod vix operæ aut chartæ precium videretur, ſi tu illam pro toto tuo muſcam, ego pro meo facerem elephantem. Cæterū, ne nihil videar dixiſse, illud obſecro attendas: an ſtercus aſini, muris, muli, canis, necnon: putridi carniū vermes (quos Hipp. ἰὐλας vocat) carniū hominis, teſtes etiam equorū, caſtoris, luporum, nec non pulmones vulpium, quibus & Hipp. & recentiores etiam intra corpus ſumptis vtuntur: perpendas (inquam) an his deterior mumia, an potius nō præferenda ſit. Nihil illis putrilaginoſum, nihil graueolens, nihil ineſt atratum? nihil (ne dum ſtercuris mentio) quod ſolo nomine nauſeam prouocet: ſane nullum huic impinges vitium, quod in illis non comperiatur. Nam & illa quoq; animantia tabe ſanieque fluunt, morboſq; patiuntur fere vniuer-

Medicamenta ex animalium partibus fœdis.

ſos, qui contingere hominl poſſunt, Quot etiam pulmones vulpium, teſteſq; equorũ, etiamſi optime ſiccatos vermibus non refertos vidiſti: quot ſtercora ſine fętore? quot ęulas noo putredioe & grauiſſima corruptione generatas? quid deniq; fumo exiccatum vnquam animaduertiſti, in quo nihil inerat atratum? aut quale tu propinas caſtorium, quod guſtum plaoe abominabilem non participat Habes igitur quæ in mumia reprehendiſti vitia vniuerſa in tuis: eaque tanto maiora, quanro hæc (de vulgari enim mumia non diſputo) croci, myrrhæ, gummi ſarcocollæ, aloes, ipſiuſq; opobalſami conditura ſaniur ipſis euadit atque melior; niſi tu forte crudum carnium, conditiſſimis caroibus prætuleris: id quod forte audacter, cum laude tamen & ratione nunquam aſſequerabis. Hæc mihi quaſi leuis armaturæ tela depromere placuit: cui grauiora in procinctu ſenſeris adeſſe, ſi repugnaris. Sed cedam nunc hac arena, & quæ petiiſti reliqua attingam. *Balſamum ſulphureũ.* Balſamo tuo ſulphureo vſus ſum, cum felici & mirifico ſucceſſu in fiſtulis extirpandis: quas vero illi contra peſtem, & aſthma partes attribuiſti, equidem noo iouenio. Quinetiã quomodo ipſum ſine piaculo iotus exhibes, quum fœtore ſuo teterrimo non mumiam duotaxat, ſed cadauer quoque ipſum, ſed lacum palæſtioum ſuperat? eum autem myrrhæ & aloes adiectione minui ſcribis: oeq; ego admodum repugno, iis legibus, vt tu idem in mumia fieri confitearis. *Ol. picis.* Olei picis in fiſtuloſis vlceribus mirificam virtutem prædicas: plus autem valere ſcias contra herpetas, formicas, aliaque eius generis rubercula. *Oleum ebulinum.* Olei ebulini deſcriptio Aragoſiana mihi, cum rẽ aggrederer, fraodi fuit: tantum abeſt vt eam tibi, etiamſi velim maxime, tranſmittam. Quod Iudæi operam conducis ad chemiam, vitupero inſtitutum tuum: faxit Deus opt. max. oe illius impoſturæ tuam artis tam nobilis ſitum præpropere extinguant. *Ponderoſitas plumbi.* Pondoroſitas plumbi neq; propter aquam fit, neq; ob aerem. Sed quia multum obrinet Mercurii. hic autem in aerem expoſitus non augetur ſed in locis ſubterraneis humidis: idq; non aeris acceſſione, vt ſuadere nobis voluit Gal. ſed potius aquę viſcoſioris (nam in loco ſicco minuitur) vel potius alterius Mercurii coniunctione, qui ad maiorem quãtitatem ceu ad mare riuuli ſe contulit. Noſti enim (oi fallor) humidum quemque locum mineralem (de palude enim non loquimur) argento viuo plurimo ſcatere, quod alii fæno madido, alii ſtercore bouino recenti in factam foueam coniecto & ſepulto, tum dexrre, tum vtiliter eliciũt. quod vero philoſophi ſecundas qualitates à primis procreatas ſcribunt, nil moror. *Qualitates ſecundæ nequaquam à primis.* ad tales enim abſurditates iam diu occalluerunt aures meæ. Etenim ſi punctum oullius eſt ponderis, nec lineæ etiam erunt: ſi hæc non ſunt, neque extremitates, neque corpus: vt non ineptè cõtra Platonem olim Ariſtoteles diſputauit. *Cap. 1. lib. 3. de Cœlo.* Perinde ego mutata tantum hypotheſi. Nullum graue ex nõ graui, nullum leue ex non leui: ſed primæ qualitates, oeque leues ſunt, nec graues: ergo tale aliquid non procreant. Mallem ego eius põderoſitatem corpotis denſitati atq; compactioni aſcribere: nam iuxta Hipp. ſi quis in aqua per biduum molles lanas maceret, & veſtem quoque laneam, æqualis pooderis ad lanas: has multo leuiores comperiet, quã lanam. Quinetiam guaiaci lignum cæteris ponderoſius, quia denſius: imo tam graue eſt, vt præter lignorum morem iniectum aquæ ſe mergat. Jta etiam Mercurius vigeſies ſublimatus, præcipitatus, coagulatus, & pene fixus, iterum recrudeſcet in argentum viuum, cum exigua aut pooderis aut ſubſtãtiæ ſuæ iactura. id quod ipſius denſitatis argumenrum mihi ἀναντίλεκτον videtur. Vlterius excurrere nec charta ſinit, neq; oõum. His igitur cootentus, feſtinatiſſime ſcriptis, valeto: meq; vti facis, diligito. Magnif. D. Cratoni ſ. p. ex me dicito 3. Maii, anoo 1582.

EPIST. CCLXXXI.

ANDREAE AVRIFABRO MEdico celeberr. &c. Valerius Cordus S.D.

POSTREMIS literis petis, vt tibi trochiſcos emam de vipera, volui pecuniam apud me retioere, quoniam magno emuntur precio, vt mihi ipſi ante vnum atq; alterum annum miſſæ ſiot in Germaniam vociæ ſex pro ſex aureis ducatis, vt D. Caſparus probe nouit, eoi eas vendidi eodem precio ad theriacæ cõfectionem. *Trochiſci de vipera.* qua io re dabo operam vt recentes mittam, & vt me præſente fiaot, vt ipſe videam oum è veris parentur viperis. Nam magna eſt in hac re impoſtura. Fieri autem debent circa veris exitum ante initiũ æſtatis. Jtaque iam non mittam ante annum compoſitos, quamuis facile habere poſſem. Præterii nuper in Bacchanalibus pharmacopolium quoddam Veneriis, vbi ad ſolem exiccabantur trochiſci de vipera dictis aureis literis, iiſq; maiuſculis adſeripto nomine, & aote tabernæ feneſtram ſuſpeoſo. Color illis erat niger propter combuſtum panem, quem viperæ carnibus miſcent. Ego inſolitum eos faciendi tempus conſiderans, ex pattono quæſiui, cur hyeme illos faceret, reſpondit, ſe omnibus anni temporibus facere poſſe, oſtẽditque nigros quoſdam ſerpentes,

pentes, quos aiebat ſibi ex Ægypti Alexandria eſſe miſſos, egoq́ ſubridens abij, aſino ſuos trochiſcos & ſerpentes relinquens. Simplicia hic habentur multa, quæ in Germaniam non afferuntur, egregiæ in medicina facultatis; vt ſunt, origanum candidum, origanum nigrum, vtrumque creticum, Ariſtolochia rotunda vera &c. cum ad vos rediero incolumis, Chriſto fauente, ſingulorum magnam copiam mecum feram, quæ multos in annos ſufficere poſſint: non enim facile deteriora fiunt, quemadmodum noſtræ herbæ in Germania natæ, ſed multos annos incorruptæ durant. Bis hoc anno ad montes Patauinos ſum exſpaciatus, & plurima inueni, quæ omnia recenſere longum foret. His vale amiciſſime D. Andrea. Ignoſce quæſo properanti. Datum Venetiis, poſt natum Saluatorem 1544.
14 Aprilis.

Simplicia Italica diuturna.

F I N I S.

INTERPRETATIO GRÆCORVM OCCVRENTIVM PASSIM IN HIS EPISTOLIS NE QVID LECTOREM forte remoretur;

Prior numerus columnam cuiuſq; paginæ, poſterior lineam denotans.

Col. 1. lin. 26. συναίτιον αἴτιον, *i. e. concauſam cauſam.*
20. 50. κεφαλικά, *i. e. ad caput pertinentia.*
ibid. ἡπατικά, *i. e. ad epar.*
ibid. καρδιακά, *i. e. ad cor pertinentia.*
24. 47. ὄργανον τῆς παιδείας οὐ κτῆσις, ἀλλ' ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστί, *i. e. Inſtrumentum eruditionis non poſſeſſio, ſed vſus librorum eſt.*
26. 44. καταφύγιον, *i. e. perfugium.*
27, 19. φυσικῶς, *i. e. naturaliter.*
ibid. 20. ἄσημα, *i. e. ſignificatione carentia.*
ibid. 24. παρὰ φύσιν, *i. e. præter naturam.*
ibid. 25. κατὰ φύσιν, *i. e. ſecundum naturam.*
ibid. 26. ἀντίφασιν, *i. e. contradictionem.*
ibid. 37. ἀκριβέστερα, *i. e. accuratiora.*
ibid. 46. ἐνστάσεις, *i. e. inſtantias.*
28, 51. λόγῳ, *i. e. cogitatione, ſiue ratione.*
29, 26. βρογχοκήλην, *i. e. tumorem magnum & rotundum in gutture.*
32, 29. οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα, *i. e. nihil ad farinam.*
35, 7. εἴδωλα, *i. e. ſimulacra.*
ibid. 30. φαινόμενα, *i. e. apparentia.*
ibid. 52. ἀποδεικτικῶς, *i. e. certe, demonſtratiuè probatum.*
ibid. 46. παράλλαξιν, *i. e. viſus aberrationem.*
37, 1. τῶν καθαρτικῶν φαρμάκων, *i. e. purgantium medicamentorum.*
38, 35. μιάσμασι, *i. e. inquinamentis.*
ibid. 56. φίλτροις, *i. e. amatoriis poculis.*
39, 12. τὸ θεῖον, *i. e. diuinum.*
ibid. 43. περιάμμασι, *i. e. amuletis, quæ de collo ſuſpenduntur.*
ibid. 44. τὰς τῶν φύσει ὄντων ἀντιπαθείας, καὶ ἰδίας τινὰς δυνάμεις, ἢ ἰδιοσυγκρασίας, *i. e. rerum naturalium antipathias, id eſt, inimicitias mutuas & proprias quaſdam vires, aut peculiares cuiuslibet temperaturas.*
40, 6. τὴν τοῦ μεγίστου θεοῦ χεῖρα, *id eſt, Maximi Dei manum.*
44, 57. πάντα περὶ πάντων, *i. e. omnia de omnibus.*
93, 43. ἀντίδωρα, *i. e. dona mutua.*
105, 19. περὶ τῆς προγνώσεως, *i. e. præcognitione.*
ibid. 57. ἐπικεραστικὴν δύναμιν, *i. e. contemperandi vim.*
107, 53. σχολιασμῷ, *i. e. commentatione.*
108, 3. δυσουρία, *i. e. difficultate Vrinæ.*
ibid. 5. ἀσφυξία, *i. e. pulſus defectione.*
ibid. 54. ἐκ τῆς ἀπορίας εὐπορία γίνεται, *i. e. ex inopia copia naſcitur, ſiue ex dubitatione ſcientia.*
115, 32. σημειωτική, *i. e. ſignorum doctrinam continens.*
ibid. 33. στοχαστική, *i. e. coniecturalis.*
116, 9. σκελετόν, *i. e. cadauer aridum.*
135, 3. συμπάθειαν, *i. e. conſenſum mutuum.*
137, 6. ἀντιλογίαν, *i. e. contradictionem.*
143. 5. ἀτοπώτατον, *i. e. abſurdiſſimum.*
ibid. 20. ἀδυνατώτατον, *i. e. impoſſibiliſſimum.*
144, 24. σημεῖον δ' ἦν τῆς κακοηθείας τὸ πελιδνὸν τὸ περιχρῶσαι, φλυκταινίδας μελαίνας γίνεσθαι περὶ τὸ σφυρόν, *i. e. ſignum vero malignæ ſuperfluitatis, quod ſtatim puſtulæ nigræ natæ ſunt circa calcem.*
158, 30. κατὰ τὸ μικρόν, *i. e. perparum.*
160, 1. πρὸς τὸ κατεπεῖγον, *i. e. ad id quod vrget.*
ibid. 56. προφυλακήν, *i. e. præcautionem.*
161, 19. πρός τι, *i. e. ad aliquid relatiue.*
ibid. 46. ἁπλῶς, *i. e. ſimpliciter.*
162, 9. ἐν τῷ σιτίῳ φάρμακον τὸ ἄριστον, *i. e. in cibo medicamentum optimum.*
163, 50. ἀφέλειαν, *i. e. ſimplicitatem.*
164, 18. τὰ κοινὰ κοινῶς, *i. e. communia communiter.*
ibid. 47. τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν, *i. e. eadem de iiſdem.*
ibid. 55. ὀρθόν, χρήσιμον, καὶ ἀκόλουθον, *i. e. verum, vtile, & conſentaneum.*
ibid. ἀνακεφαλαίωσιν, *i. e. repetitionem capitum explicatæ doctrinæ.*
165, 9. σωματοποιΐαν, *i. e. corporis conſtitutionem.*
ibid. 19. μικρά, *i. e. parua.*
ibid. 20. ἔκτρωμα, *i. e. abortum.*
ibid. 35. ἀκολούθως, *i. e. in conſequentia.*
166, 24. εἰς ἄκρον σοφίας, *i. e. ad faſtigium ſapientiæ.*
ibid. 31. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, *i. e. ſimile ſimili amicum.*
ibid. 36. ὡς στρατηγοὶ στρατευομένων καὶ βασιλεῖς τῶν ὑπηκόων, *i. e. vt Duces militum, & Reges ſubditorum.*
ibid. 50. θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον, *i. e. malo fortunæ guttam, quam ſapientiæ dolium.*
ibid. 54. ἀόριστον, *indefinitum.*
167, 1. ἄνευ θεοῦ οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτῶν, *ſine Deo nemo eſt felix hominum.*
ibid. 27. τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην, *i. e. ars fortunam amat, & artem fortuna.*
ibid. 43. πηρώσεις, *i. e. mutilationes.*
169, 2. τηρητικοί & μνημονευτικοί, *i. e. obſeruationis, & memoriæ ſtudioſi.*
ibid. 26. ἐμπειρίας, *i. e. experientiam.*
ibid. 52. σφαλερὰν, *i. e. lubricam.*
170, 1. πρός τι, *i. e. ad aliquid.*
ibid. 21. ἔνδειξις, *i. e. indicatio.*
171, 13. ἐπαχθής, *i. e. grauis.*
ibid. 16. ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο, *i. e. Vtinam contentio ex Deis, & hominib. ſublata eſſet.*
ibid. 19. ἀναμάρτητος, *i. e. peccati expers.*
ibid. 23. οὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ τετράγωνος, καὶ πάνσοφος· ἀλλὰ μόνος ὁ θεὸς τοῦτο τὸ γέρας ἔχει, *i. e. Nemo hominum eſt quadratus, & per omnia ſapiens, ſed ſolus Deus hoc decus habet.*
ibid. 36. μωροκάκων & μωροσόφων, *i. e. Stulte malorum, & ſtulte ſapientum.*
ibid. 47. ἰατρομαθητιῶν, *i. e. Medicinæ diſcendæ cupidum.*
172, 12. προσφώνησιν, *i. e. compellationem.*
173, 11. κοινός, *i. e. communis.*
ibid. λοιμώδης, *i. e. peſtilentis.*
ibid. 12. λοιμόν, *i. e. peſtem.*
ibid. 30. κεφάλαιον, *i. e. caput.*
174, 16. δύναμιν σωματικήν, *i. e. vim corpoream.*
175, 50. συνοχῇ, *i. e. coniunctione.*
ibid. 53. σχηματισμοὶ κακοποιῶν, *i. e. configurationes maleficorum.*
177. 27. πίστεις, *i. e. certas probationes.*
178. 9. πανώλεθροι, *i. e. pernicioſas omnino.*
ibid. 40. κατ' ὄναρ, *i. e. per ſomnium.*
ibid. 47. δηλητήριον, *i. e. mortiferam.*
180, 19. κατὰ τὸ μικρόν, *i. e. ſenſim.*
ibid. 36. λοιμώδους ἀέρος, *i. e. peſtilentis aeris.*
ibid. 40. καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν, *i. e. in tota ſubſtantia.*
184, 30. σύνηθες, *i. e. mores.*
ibid. κακοήθεις, *i. e. maligni.*
ibid. 31. ἀπόκρισιν, *i. e. excretionem.*
186. 46. τριταιοφυεῖς & πνευματώδεις, *i. e. febres flatulentæ.*

18-, 9 αἰα-

187,9. ἀναλογίαν, i. e. proportionem.
190,8. καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν, i. e. per totam ſubſtantiam.
191,11. ἀποσκήμματα, i. e. decubitum humorum.
ibid. 13. ἄνθρακας, i. e. carbunculi.
ibid. ἐπινυκτίδα, i. e. papula.
ibid. 14. στίγματα. i. e. notæ.
191,17. πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος ἀεὶ πανταχῶς ὁμοίως, ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκ ἔτ' ἐν ἔθει, i.e. Multis contradicere quidem eſt mos, de omni, ſiue in omnibus ſimiliter. Recte autem contradicere non item hoc in more.
193,6. ὑφήγησιν, i. e. expoſitionem.
54. λοιμώδεις ἰδίως πυρετοὺς καταλαμβάνοντας τοὺς ἀνθρώπους, καὶ χωρὶς λοιμοῦ ἐπιδ. γ. &c. i.e. peſtilentes priuatim febres inuadentes homines, & ſine peſte. Epid. 3.
194,8. σύντηξις, i. e. colliquatio.
ibid. 13. κενοδοξίαν καὶ φιλονεικίαν, i. e. ambitionem & ſtudium contradicendi.
195,14. δυνάμεις, i. e. vires.
196,56. συμπαθῶς, i. e. cum commiſeratione.
197,28. ἐπιδήμιον, i. e. popularе.
199,1. συμπάσχω, i. e. condoleo.
ibid. 4. κυρτοί, i. e. Gibbos.
ibid. 30. σύμφυτον, i. e. connatum.
ibid. 21. κατὰ συμπάθειαν, per cohærentem paſſionem.
ibid. 32. ἔμφυτον, i. e. inſitum.
200,19. τρικορώνην, quæ viuat trium cornicum ætates.
201,9. σύμφυτον θερμὸν, i. e. connatum calidum.
202,12. ἀναλογίαν, i. e. proportionem.
ibid. 24. ἐνέργειαν, i. e. actum.
ibid. 26. σφάκελος καὶ νέκρωσις, i. e. ſideratio & mortificatio.
ibid. 30. ὑγρὸς κατὰ φύσιν, i. e. humidum ſecundum naturam.
ibid. 34. ἑλκτικὴν, καθεκτικὴν, ἀλλοιωτικὴν, καὶ ἀποκριτικὴν, i. e. attractiuam, retentiuam, alteratiuam, & expulſiuam.
ibid. 40. ἡ οὐσία τοῦ σώματος ἐξαναλοῖ, i. ſubſtantiam corporis prorſus reſoluet.
ibid. 45. τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει ἔμφυτον θερμὸν, quæ creſcunt plurimum habent inſiti caloris.
ibid. 52. ἐν ἕξει, in habitu.
ibid. 58. ἐν σχέσει, i. e. diſpoſitione, ſiue habitu imperfecto.
203. 2. κατὰ συμπάθειαν, i. e. per conſenſum.
ibid. 41. περὶ ἐνεργειῶν, καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, i. e. de actionibus. & affectionibus animalis ſpiritus.
204, 4. ἐνδελέχεια, i. e. continuus motus.
206,19. καθολικὸν θεώρημα, i. e. vniuerſale Theorema.
208,42. ῥυπτικόν, i. e. obſtergens.
ibid. διαφορητικὸν, diſcutiens.
209,10. τὸ προηγούμενον αἴτιον, i. e. continentem cauſam.
ibid. 21. σύνθεσις, i. e. connexio.
ibid. 22. κατά τι, i. e. ſecundum quid.
ibid. 28. τὸ εἶναι καὶ τὸ γίνεσθαι, i. e. inter eſſe & fieri.
ibid. 29. διάθεσιν καὶ πάθος, i. e. diſpoſitionem & paſſionem.
ibid. 37. ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας, i. e. ſignificatio conſequutionis.
ibid. 38. τὸ προηγούμενον αἴτιον, i. e. continentem cauſam.
ibid. 42. ἐνδείξεως, i. e. indicationis.
210, 2. τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους, i. e. Naturalia auxilia non ſoluunt communem ſiue popularem morbum peſtilentis affectionis.
ibid. 12. δυσκρασίαν, i. intemperiem.
ibid. τῶν ὀργάνων, i. e. organorum.
ibid. 30. ἐκκόπτειν νόσους, i. e. excidere morbos.
ibid. 50. συνοικεῖν, i. e. cohabitare.
211,7. ἆθλα, i. e. præmia certaminis.
ibid. 8. ἀνδρείαν, i. e. conuicium.
ibid. καὶ μάχην, pugnam.
ibid. 9. προφυλακτικὴν, i. e. facere ad præcautionem.

213,19. λογομαχίας, i. e. pugnam verborum.
ibid. 20. ἀκριβῶς, i. e. accurate.
ibid. 26. χρηστῶς, i. e. diſpoſitionis.
ibid. 27. μόνιμον, i. e. durabile.
ibid. 32. συνεκτικὸν αἴτιον, i. e. coniunctam cauſam.
ibid. 55. προηγούμενον αἴτιον, i. e. continentem cauſam.
214,9. προηγούμενον, i. e. antecedens.
215, ἰσχυρὸν & ἀσθενέστερον, i. e. fortem & imbecilliorem victum.
ibid. 35. φλεβῶν αἱμάτων στάσις, λειποθυμία, σχῆμα ἄλλο βλέπον, ἀποληψις, ἀνατρέψις, καταπλασμάτων ἐπίθεσις, ἐπίδεσις, i. e. ſanguinem venarum ſiſtunt, animi deliquium, figura alio ſpectans, interceptio, linamentis in orbem conuolutio, appoſitio, deligatio.
216, 49. μετέωρος, i. e. incertus.
ibid. 52. πύκνωσιν καὶ ἔμφραξιν, i. e. condenſationem & obſtructionem.
219,12. ἡγεμὼν, i. e. Dux.
221,26. ἐν τῷ γίνεσθαι, i. e. in fieri.
222,30. πνευματώδεις, i. e. flatulentas.
ibid. 32. ἰδεῖν δεινοὶ, i. e. viſu graues.
ibid. 59. ῥωστικὸν, i. e. confortans.
223,3. παλμὸν τῆς καρδίας, i. e. palpitationem cordis.
ibid. 13. [illegible], i. e. oſtendit curatio.
ibid. 55. ἀνατομὴ φλεβὸς, i. e. oſculi venæ apertio.
244,24. ἱδρωτικὰ, i. e. ſudorem mouentia.
245,19. ἀποδείξεως, i. e. Demonſtrationis.
ibid. 37. σκύβαλα, id eſt, excrementa quaſi in nucleum formata.
ibid. 55. ἀνορεξίαν, i. e. inappetentiam.
247,25. ἁλὸς ἄνθος, i. e. ſalis flos.
248,54. μελάσματα, i. e. macula nigricantes.
254,49. Ζητήματα, i. e. quæſtiones.
260,13. ἰδιοσυγκρασία, i. e. peculiaris temperatura.
ibid. 49. πρωτοπαθείας, i. e. primi ſiue primarij affectus.
264,9. ἐξαίρετον, i. e. eximium.
266,18. οὐδὲν ἔστιν ἀνθρώπῳ συμφορά, i. e. nihil eſt quod non poſſit accidere homini.
271,6. σπέρματα λοιμοῦ, i. e. ſemina peſtis.
272,24. Ἀποσιτία, i. e. faſtidio ciborum.
273,49. ἀνορεξίαν, i. e. inappetentiam.
276,9. μεταχειρίσει, i. e. tractatione.
ibid. 21. Ἀντιλογίας, i. e. contradictiones.
ibid. 23. σκευασία, i. e. vectura.
277,21. παρειμέναι χεῖρες, i. e. reſolutæ manus.
300,48. σχεδίασμα, i. e. extemporaneum.
311,43. περὶ καθαρτικῆς δυνάμεως, i. e. de purgatrice facultate.
313,10. αὐτόπτης, i. e. oculatus.
ibid. 24. σπεῦδε βραδέως. Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς ἰατρὸς, i. e. Feſtina lente. Cautus enim eſt melior, quam audax Medicus.
ibid. 29. τὸ γὰρ πολὺ πᾶν τῇ φύσει πολέμιον, i. e. Omne nimium eſt naturæ inimicum.
314,23. διὰ τὸ ἐμπύρευμα, i. e. igniarium.
ibid. 51. ἐν τροφῇ φαρμακεία ἀρίστη, i. e. In cibo Medicina optima.
318,24. φυσικώτερον, i. e. naturaliter.
ibid. 27. ἐξ ἀφαιρέσεως, i. e. ex abſtractione.
ibid. 29. ὡς ἀκριβέστατα, i. e. quam accuratiſſime.
319,26. ἰσημερινὴν, i. e. æquinoctium.
320,34. ὑποτύπωσιν, i. e. informationem.
324,45. ὁ τῆς μίξεως λόγος, i. e. mixtionis ratio.
ibid. 46. ἄρρητος, i. e. ineffabilis.
326,28. πρωτόπλαστος, i. e. primo creatus.
ibid. 37. ἄλογον τὴν οὐσίαν, i. e. irrationalem ſubſtantia.
330,4. δειναὶ γὰρ κατὰ φύσιν εἰσὶν αἱ τοκέων, i. e. Graues enim præter naturam diræ ſunt parentum.
332,2. κατὰ μέρος μόνον, i. e. particulatim ſolum.
ibid. 3. φθειρόμενα, i. e. quæ corrumpuntur.

Digitized by Google

ibid.13. ἰδίως, i.e. proprie.
ibid.17. καθόλου, i.e. Vniuerſale quiddam.
336,52. εἰς τὸ δὲ ἐν τῷ δὲ, i.e. vt hoc in iſto.
337,17. κατὰ μέρος φθείρονται, i.e. particulatim corrumpuntur.
ibid.28. ἡ κατὰ φύσιν σηπεδών, i.e. illius, quæ ſecundum naturam eſt, putredinis.
ibid.51. συζητήσεις, i.e. diſputationes.
ibid.53. χρυσῶν πίστιν, i.e. exploratam fidem.
338,31. ἐκ τοῦ ἐναντίου, i.e. ex contrario.
ibid.33. τὴν βιαίαν μάρανσιν, i.e. violentam tabem.
ibid.34. τῷ κατὰ φύσιν, i.e. ei, quæ eſt ſecundum naturam.
342,46. καθόλου, καὶ καθ' αὑτό, i.e. Vniuerſaliter, & per ſe.
ibid.59. ἀκρίβεια φυσική, i.e. accurata diligentia ad Phyſicam pertinens.
343. ἁπλούστερος καὶ σαφέστερον, i.e. rudius, & planius.
ibid.17. εἰς τὴν καθόλου, καὶ τὴν κατὰ μέρος, i.e. in vniuerſalem & particularem.
345,24. ὑπὸ θερμασίας πολλῆς ἔγχυσιν καθ' ὅλου, ἢ τὴν ξανθὴν χολὴν, ἢ τὸ παχύτερον καὶ μελάντερον αἷμα, i.e. à caliditate multa inteſtina adurente, vel flauam bilem, vel craſſiorem & nigriorem ſanguinem.
ibid.37. διάθεσις, i.e. diſpoſitio.
347,56. σφάλμα γραφικὸν, i.e. Erratum ſcripturæ.
349,6. ἐπέχω, i.e. dubito.
363,29. ὁμογενής, i.e. eiuſdem generis.
ibid.52. ἀνάλογοι, i.e. proportionalis.
365,21. ἀντιλογίαν, i.e. contradictionem.
369,39. ἐμπειρικώτατοις, i.e. ignaris.
371,27. καθ' ἀντιπερίστασιν, i.e. ſecundum circumſiſtentiam contrariæ qualitatis.
ibid.51. παῤῥησίαν, i.e. libertatem loquendi.
372,23. παράδοξον, i.e. præter opinionem.
375,4. ἀμεθοδευτότερως, i.e. minùs methodice.
ibid.11. πραγματείαν, i.e. tractationem.
ibid.18. τὴν καθόλου, καὶ κατὰ φύσιν, i.e. vniuerſalem & naturalem.
ibid.33. τῶν κατὰ μέρος μόνον φθειρομένων, i.e. quæ particulatim corrumpuntur.
377,27. δηλητήρια, i.e. Medicamenta lethalia.
378,11. τὴν ἀποκριτικὴν δύναμιν, i.e. diſcretricem facultatem.
379,17. ἐγχειρήσει τῶν ἐν μέρει, μάλιστα δὲ τῆς λεγομένης χυμείας, i.e. tractatione particularium, maxime vero chymia, quam vocant.
380,45. ἡ χεὶρ αἰτία ἐστὶ τῆς σοφίας, i.e. manus cauſa eſt ſapientia.
ibid.46. τὴν ἄσκησιν τῇ μεθόδῳ καὶ λόγῳ, i.e. exercitationem methodo & ratione.
ibid.47. τὰ καθόλου, i.e. vniuerſalia.
ibid.55. πρὸς τὰ ἐν μέρει, i.e. ad particularia.
382,27. ἔμμεσα, i.e. mediata.
ibid.28. ἄμμεσα, i.e. immediata.
ibid.32. πρός τι ἀντιστρέφοντως, i.e. ad aliquid conuertibiliter.
ibid.35. ἀνώνυμον, i.e. carens nomine.
384,3. νόημα, i.e. notionem.
ibid.26 ὑφιστάμενον, i.e. ſubſiſtens.
385,54. τὸ ἐν ἀρχῇ λαβεῖν, i.e. principium petere.
388,19. τῇ ἐνεργείᾳ, i.e. actu.
ibid.20. τῇ δυνάμει, i.e. potentia.
ibid.37. ἀναλογόν τι, i.e. proportionale aliquid.
390,2. τῷ ὄντι, i.e. reuera.
ibid.12. κατ' ἐξοχὴν, i.e. per excellentiam.
ibid.13. γενικῶς, i.e. generaliter.
392,6. αὐτοχειρί, i.e. manu mea.
ibid.10. τοῖς μὴ μεμνημένοις, i.e. iis, qui non memores ſunt.
395,16. διαφορητικά, i.e. diſcuſſoria.
396,9. σφραγῖδας, i.e. ſigilla.
ibid.48. ἀπροσδόκητον, i.e. intempeſtiuum.

397,48. τὰ καλούμενα, i.e. menſis.
406,14. εὐπόριστα, i.e. facile parabilia.
Ibid.25. τῶν ἀκοπρωτικῶν, i.e. eorũ medicamentorum, quæ fimum deiiciunt.
407,15. Νήπιος (γὰρ) ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει, i.e. Stultus enim eſt, qui parata relinquendo, imparata perſequitur.
Ibid.17. αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον, i.e. eadem menſura, & melius.
409,5. πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus.
412,14. μυστικῶς, i.e. arcane, vel ſecreto.
Ibid.21. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, i.e. vt plurimum.
Ibid.34. προφυλάξει, i.e. præcautione.
Ibid.38. τῷ ὄντι οἰκούμενον, i.e. reuera domeſticum.
Ibid.40. ἐκ τοῦ περισσώματος, i.e. ex abundantia.
Ibid.46. ὁ ἀναγκαστής, i.e. Zuingerus coactor.
414,40. ἀγαθὰ δὲ ἐστι οὐδὲ βροτοῖσιν, i.e. Bona vero contemptio hæc hominibus.
419,33. πνευματώδεις, i.e. flatulentas.
420,49. γραμματοφόρῳ, i.e. tabellario.
421,2. ὁρμητήριον, i.e. perfugium.
Ibid. ὡς πολιτικῷ σχήματι, i.e. vt ciuilem prætextum aut ſpeciem.
424,27. ἐπισταμένως, i.e. ſcienter.
425,7 αὐτογράφῳ, i.e. ex eius manuſcripto.
Ibid.10. παρὰ τὰ ἐν ὑπολειπόμενα ἐν τῇ νόσῳ, i.e. præter ea, quæ relicta fuerunt in morbo.
Ibid.14. ᾧ τὸ ἔντερον ἐπὶ τὰ δεξιά, i.e. cui inteſtinũ in dextra parte.
426,29. ἱδρωτικὸν, i.e. ſudorem mouens.
429,1. τὰ γῆς ἔντερα, i.e. terra inteſtina.
ibid.35. ἀκυρολογία, i.e. improprietas.
ibid.37. αἱματώσεως, i.e. ſanguificationem.
ibid.42. τῶν ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν, i.e. tractationum Anatomicarum.
433,23. ἀνεῤῥίφθω ὁ κύβος, i.e. Iacta eſt alea.
436,10. ἐνδείκνυται, i.e. oſtendit cum actu.
440,13 τὰ ἴσχοντα, τὰ ἰσχόμενα, καὶ τὰ ὁρμῶντα, i.e. continentia, contenta, & impetum facientia.
ibid.22. κατ' ἄλλο, i.e. ſecundum aliud.
441,10. σωματικὴν οὐσίαν, i.e. corpoream ſubſtantiam.
Ibid.11. πνευματικὴν, i.e. ſpiritualem.
442,0. ὀψὲ μὲν τελεσθὲν, ἀλλ' οὔποτ' ὀλεῖται, i.e. ferum, quod tarde perficitur, cuius gloria nunquam peribit.
447,54. περὶ τῶν γυναικείων, i.e. de affectibus mulierum.
448,8. γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, i.e. noſſe, quæ oportet, & hæc oratione exponere.
ibid.50. ἀποδοχὰς, i.e. partes excerptas.
449,14. μυριανδρία ἀγαθῶν ἀνδρῶν, καὶ ἀγαθῶν ἰατρῶν, i.e. magnus cœtus bonorum virorum, & bonorum Medicorum.
450,14. εὐχῆς ἔργον ἢ φαρμάκων, i.e. precum opus, quam Medicamentorum.
451,23. ἐργοδιώκτου, i.e. vrgentis opus, ſiue monitoris.
452,19. ἀποδοχὴν, i.e. partem excerptam.
455,1 σκατοφάγους καὶ οὐροπότας, i.e. ſtercoris deuoratores, & Vrinæ potores.
458,1. ἄγριος, i.e. agreſtis.
ibid.13. προδρόμοις, i.e. præcurſoribus.
ibid.16 τὸν δεύτερον πλοῦν, i.e. ſecundum nauigationem.
462,28. ἔμφασιν, i.e. indicium.
ibid.29. λοιμικὰ φάρμακα, i.e. remedia contra peſtem.
464,55. ἐν τῇ δυστοκίᾳ, i.e. in difficili partu.
466,2. ἐπεισάγματα, i.e. farcinæ, quæ præter legitimũ opus imponitur.
468,5. δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, i.e. ſecunda cura ſapientiores.
ibid.52. ἡ πεῖρα κάλλιστον χερσὶ διδασκαλεῖον, i.e. experientia eſt optima manibus ſchola.

ibid.56.

ibid.56.σπάνιον γὰρ τὸ εὖ, i.e. Quod bonum eſt, rarum eſt.
469,4.ἰσότης γὰρ ἡ φιλότης, i.e. Æqualitas enim eſt amicitia.
ibid.16.ἀσαφείας, i.e obſcuritates.
ibid.18.τῷ τυχεῖν ἢ ἀποτυχεῖν, i.e. tangendi ſcopum, vel ab eo aberrandi.
470,40.κριτὰς ἀεὶ ἀκροατάς, idest, iudices ſemper non auditores.
471,3.τὰ ὕστερα πρότερα, i.e. posteriora priora.
ibid. 8. συγκείμενος ἱστορίας συνέσεως ἐν αὐτῆς διεσπαρμένην ἦν, i.e. Elegantis hiſtoriæ prudentiam in eo eſſe diſperſam.
ibid.18.φιλοπονίας, i.e. ſtudium laboris.
ibid.19.οὐρομαντείας, i.e. diuinationis ex vrina.
ibid.21. ἐποχῇ, i.e. dubitatione, ſeu aſſenſionis retentione.
ibid. 37.λογισμόν, i.e. ratiocinationem.
ibid 38.ἄσκησιν, i.e. exercitationem.
473,6. πνεύματα καὶ ῥεύματα, i.e. flatus & fluxus.
ibid.1..πῦρ πάντα κινεῖν, ὕδωρ πάντα τρέφειν δύναται, id eſt, ignis omnia mouere, aqua omnia nutrire poſsit.
ibid. 16.νεογάμῳ, i.e. recente ſponſo.
ibid.25.ἀπολογίᾳ, i.e. defenſione.
474,5 ὡς καθόλου εἰπεῖν, i.e. vt vniuerſaliter dicam.
ibid.59.αὐτὸ ὑφηγεῖται, i.e. enim, quo manum ipſe admonet.
478,5.τὸ ὅτι, i.e. quid eſt.
ibid.6 τὸ διότι, i.e. propter quid, ſiue quia eſt.
480,9.βίον ἀβίωτον, i.e. vitam minime vitalem.
ibid.17.αὐτοσχεδίως, i.e. ex tempore.
ibid. 19. ἀντιλαμβανόμενον μηχάνημα, i.e. artificium, quod alterius vicem præſtet.
ibid.59.ἡ πεῖρα, i.e. experientia.
481,16.πότιμον, i.e. potabile.
ibid.24.σοφίσματα, i.e. fallacia, argutiæ.
ibid. 25. ἀτυχήματα & ἁμαρτήματα, i.e. fruſtrationes & errata.
483,33.νοσηρὰ ἀπόκρισις, i.e. morbida excretio, ſiue exhalatio.
485,8.τῇ ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας, καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος, i.e. proprii in quolibet humido, & naturalis caloris, ab alieno calore.
486,42. ἀναγκαῖον ἄμα τῷ ζῆν ὑπάρχειν καὶ τὴν τῆς θερμότητος συμφύτου σωτηρίαν, καὶ τὸν καλούμενον θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν, i.e. Neceſſe igitur ſimul & vitam exiſtere, caloris huius connati conſeruationem, & mortem, quæ vocatur, eius eſſe extinctionem.
487,45.μαραίνεσθαι, i.e. exareſcere.
ibid.48. καλοῦμεν δὲ τὴν μὲν ὑφ' ἑαυτῆς μάρανσιν, τὴν δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων σβέσιν, i.e. vocamus autem, quæ a ſe ipſo ſit, marcorem, quæ autem a contrariis, extinctionem.
ibid.52.μάρανσις, i.e. Marcor, ſiue tabes.
ibid.56.ἐπίκτητον πάθος, i.e. attractam paſsionem.
ibid.59.σῆψις & σαπρότης, i.e. tabes & putrefactio.
488,1.γῆρας, καὶ κατὰ φύσιν μάρανσις, i.e. ſenectus, & naturalis tabes.
ibid.2.βίαιος μάρανσις, i.e. violenta tabes.
ibid.4.θάνατος δέ ἐστιν ὁ μὲν βίαιος, ὁ δὲ κατὰ φύσιν. βίαιος μὲν ὅταν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν ᾖ, κατὰ φύσιν δὲ ὅταν ἐν αὐτῷ, καὶ ἡ τοῦ μορίου σύστασις ἐξ ἀρχῆς τοιαύτη, id eſt. Mors autem eſt alia quidem violenta, alia vero naturalis. Violenta quidem cum principium extrinſecus eſt: Naturalis autem cum in ipſo (ſcilicet animali) & partis conſtitutio a principio talis eſt.
ibid,22. παλαιότης δὲ καὶ φθορὰ βίαιος μὲν ἡ τοῦ θερμοῦ σβέσις καὶ μάρανσις (φθαρείη γὰρ ἂν δι' ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν ἡ αὐτοῦ τούτου μάρανσις διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειότητα, i.e. Interitus autem & corruptio violenta quidem, caloris extinctio, & tabes, (corruptio enim fieri poteſt propter ambas has cauſas) Naturalis vero einſdem huius tabes, propter temporis longitudinem facta, & perfectionem.
ibid. 44. τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, i.e. eorum quæ particulatim corrumpuntur.
489,25.ὁ μὲν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, i.e. proprie vtique dicitur putrefactio de iis, quæ particulatim corrumpuntur.
490,34. κατὰ μέρος φθειρομένοις, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως, quæ particulatim corrumpuntur cum receſſerint a natura.
491,4.πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρύ, ſpiritum futilem & grauem.
497,19.& 505,41. τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι ποιεῖν αὐτὴν μόριον, i.e. nunquam lædi vllam actionem, niſi patiatur pars eius effectrix.
499,6.νοήματα, i.e. notiones.
500,14 τῶν ἀδυνάτων, i.e. impoſſibilium.
501,23.τὴν πρώτην σύνθεσιν, & τὴν δευτέραν σύστασιν, i.e. primam compoſitionem, & ſecundam conſtitutionem.
514,7.ἐν ἐγχειρήσει τῇ χυμικῇ, ideſt, in tractatione chymica.
ibid.50.οὐσιώδει, i.e. ſubſtantiali.
ibid.53.πάντα μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὑτῶν ἔργον, ἀληθῶς ἐστιν ἕκαστα, οἷον ὁ ὀφθαλμός, εἰ ὁρᾷ. τὸ δὲ μὴ δυνάμενον, ὁμωνύμως, οἷον τεθνεώς, ἢ ὁ λίθινος. οὐδὲ γὰρ πρίων ὁ ξύλινος, ἀλλὰ ἢ ὡς εἰκών, i.e. omnia enim quæ poſſunt facere ſuum opus, vere ſunt ſingula, vt oculus, ſi videt. Quod autem non poteſt, æquiuoce, vt mortuus, aut lapideus. Neque ſerra eſt quæ lignea eſt, niſi vt imago.
ibid.57.οὐ γάρ ἐστι πρόσωπον μὴ ἔχον ψυχήν, οὐδὲ σάρξ, ἀλλὰ φθαρέντα, ὁμωνύμως λεχθήσεται, τὸ μὲν εἶναι πρόσωπον, τὸ δὲ σάρξ, ὥσπερ κἂν εἰ ἐγίγνετο ξύλινα ἢ λίθινα, i.e. Non eſt enim facies, non habens animam, neque caro. Sed corrupta æquiuoce dicentur, illud quidem eſſe facies, hoc vero caro, perinde ac ſi fierent lignea vel lapidea.
515,6.ἐπ' αὐτῇ δὲ δεῖ καὶ τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους λήμμα, περὶ οὗ κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πρώτου βιβλίου διῆλθον, i.e. De hac etiam eſt Ariſtotelis ſumptio, de qua in fine primi libri egi.
ibid.10. τῆς προσθήκης κελευσθεὶς ἐν ταῖς ὀργάνοις ἑτερότητα καὶ ταυτότητα ἐνεργείαις, καὶ ταῖς χρείαις αὐτῶν, i.e. in organis, ſiue inſtrumentis diuerſitas, & identitas operationibus, & vſibus eorum indicanda.
ibid.42.ἄνευ τοῦ θιγγάνειν, i.e. ſine contactu.
516,34. διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα, οὐδ' ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην, καὶ τὸ οὗ ἡ ὕλη, id eſt, Quare & non quærere oportet, an vnum ſit anima & corpus, ſicut neque ceram & figuram, neque omnino cuiuſque materiam, & id cuius eſt materia.
518,55.πρός τι καὶ ἀντιστρέφοντα, i.e. ad aliquid, ſiue relatiua, & conuerſim.
519,50.ὁμογενῆ, i.e. eiuſdem generis.
ibid.53.ἑτερογενῆ, i.e. diuerſi generis.
521,30. οὗ δὲ ἕνεκεν ἐστι καὶ γίγνεται, καὶ ὕλη αὐτοῦ αὕτη τυγχάνει, id eſt, Cuius autem gratia vnumquodque eſt, & exiſtit, ea illius materia eſſe ſolet.
ibid. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει, ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα, οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλὰ ὁμώνυμα, i.e. Omnia vero opere definita ſunt, & potentia, vt cum amplius non ſunt talia, non dicendum ſit, eſſe eadem, ſed æquiuoce.
ibid 35.ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργον ἐστίν, ἕνεκα τοῦ ἔργου, id eſt, quorum opus eſt, eorum vnumquodque cauſa operis eſt.
ibid.52.ἡ δὲ φύσις τέλος. οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης,

ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου. i.e. *Natura vero finis. Quale enim vnum quodque eſt generationis perfectæ, hanc vniuſcuiuſque naturam eſſe dicimus, velut hominis, equi.*

522,4. τὸ οὗ ἕνεκα τὸ τέλος, i.e. *eſſe & finis.*

525,16. εἰ γὰρ ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ζῷον, ψυχὴ ἂν αὐτοῦ ἦν ἡ ὄψις. *id eſt, ſi enim oculus eſſet animal, Anima ipſi eſſet viſio.*

526,17. τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως, i.e. *abſtracta.*

ibid. 18. τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα, i.e. *inſita.*

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HIS EPISTOLIS MEDICINALIBVS MEMORABILIVM:

Cuius prior numerus cuiuſq; paginæ columnam, poſterior lineam demonſtrat.

ACeto quomodo lædatur & impediatur 131. 37
Actionē lædi dupliciter 125, 23
Aceteempyrenma 369. 37
Acetū radecatā margaritas diſſoluere 275, 28
Adamantem magnetis attractionem non impedire 506, 56
Aerem a muliere menſtruata contaminare 184, 58
Ægri Paracelſi intra annum mortui 315, 52
Ægritudinum genera tria 127, 42
Æthereum calorem extra ſuum ſubiectum corrumpi 408, 40
Alces vngula in epilepſia inualida 61, 3
Alimenti defectus cauſa extincti caloris proxima 487, 50
Alphonſus rex diæta cōtēptor 346. 41
Alui fluor in variolis quomodo ſiſtendus 250. 28
Ambiens Ariſtotelis quid 341, 30
Ambra pro peſte 181, 52
Ambra chryſea in morbis peſtilentialibus ſucceſſus felix 224, 20
Ambra ſulphurea in morbis pectoralibus vſus 239. 12
Amuletum de arſenico pro infectione 394. 59, 401. 5
Amuletorum vis parua 63, 37
Andernacus chymea ſtudioſus 155. 50
Andernaci de peſte ſententia 222, 24
Animalis perfectio in quo 526. 20
Animi affectus refrigerare & calefacere 64, 6
Animi in deliquiis quomodo metalla Conueniant 509, 3
Aniſum purgans 469 26
Anodyna quæ & qualia conueniant podagra 348, 39
Anodyno in dolore podagrico 309, 19
Antidoti præſeruatio a peſte 461, 47 cum ſeqq.
Antidoti parum tribuendum, vbi veneni gradus ignoratur 477, 4
Antidotum Mothani 409. 42
Antidotus vera veneni peſtilentis ſoli Deo nota 230. 46
Antimonio in ſcabie antiqua, reliquis nihil conferentibus, quidam curatus 54. 51
Aperientia nimia noxia 391,
Apoplexia an morbus hæreditarius 291 7
Apoplexia cauſa 7, 40
Apoplexiam ante quadrageſimum annum non inuadere, teſte Hippocrate 7. 33
Apoplexiam raro à nuda intemperie oriri 2, 50
Aqua cocta an recte in potum vſurpetur 28. 23
Aqua in aſthmate 481, 33
Aqua pro oculis 151, 13
Aqua ſaturis in ſuffuſione adhibita 151, 12
Aqua pulegii in prouocandis menſibus 310, 38
Aqua vitæ in apoplexia 9. 17
Aqua cocta vini loco ſumenda præparatio 314, 20
Aqua coquenda optima rationque 28, 29
Aquafortis natura 378, 48
Aquæ Viennenſes omnes nitroſa 284, 36
Aquam cinamomi in æneo vaſi infuſam vomitum mouere 291, 55, 295, 27
Aquam frigidam dolores colicos ſedare 252, 52
Aquam Tyberis ad centum annos incorruptam perdurare 316, 3
Arabum doctrina ſolida 115. 22.
Arabum doctrina non reiicienda 334 42
Arcula in temple Apollinis contagioſa 185, 30
Arſenicum cordi appenſum periculoſum 282, 20
Arthritis an critica ſit æque periodica, 428, 34
Arthritis Petri Monaui 421, 20
Arthritides diuerſæ 421, 56, 424. 20
Arthritidis cauſa 146, 7
Arthritidis curationis ſcopi 348, 5
Auenzoar inter Arabū medicos ſummus 181, 17
Auri & gemmarum vis varia 509, 13
Auri materia propria quæ 76, 37
Aurum potabile ſanitatis conſeruatrix 77, 2.
Aurum potulentum ſophiſticum 481, 15.
Autumnus tabidis infeſtus 12, 18
Axungia oleaginoſa omnes anodyna 75, 10

B

BAlneum aquæ dulcis ſomnum conciliare 10, 52
Balneum formicarum ad quid 251, 23
Becchicarum vſus in cholicis doloribus 299, 45
Bezoar in peſte parum conferre 164, 15
Bezoarctico lapidi in alui fluxu Cratonem parum tribuere 250, 35
Bilem cum pituita educere num ſit rhabarbari finis 66, 7
Boletus ceruinus pro peſte 181, 53
Boli Armeni ſuccedaneum 218, 3
Boli armeni vſus in diaphoreſi 227, 19
Bolus armena terra ſigillata ſubſtituitur 151, 57
Bolus in hypochondriaca paſſione 153, 27
Bolus orientalis 189. 14
Bolus Tocaenſis in peſte laudatur 227, 48
Bolus Tokienſis ad catarrhum 220, 9 221, 58
Bolum armenum ad peſtem conferre 302, 23
Bonum eſſe communicatiuum 238, 2
Brudi Luſitani de lapide Bezoar. iudicium 307, 42 (Chaim 308. 46

C

CAlculi cauſa 306, 8
Calculi materia 133. 34
Calculi per aluum reiecti 245, 39
Calculoſi cura 217, 22
Caldaria plumbea ſalis vehementiſſimo igne non diſſolui 137, 23 ratio ibid. 29, 355, 35, 369. 8
Calida corporibus laxis minus quam denſis nocere 311, 41
Calidi actiones 202, 16
Calidi innati famula 34, ibid
Calidi origo ſubſtantia 201, 10
Calidi temperamentum 46, ibid.
Calidum innatum num in febribus patiatur 202, 51
Calor an cœleſtis forma 206, 41
Calor innatus quid Ariſto. & Gal. 341 43
Caloris corruptio duplex 486, 56
Caloris inſiti & influentis differentia 336, 35
Calorem exuſcitantia 98, 2
Camphora pro peſte 181, 51
Camphora quibus non danda 228, 28
Capitis lotiones frequentes improbari 349, 5
Capiuaccii methodus medendi 415, 51 eius diligentia in lectionibus de veneni 35. ibid.
Caput & neruos roborantia 395. 38 408. 21.
Carbo in fruſto ſalis purgans 34, 48
Carrichteri imperitia qualis 273, 21
Caroli de Petra alba ſomnium de ſpiritu vini 274, 41
Caroli Oſlenii more 466, 57
Carpo quæ alligantur, an cor & epar intrent 45. 49
Caruncula quædam fibroſa in dentis medtullio reperta 54, 50
Caſei aut liquoris poſt deglutitionem cur exſcreatio fiat, molimque ſpuatur eiiciatur 50. 25

Z 6

Digitized by Google

Caſus vbi duo millia hominum vena ſectione perierint 187.24
Cataplaſma in contuſionibus & plagis capitis 87.18
Cataplaſma pro gangrana compeſcenda 87.9
Catarrhi epidemici quale contagium 360.28
Catarrhus epidemicus contagioſus 356.26
Catholici vſus in lue venerea 477.35
Cauſa coniuncta & προηγουμένη quomodo differant 214.10
Cauſa cōtentiua quomodo in omni morbo 130.4
Cauſa continens, & morbus an idem 214.26
Cauſa contentiua quid 126.46
Cauſam contentiuam a coniunctiua differre 127.58
Cauſas continentes in morbis non dari 350.35
Cautela in liberiori dieta 460.13
Cautela pro colica laborantibus 247.22
Cauteria conſolidata lethalia 291.39
Cauteria προφυλακτικὰ epilepſia 211.8
Cauterium in podagra vtile 11.58
Cera in aqua an liqueſcat 138.6
Cerenſiam creta inuecta depurari 228.14
Ceruſſam in plumbo vſto differre 511.17
Chalcanthi & Chalcitidis differētia 153.36
Chalcanthi liquor ad quid 380.10
Chalcitis quid 294.6
Chalybis preparatio 320.10. 310.39
Chamedrys in ſputo ſanguinis probatur 300.55
Chelidonio elementa quatuor a chymiſtis decantata qua 156.20
Chelidonia primi liquoris vires ibid. 50. ſecundi, 157.8. tertii 35. ibid.
Chymia quatenus reprehendenda 514.9
Chymiam Paracelſo falſo adſcribi 6.32
Chymicorum cum Ariſtotele in metallorum principiis conſenſus 361.47
Chymicorum in chronicis vſus 155.10
Chymicorum vſus in chronicis morbis probatur ibid.
Chymicorum vtilitas & cautela 115.56
Cibi quantitas magis quam qualitas reſpicienda 347.7
Cibum capere refrigeratis, & madentibus pedibus, cerebro noxium 7.6
Cibus in quanto pernicioſior, quam in quali 459.38
Clyſter pro aluo 10.44
Clyſterum doſis 248.45
Cocta ab igne an omnia empyreuma habeant 511.6
Coctionis fruſtrationem & actium differre 506.14
Cogeleri electuarium in peſte multis viſiter exhibitum, 394.51. eius dexter vſus 408.37
Cochlearia ſuccum ad hydropem mirifice conducere 221.40
Colici cura 246.41
Collyrium in ſuffuſione oculorū 150.44
Cometa ſupra lunam 35.20
Cometam humiditatem attuliſſe 58.31
Conciliatio contradictionis Galeni 127.23
Confectio de Rhabarbaro in epatis obſtructione 447.36
Coniunctionem luna non impedire remedia 246.38
Contagii natura 327.22
Contagii vis in putredine 131.36
Contagium Montano quid 174.35
Contagium quid 64.45
Contagium ſine temperiei laeſione non induci 481.40
Contagium verum putredinis ſobolem 135.1
Contrariorum cur alia ἄμεσα, alia ἔμμεσα 518.44
Conuerſatio vetularum quibuſdam noxia 184.48
Conuulſio Epileptica ex conſenſu vteri 254.8
Cor febrium focus 81.24
Cordis temperiem ſubito mutari 495.47
Corporis omnis exhalatio noxia putrida 184.25
Corroborantia neceſſario nutrire 508.44
Cortex frangulæ ad quid 278.45
Coryza contagioſa 188.45
Cratonis de calido innato ſententia 200.43
Cratonis de catarrho opinio 184.6
Cratonis de catarrho epidemico probabilior quam Mercurialis ſententia 358.32
Cratonis de lue Moranica hypotheſes 242.53
Cratonis de peſte ſententia 190.4. 193.37. 229.58
Cratonis de peſte & contagio ſententia qualiter a Montani diſcrepet 174.56
Crato de ſenſor chymia 239.30
Cratonis deſtillatum 425.26
Cratonis iudicium de camphora temperie 462.21
Cratonis tractatus de morbis mulierum 449.51
Critica expulſio non cauſa fluxionum periodicarum 424.13
Cryſtalli vſus non tutus in epilepſia 217.10
Cryſtallus verum argenti viui alexipharmacum 430.32
Cura cæcitatis ex obſtructione neruorū opticorum 149.50
Cura œdematis in tibia 97.18.
Curatio Gallica inconſueta 216.34
Cuſcuta in ictero nihil praeſtantius 222.55
Cuſpides cornu ceruini contra venena 264.50

D

Decoctum ad calculi dolores 265.33
Decoctum ad tuſſim 218.55
Decoctum corticum guaiaci ſitim reſtinguere 469.32
Decoctum ellebori nigri ad humorē melancholicum demulcendum 410.18
Decoctum radicum eryngii in febre quartana 404.43
Decoctum in craſſis fluxionibus 300.55
Decocto leniente, in catarrho mane, noctu vero gargariſmo repellente vtendum 4.17
Decoctum ligni pro epileptico 263.9
Decoctum pro meſenterii obſtructionibus 257.55
Decoctum raparum pro tuſſi 218.15
Decoctum raparum pro peſte 182.1
Decoctum Sarſa in apoplexia praeſeruatione remedium diuinum 8.18
Denti partem gingiuis tectam ſaltem ſentire 312.54
Deſtillatum caponis reſtaurans falſum 73.58
Deſtillationum modi conficti 274.44
Diacodion in fluxionibus ad aſperam arteriam 447.30
Diaſcordium Fracaſtorei in peſte laudatur, 394.57. facilis praeparationis 408.42
Diata podagricis optima 266.47
Differentia ſubſtantiales improprie contraria 124.2
Difficultas doctrina de pulſibus & vrinis 58.47
Diſcrimen inter temperiem & proprietatem 130.47
Dyſenteria praeſeruatio 455.59
Diſputatio de calido innato intricata, 191.52. eius vtilitas 205.35
Diuretica an in calculo conueniant 305.13
Diuretica in calculo perfecto non conuenire 306.26
Diuretica proprie qua ibid. 44
Dolor unus ab humido 353.45
Dubia in febre peſtilentiali 225.30
Dulcia noxia 134.20

E

Eclegmata nō tuta in catarrhis 299.40
Electuarium ad cardialgiam, & aluum leniendam 207.17
Electuarium caryophyllatum in ventriculi imbecillitate 447.4.
Electuarium de chalybe in obſtructionibus viſcerum 320.13. 449.36
Electuarium lenitiuum 419.14
Electuarium Macis in corroboratione cerebri & cordis 446.53
Electuarium pro viſcoſis humoribus euacuandis 17.28
Elementa quatuor Chymiſtis dicta ex Chelidonia vt ſeparanda 156.28
Empiricum quartana remedium 198.8
Emplaſtrum epilepticum 266.26. 268.6
Emplaſtrum in ſuffuſione 251.5
Emulſio in retentione vrina ā calculo 310.57

Epar

Epar venarum principium & origo 112 8, 331, 12
Epilepſia diagnoſi ſignata 240, 27
Epilepſiæ remedium 260, 55
Epileptica remedia 264, 30
Epilepticum Imperat. ſecretum 216, 56
Epithema in dolore capitis 3, 6
Epithema pro ſudore 11, 16
Eraſti de pareſi poſt colicam ſententia 129, 50
Eraſti ſententia de medicamentorum facultatibus 20, 45
Errhina cerebrum concutere 9, 49
Error auctionibus plumbo unde 156, 57
Error in deſtillatione aqua vitæ 241. 43
Error Neotericorum a confuſione homonymia 501. 9
Euporiſtum producendo capillis ſingulare 413, 1. & 14
Experimenta in quartana parum valere 181, 55
Experimentum epilepſiæ in quadratura exhibendum 1, 55
Experimentum Heldai in ſputo ſanguineo fallax 513 36
Experimentum in apoplexia præſervatione 9, 56
Experimentum in febri tertiana 3, 12
Experimentum novum de radice plantaginis 462. 12
Extractum agalochi ad corroborationẽ ventriculi 17, 31
Extractum è radice iridis pro hydropicis 220. 18
Extractum hydropicis exhibendum 220 8
Extractum Rhabarbari in melancholia hypochondriaca 17, 8
Extractum ſolutivum 102, 45
Extractum veronicæ pro peſte 222, 44
Extractũ zedoariæ pro paralyticis 481 42

F

Fallopii de Fernelio iudicium 195. 15
Febricitantes in paroxyſmo an cibandi 56. 30
Febris a definitione peſtis cur excludatur 326. 32
Febris acuta an accidens pleuritidis perpetuum 108. 44
Febris catarrhalis contagioſa neceſſario putrida 216. 25
Febris peſtilentialis ſymptoma proprium colliquatio 171. 50
Febris qualis morb 374. 32
Febris recidiva an contagioſa 186. 3
Febris ſigna 179. 18
Febris a catarrho putrida 186. 52 188. 40
Febres fieri victione 80. 15.
Febrium putridarum vapores cur non aliquam cordis partem putrefaciant 496. 30
In febribus num ipſo die paroxyſmi purgandum 358. 2
Fernelii ſecretum in dolore capitis 4
ventriculo 298. 50
Flores perſicorum ad hydropem cõducere 221. 46
Fluxionum in principio adſtringentia adhibenda 300. 4
Fluxionum peſtilentialium præcautio 287. 10
Fœtorem omni putredini non convenire 343. 56
Fomentatio in ſuffuſione 150. 18
Fomentatio pro oculis 150 29
Fomentum in febri ardente 240. 23
Fomes quid 327. 33
Fomentum in paralyſi 426. 35
Forma vegetabilis in medicamẽtis amiſſa, vires remanere 56. 59
Fotus ventriculi in cruditate 298. 34
Frumenta, niſi orbata vita, non alere 526. 14

G

Galbani deſtillatum in colica 246 56
Galbanum in pareſi quid conferat 63. 47
Galenica remedia Paracelſicis tutiora 381. 15
Galeni ſententia de plumbo refutatur 135. 44
Galeni inter calorem & calidum diſcretio 440. 17
Galenus in navigatione verſus Iudeam mortuus 116. 50
Gallico morbo laborans antimonio curatus 57. 28
Gargariſma in dolore capitis è ventriculo 248. 57
Gargariſmus in apoplexia 9. 35
Gargariſmus in catarrho 4. 43
Gemma vera quæ 217. 26
Gemmarum fulgor an ſpiritus alat 509 52
Gemmas, aurum, & argentum utiliter adhiberi 376. 54
Generatio an motus in ſubſtantia 206. 43
Geranium matracium 434. 4
Gingivarum exulceratio 290. 43
Gonorrhææ gallicæ ſymptomata 276. 36
Gravidæ an lactare debeant 216. 7
Guaiacum gallicis tantum Sanctum vero etiam aliis prodeſſe 285. 51

H

Hauſtus chinæ in febri tertiana 2. 45
Hæmorrhoides qualiter provocando 421. 41
Hæmorrhoidum dolorem ſedantia 212. 59. 218. 41
Hippocrates primas qualitates cur relictas 472, 48
Hippocratem totum Pariſiis quendam elaboraſſe 156. 5
Hiſtoria ægra puellæ 23. 17
Humanitas ab homine qualiter differat 516. 40
Humores an nutriant 57. 31
Humores in febribus quomodo putreſcant 332. 34
Humores ſeorſim putreſcere medice, non philoſophice 49. 34
Humores foras educentia 212. 34
Humorum & ſpirituum ſubſtantia pars an calidior 203. 7
Hydrargyri motus ab aere 325. 36
Hydrargyri uſus 357. 11
Hydrargyrum collo appenſum in peſtilentiali contagio 401. 2.
Hydrops pulmonis unde 236. 38.
Hydropis & aſthmatis in podagram translatio 306. 45
Hydropis præſervatio 221. 49. 249. 37.
Hydropicus rhabarbari frequenti uſu ſanatus 18. 46
Hymen virginitatis index. 30. 58

I

IDea Hippocratica Cratonis 218 32
Indicatio quid 170. 20
Infectio an è vapore putrido 244. 28
Inunctio in dolore inteſtinorum 248. 51.
Inunctio ſpinæ in alvi fluxu 210. 43
Inſania paracelſica deploranda 242. 41
Intemperies duplex 490. 43
Ioannes Langius de philtris 409. 52
Ioannes Pedemontanus aſſiduo antimonii uſu firmam ſibi comparavit valetudinem 55. 12
Iudicium de urinis 102. 15
Iudicium Dudithii de cometis 525. 21.

K

LActis corrupti è coitu cauſa 210 37
Ladanum ad ventriculi robur 155. 55
Lapis an medicamentis confringi poſſit 54. 2
Lapis Bezoar 228. 55
Lapis calaminaris pro oculis 26. 48
Lapis de Peru pro epilepſia 217. 12
Lapis ſabuloſus vulgo Beynbruch 528. 9
Lapidis renum cauſa duplices 113. 16.
Lapidem Bezoar in febri catarrhosa plurimum in Hiſpania profuiſſe 188. 6
Leporem marinum pulmonem exulcerare 502. 28
Liber de cognitione pulſuum ad Poſthumum legitimus 107. 30.
Lienem ſanguinem conficere 372. 24.
Lignum guaiaci an in arthritide conveniat 413. 50
Lignum ſanctum & Guaiacum diverſum 285. 32
Liquor pro ſurdaſtris 86. 55
Lobelii verba de radice Mechoaca 32. 51
Lotio diſcutiens & emolliens 97. 24

M

MAgiſterium perlarum ventriculum corrupiſſe 275. 38

Malachitem Turceſiam ventriculum plurimum roborare 217, 19
páginæ duplex 487, 18
Margaritarũ ſolutio 275, 20, 468, 40
Materia putrefactionum forma vitium 354. 29
Materiam coctam etiam die paroxyſmi in febribus recte purgari 466. 3
Materiatis in rebus dua forma neceſſario ponenda 535. 57
Mechoaca preparatio cum pane Martio 438, 58
Mechoaca radicis deſcriptio 248, 5
Mechoaca vtilitas 58, 18
Medicamenta prophilactica an ſepius mutanda 59, 18
Medicamenta proſtitutione vileſcere 473, 44
Medicamenta qua vi, & quomodo agant 31, 54
Medicamentorum compoſitio difficilima 43, 57
Medicamentum ad ſanguinem concretum in ventriculo 218. 45
Medici præcepta qualia ſecundum Galenum 164, 54
Medicorum cum philoſophis de putredine conſenſus 490, 13
Medicorum diſſenſio in peſte Venetia 393, 32
Medicus artifex ſenſilium 440. 48
Medium an inter morbum & ſanitatem 518, 36
Melancholia an morbus hæreditarius 291, 8
Melancholia hypochondriaca num ab Hepatis frigiditate 345,
Melancholicum ſuccum cur aquam Hippocrates nominarit 372, 15
Membra duo, in quibus venenum gigni poteſt teſte Galeno 523
Menſium alborum cura 425, 18
Menſibus ciendis probatiſſimum remedium 149, 10
Mercurialis de auctionis plumbi cauſa 362, 30.
Metalla non temere adhibenda 508, 36
Metalla & metallica differre ibid. 41.
Metalla num vegetabilia 522, 40
Metalla non prorſus omni vita carere 65. 48
Metalla omnia è vaporibus aqueis & terreis conſtare 155, 29
Metalla num recti & tuto intro aſſumantur 376, 30
Metallica Ariſtoteli vix cognita 362, 25
Metallica igne aciora fieri negatur 377, 49
Metallica igne vix temperari 510. 36
Metallica non omnia noxia 508, 28
Metallica nulla nutrire 376, 45
Metallica num animata 384, 11
Metallica purgare 377, 16
Metallorum tranſmutationem negarē 513, 49
Metallicorum vſus rectus 379, 7
Methodus diſtillatoria 217, 40
Methodus legendi Galenum 192
Methodus ſanitatis tuenda 419, 58
Methodus Therapeutica Cratonis 217, 38
paraplarum varietas 184, 40
Mineris vis magnetica in Epilepſia 240 11
Miſta ſimilaria atria in febribus ere 128
Mithridatii vis 98, 19
Modus applicandi ruptoria 83. 5
Molliatur primo ſumenda 56, 10
Montani laus 164, 34
Montani opinio de febre peſtilentiali 174, 28
Montanum in ſenio ætatis innati caloris eſſentiam demum agnouiſſe 199, 36
Morbi contagioſi cauſa qua 270. 15
Morbi contagioſi qui 256, 31
Morbi contagioſi non omnes maligni 356. 47
Morbi duplex conſideratio 352. 37
Morbi eſſentia num in facultate læſa 352, 5
Morbi incurabiles qui 4252
Morbum ſumi bifariam 127.
Morbum totius ſubſtantiæ extra intemperiem non dari 500. 45
Morborum contagioſorum vehiculum ſpiritus & ichores 186, 50
Morbos ſubſtantiæ totius dari 515. 58
Morbos totius ſubſtantiæ intemperiei recitius attribui 384. 35. 388. 480
Morbus epidemicus an. 80. in Germania qualis 131, 48, 132. 30
Morbus puerorum mirificus 33. 6
Morbus quid 126. 52
Morbus quomodo per ſe corporis & per accidens anima affectus 517. 13
Morbus ſine medicina curatus 42, 6
Morbus ſubſtantia non idem cum intemperie 209. 56
Morbus totius ſubſtantiæ negatur 489. 7
Morſuli purgantes 102. 38
Motus & mutationum differentia 75 35

N

NArcotica opiata viribus infirmis Perículoſe exhiberi 78. 50
Narium hæmorrhagia quidam ſanati 187. 52
Naſturtium aquaticum contra philtra præſtant 409. 37
Natura corporis illæſa temperie an deſtruatur 517. 30
Naturam ſanguine impuro interdum ſuſtentari 16. 1
Nauſea & vomitus cur in nephriticis doloribus 339, 20
Nepenthes narcoticum præſtant 391, 31
Nepenthis preparatio operoſa 472. 25
Nephritici dolores quomodo leniendi 197. 32
Nervuli in medio dentium nequaquam 512. 45
Nodulus carpo applicandus in febre tertiana 2. 54
Nodulus ex ſcobe cornu cervi & viſco quercino pro febre 183. 22
Numerorum nullam efficaciam 47. 14
Nux vomica ad canes necandos 23. 38

O

OCulariorum ſpecillorum diverſitas 321. 49
Oculus faſcinatus 184, 57
Ol. Chalcanthi abſq; igne 155. 24
Olei Terebinthina vis 208. 41
Olei vitrioli in humidioribus naturis vſus tutus 255, 26
Oleum calcanthi qualiter abſq; igne paretur 155. 26
Oleum caryophyllorum balſami loco cur ſubſtituat Schallerus in theriaca compoſ. 154. 58
Oleum caryophillorum fermentationem accellerare 154. 28
Oleum ex animalibus perfectius 75. 53
Oleum matricariæ in alui fluxu 250 39
Oleum ſulphuris gallico morbo laborantibus ſalutiferum 481. 29
Oleum ſulphuris vix recte præparari 139. 28
Oleum vitrioli ad putredines inhibendas 281. 35
Oleum vitrioli in morbo gallico 198 41
Operis divini perfectionem in circuli quadratura ex ſole triplici demonſtrari 83. 14
Opium an frigidum 40. 7
Opium noſtrum an cum illo veterum congruat dubitatur 241. 19
Oppona cum nervis noxium 9. 14
Orbiculi ad aluum ſolvendum 250. 49
Ore ventriculi affecto remedia dorſo applicanda 11. 11
Organum cauſa actionum proxima 518 20
Oxymel ad præparationē humorum 398 27. 499. 17

P

PAlpitationis cordis cauſa quæ 223. 3
Paracelſi encomium 467. 38.
eius vituperium 40, ibi.
Paralyſis cura 414. 57
Paralyſis poſt Colicam 272. 16
Pareſis intemperies frigida & humida 63. 50
Paſſula laxatiua 401. 10
Periodorum cauſam vim expulſiuam 82, 19
Perſpicilla num conferunt oculis 321. 7
Perſpicillorum vſus, aciem oculorum an hebetet 49. 59. 39. 5
Perſicorum nucleorum vſus pro peſte 181, 58
Peſtis ad quod morbi genus referenda 324. 25
Peſtis an ſine febre 41. 23. 63. 12. 65. 22
Peſtis an venenum, an rectius, contagium 65. 18
Peſtis appellationem varie ſumi 231. 52.
Peſtis cauſa 263. 57. 325. 7
Peſtis cura 263. 50
Peſtis definitio 232. 17
Peſtis duplex 230. 9 232. 6.
Peſtis effugium 645 4

Digitized by Google

-20



Digitized by Google

Peſtis forma ꝟiſ… 233. 50
Peſtis non certi morbi nomen 173.3
Peſtis num venenum, 368. 26 num philtra 27. ibid.
Peſtis ortus non primum in contagio 127. 11
Peſtis proxima cauſa contagium 38. 41, 64. 23
in Peſte abſque febre nullos mori 229. 58, 234. 49
Philoniu ante paroxyſmum vſus 3.31
Philtra melancholicos efficere 410, 5
Philtrorum natura 63. 39
Phthiſici chalcanthi vſu extincti 513 22
Phthiſicus ab Eraſto ſanatus 296.53
Pigafetta de ſanguinis, ex vno thalamo in alterum, delatione opinio falſa 333. 37
Pillula ad ventriculi ſentinam expurgandam 398.57, 400, 3
Pillula Alexandri in apoplexia 8.45
Pillula cephalicæ Fernelii, 435. 2 Cratonis ibid. 43
Pillula pro catarrho tenui 258. 30. 259. 10
Pillularum de Ladano deſcriptio 247. 30
Platonicum votum, pax & ſomnus 171 7
Plumbi natura 360. 43
Plumbum an aereum & grauiſſimum 135, 25
Plumbum combuſtum grauius 136, 48
Plumbum ſub dio vt grauius fiat, collocari 363. 22
Podagra præſeruatio 223.16
Podagra vera præcautio 216. 40
Podagrica diæta rigidior 346. 30
Podagrici num purgandi initio 280, 22
Podagricus Caro extinctus 280. 50
Pomorum vitium num putredo 420.18
Pondus tempore non augeri 135.51
Populi medicina carentes, valetudine firmiſſima 421.18
Potio digerens in paſſione hypochondriaca 13. 37 potio purgans ibid 50
Potus pro tuſſi cum ſanguinis ſputo 407. 46
Præſeruatio à phthiſi 12.1P
Præſeruatio num in ſenibus potior in diæta & exercitiis, quam medicinis electione purgantibus 160. 56
Pretioſi lapides non in ære contundendi 295.10
Problemata de qualitate & actione medicamentorum 52, 13
Problemata medicatria de peſte 44. 42
Prohibentia quomodo cognoſceda 129. 23
Proprietas num temperamentum 354. 4
Proprietas ſpecifica inſtaurationis ſpirituum, quæ 509, 41
Pſilotrum 422 44
Pueri quartana laborantes 345. 41
Pulſus cur in vno brachio interceptus, in altero integer 337. 2
Pulſus intermiſſionis cauſa 336. 7
Pulſuum theoria 107. 23
Puluis alexipharmacus pro aluo ſubducta 303. 45
Puluis contra luem veneris 444. 21
Puluis ſecoris per ducum pro febre 183. 26
Puluis ſena Montagnana ad aluum ciendam 599. 665 47 ibid.
Puluis ſomnum inducens & corroborans 21. 3
Puluis ſternutatorius 4. 37
Puluis ſtomachalis 17. 40
Puluis Zedoariæ in febri tertiana 2. 47
Purgantia etiam foris vſurpata an electiue purgent 443. 16
Purgantia num in infantum ægritudinibus nutrici danda 366. 21
Purgatio infantum 138. 59
Purgatio periculoſa motis humoribus 280. 37
Purgatrix materiæ vis qualitatibus, non formæ attribuenda 515. 19
Putredo ad πάθησιν refertur violentam 488, 43.
Putredo duplex ſecundum Ariſtotelem 331. 41 eius cauſa efficiens 336. 26 eſſentia 339. 40
Putredo ſubſtantia cordis reiicitur 222. 38
Putredinis definitio Ariſtotel. eius forma & modus, 343, 6 conuenientia ac diſcrepantia 32, ibid. gradus 344. 17
Putredinis graduum effectus 184, 29
Putredinis in peſte gradus medicis ignotus 230, 32
Putredinis ſigna occulta 494. 12
Putredinis vniuerſalis & particularis differentia 485, 33
Putredinem certam generationi oppoſi 490, 6
Putredinum occaſio maior in mulieribus ob caloris imbecillitatem 86, 3

Q

Quartana conuenientia 212. 16
Quartana cura 397, 11, 404, 38
Quæſtiones de peſte 220, 34 cum ſeqq.
Quintas eſſentias, niſi alant, non corroborare 508, 52.

R

Ranarum epar pro febre 183, 30
Rapas humorem melancholicum aperire 197. 15
Remedia an mutanda in peſte 59. 52 528. 47
Remedia febris tertianæ 2. 42
Remedia pro grauidis 224. 8
Remedium ad morſum ſerpentum 182 9
Remedium pro aluo aſtricta 207. 6
Remediũ pro calculo optimum 444. 31
Remedium pro intemperie renum calida 212, 25
Remediũ pro paralyſi, ſalutare 455. 19
Res opere & potentia definienda 521, 25
Rhabarbari elogium 18, 21
Rhabarbari homonymia 65, 59, 521. 18
Rhabarbarum quando legitimum 387. 23
Romani cur ſine medicis 42, 23
Roris marini vis 425. 41
Rotula ad epatis calorem contemperandum 397. 9
Rotula caput & ventriculum corroborantes 14, 31
Rotula ex ſuccino in apoplexia 67.
Rotula pro ſpaſmo 401, 54
Rubiæ vires 386, 46
Rubrica Synopica ſpecies tres 189, 50
Ruſma Turcarum 426, 4
Ruſticum per nares vidiſſe 109, 43, & 11, 44

S

Saccharum calculum producere 132. 52
Sal abſinthii ad putredinem inhibendam 394. 44
Sal abſinthii in ictero plurimum prodeſſe 222, 57
Sal abſtringere 137, 52
Salis pinguedo, 369, 20, diuerſa partes 42, ibid.
Saluia pro tremore 29, 37
Sanguificationem à quibuſdam etiam lieni attribui 429, 36
Sanguinis nigri miſſio vnde 290, 30
Saſſafras arthritidem non curare 281, 47
Saſſafras ligni noxa 254, 34
Saſſafras pro arthriticis 406, 54
Saſſafras vrinam mouere 213, 16
Secretum pro febre 404. 56
Secretum pro quartana 453, 30
Semen an immediate a ſanguine generetur 25, 21
Semen dauci ſaccharo obductum in ſuffocatione vteri 86, 17
Semen in balneo a virginis matrice abſorptum 30, 36
Semen Petroſelini ſyluestris Macedonico ſubſtituitur 153, 3
Senectus via ad putredinem 489, 44
Senes ad ἀσθένειαν non eſſe valentiorib. pharmacis purgandos 157. & ſeqq.
Sententiæ Galeni & Hippocratis de dolore conciliatio 130. 40
Sicca cur ſudorem proliciant 416, 38
Similaris partis triplex ſecundum Fernelium ſubſtantia 413, 10
Singultus a partibus ſpiritalibus 317 14
Singultus non vera conuulſio ibid. 22
Somni prouocatio 17, 57
Somnum meridianus cur noceat 26, 36
Spaſmi præſeruatio 401. 32
Splen quomodo aquarum ſedes 429, 9
Spiritus in guſtu ſaporem efficere 68. 30
Sputationis cauſa 323. 47
Stellarum vis in inferiora vniuerſalis 528, 10.
Stibii facultas duplex 311, 23
Stibii laudes
Stibii malignitas an præparatione priùs deriuatur 312, 20
Stillatitia ex ouis formicarum 444. 8
Stimmi vſus in infantibus 6, 25
Stranguria qualiter medendum 220. 3
Subſtantia num quid contrarium 385. 38
Succum ex acinis ſambuci in ictero præſtare 222. 58
Succus cochlearia herba ad hydropem 221, 40

Digitized by Google

Succusplantaginis in febri tertiana 3. 46
Sudor diaphoreticus vnde 10. 53
Sudorifera humidum radicale abſumere 223.22
Sudorifera peſtis tempore 325 30
Sudorificum in paralyſi 426.62
Sulphur corpora reſoluere 238.44
Sulphur neq; peſte, neq; in phthiſi exhibendum 220. 24
Sulphur preparatum in hydrope 155.35
Sulphur quid 363.2
Sulphur vſtum nihil ab arſenico differre 219. 19
Sulphuris noxa 286. 48
Sulphuris preparatio in chryſopœia artis caput 239.16
Sulphuris ſpiritum aurum penetrare 275.4
Sulphuris vſus in vlceribus pectoris 210 38
Superna cur magis quam inferna in omni elixatione caleant 370.48
Surditati quomodo ſuccurrendum 123. 25
Syderum effectiones quales 528.10
Symptomata febris tertiana 2.34
Symptomata non ſemper neceſſario morbum conſequi 128.41
Syrupus incraſſantes initio fluxionum prodeſſe 452.31
Syrupus ad humorum preparationem 398.29
Syrup. ad inteſtinorum dolorem 24.11
Syrup. de carduo pro ventriculo 254.16
Syrupus de ſpina ceruina aluum emolliens 212.48

T

TAbes & mors à philtro dato 409 30
Tabes violenta ſpecies 489.11
Tabula Fallopii chymica 207 40
Tali dislocatio 87.55
Temperamenti ſignificatio duplex 502 14
Temperamenti duplicis ratio 331.11. 334. 55
Temperamentum veteribus proprium. Neotericis vero tota ſubſtãtia 501.32
Temperies num loco forma 515. 28
Tempora expectare in morbis ſuperſtitioſum 327
Terra Lemnia 288.32
Terra ſigillata vires quæ 450 58
Terra Strigenſis eadem cum lapide calaminari facultat 219. 49
Terram ſigillatam vomitum ciere 302 8
Theriaca Schalleri 152.37
Theriaca atas obſeruanda 154.16
Theriaca Germanorum deſcriptio 402. 41
Thermarum vis 268.53
Theophraſtica quo ordine legenda 470. 57
Theophraſti encomium 116.57
Theophraſtus magus abſolutiſſimus 114. 25
Tiliæ folia contra ſpaſmum flatulentum 218. 36
Topica in podagra non reiicienda 348 18
τὸ θεῖον Hippocrat. quid 59.12. & 57.24.
τὸ θεῖον in peſte quid
Tragea ad ventriculum 397. 15.408. 24
Tragus ſpecies Mercurialis, vulgo Sprengkraut 197.36
Trincauell. de febre hectica peſtilente opinio 219. 26
Trochiſc. Hedychr deſcriptio 151.54
Turpethi mineralis vſus importunus 238. 20
Turpethum minerale an in vſu 357. 27
Turpethum minerale Zuuingeri 430. 53

T

VApor quid 125.7
Varignana remedia in hæmorrhoidum prouocatione 423 39
Vegetabilia non aqua ſed ſpiritibus creſcere 73.32
Venena an contagioſa 140. 29
Venena cur primo & principaliter corpetant 373.13
Vena in peſte an ſecanda 41. 23
Venà in pleuritide quando ſecanda 211. 44
Venæ portæ & cauæ diſtributio 113. 15
Vena porta & caua per ſubſtantiam epatis vbiq; diſperſa ibid. 44
Venam vmbilicalem in fœtu officio portæ fungi 112. ibid.
Venenatio in quo conſiſtat 129. 11
Venenum in corpore genitum 5. 45
Venenum in quo prædicamento 139.39
Venenum non qualitas, ſed potius ſubſtantia 367. 20
Venenum veneno neqaaquam pelli 233 37
Ventriculum corroborantia 253 44
Vermes in gingiuis generari, non in dentibus 38.2
Vermes puerorũ qualiter necandi 252. 40
Vermes terreſtres neruos roborare 246. 53
Vermes viui in ſubſtantia epatis 110.8
Veſalii iter in Paleſtinam non eſt exilium, ſed votum religioſum 40. 27
Veſicam ſolam a cantharidibus lædi, ſecundum Galenum 502. 30
Villanouani liber de humorum coctione 279.43
Vina medicata purgandi vim habere 439. 37
Vinum & balnea in catarrho an proſint 45, 20
Vinum mechoaca effectum impedire 15. 10
Vinum podagricis concedendum 347 39
Violarum folia ſicca ventrem mouere 221. 54
Virgo ex primo concubitu an naturaliter concipiat 29.45
Viſionem fieri & immiſſione & emiſſione 322.56
Vomitorium Cratonis 417. 23
Vlcuſcula ad talos ſanatu difficilima 94. 27
Vlmi vſus 286.17
Vnguenta ad internas partes quomodo penetrent 36.45
Vnguenta in malis cutaneis pracipue valere 64.1
Vnguenta quæ foris inunguntur, quomodo vim ſuam in partes remotiores tranſmittant 61. 58
Vnguentorum vis in intimas loci affect partes quomodo penetret 52. 47
Vnguentum ad ſpinam 11.22
Vnguentum empiricum in bubonibus 225. 11
Vnguentum empiricum quatriduo ſcabiem curans 21. 14
Vnguentum ex nitro in petechiis 286 52
Vnguentum in paralyſi 426. 46
Vnguentum oculare 213. 4
Vnguentum pro calculo 11. 10
Vnguentum pro dextra manus impotentia 99.24
Vnguentum pro paralyſi 455.27
Vnguentum ſtomachale 14.18
Vnitatis ſolutio ad inſtrumẽtarios morbos an poſſit referri 353. 8
Vteri ſuffocationis cauſæ 84.37
Vterus excrementorum ſentina 85. 52
Vulgus linguæ magiſter 132. 49
Vulnus capitis lethale vſu rhabarbari curatum 19.41
Vulnus in lingua ex caſu 22.13

Z

ZVuingeri catholicon 391. 48. 412. 18
Zuuingeri cura in Gallicana lue 476 54

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE